PHILIPPI CLUVERII SICILIA ANTIQUA AUCTORIS METHODO, VERBIS, ET TABULIS GEOGRAPHICIS RETENTIS, CONTRACTA...

Philipp Clüver, Johann Buno, Farnese casa

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
XLV
C
1
NAPOLI

XLV. C. 1.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLV
C
1
NAPOLI

XLV
C
1

Philippi Cluverii

Siciliae antiquae, necnon Sardiniae

a Corsicae contractae

a Joh: Bunone

Libri tres

1659

C

SERENISSIMI ATQVE CELSISSIMI
PRINCIPIS ac DOMINI
DN. CHRISTIANI LUDOVICI
BRUNVICENSIUM Ac LUNEBURGENSIUM DUCIS &c.
IN SECRETIORE CONSILIO
SENATORIBVS EMINENTISSIMIS,
GENEROSIS ATQVE MAGNIFICIS ATQVE AMPLISSIMIS, VIRIS,
DN. FRIDERICO SCHENCK A WINTERSTEDT,
in Schvvachhauſen, Holm & Lindhorſt,
PROPRINCIPI
DN. HENRICO LANGENBECK JC. CANCELLARIO &c.
DN. HILDEBRANDO CHRISTOPHORO AB ET IN HARDENBERG, PRÆFECTO MAGNO.
DN. BODONI A GLADEBECK, IN NORA WOFFLEBEN ET MUNCHELOHRA &c.
DN. HENRICO DIETERICHS JC. AULICI JUDICII ASSESSORI,
Dominis & Patronis meis optimè meritis,
Hoc
Pietatis atque officii causâ
Devotè
Do, Dico, Conſecro,
JOH. BUNO.

GENEROSI MAGNIFICI ATQUE AMPLISSIMI VIRI

DOMINI ET PATRONI MULTIS NOMINIBUS COLENDI,

INter multiplices & graves iſtos labores, quos ſinguli humanæ ſocietatis ſuſtinent Ordines, haud reperiri operoſiorem, pluribusve obnoxium difficultatibus; quàm ita imperare & præeſſe rebus, ut tranquilla, beata & felix queat eſſe Reſp. neque quicquam detrimenti ſeu ab hoſte ſeu cive capiat, Romanorum Imperator poſt xx regiminis annos cenſuit. Quod adeò verum, ut ſæpe videamus, magnis & excellentibus ingeniis citiùs deeſſe artem, quâ Remp. gubernent, quàm quâ ſuperent hoſtem. Bruta equidem animalia impetu agi poſſunt; neque ſine arte & tractatione facilè domantur. At homo, qui rationis capax, non niſi rectâ intelligentiâ, definitâ moderatione & prudenti poteſt regi conſilio. Vulgus moroſum eſt, multitudo incerta & fluctuans, voluntas hominum obſcura, & ſingula ferè temporum momenta fallacia. Hinc non fretum ullum, neque Euripus tot habet motus, tantas & tam varias agitationes fluctuum; quantas difficultates, caſus, curas & cogitationes moleſtas experitur Reip. procuratio; adeo ut huic graviſſimæ moli etiam providâ inſtructus prudentiâ Gubernator ſæpe ſuccumberet; niſi eſſent, qui feſſo & laboranti ſuccurrerent Atlanti, & laboris iſtius Herculei parte ſusceptâ, pro publicâ omnium ſalute unâ maximè niterentur & ſimul contenderent. Felix ille Princeps, felix & beata Reſp. eſt, cui tales contingunt tanti oneris ferendi adjutores, qui rerum hominumque periti in Reip. adminiſtratione nihil ſanctius ducunt fide, integritate & abſtinentiâ. Nos æterni Numinis beneficio merito acceptum ferimus, eoque nomine illi gratias debemus quàm maximas, quòd ſub illius nos voluit eſſe PRINCIPIS imperio; qui providus PATRIÆ noſtræ PATER ſuarum provinciarum & ſubditorum curam gerit ſollicitam, ac Pro ſingulari ſuâ, quâ pollet prudentiâ, eos ſibi novit deligere conſiliorum miniſtros, quorum fides, integritas & abſtinentia probata, quique moderationem ipſius ſequentes SINCERE, CONSTANTER & PRUDENTER rebus conſulere, tempori ſeſe aptare, communi omnium ſaluti, publicæ ac privatæ felicitati proſpicere ac providere rectè ſciunt. Quod ſuperioribus annis, quum

quum triſte bellum omnem ferme abſumeret Germaniam, hæc patria noſtra, velut olim inter potentiſſimos Syros & Ægyptios media interjacens Palæſtina, non attrita, ſed incolumis ſervata; Quod incendium iſtud civile reſtinctum, & belligerantibus extorta ſunt arma; Quod hâc demum tempeſtate, quâ feralis belli flamma Germaniæ noſtræ fines jam corripuit, urere, graſſari, & depopulari denuò cœpit, Saxoniæ noſtræ res florent, primùm ac præcipuè divinæ Bonitati & Clementiæ merito adſcribimùs; ac deinde quoque veſtris, VIRI GENEROSI Atque MAGNIFICI, quod pace veſtra dicere liceat, non mediocribus & uſitatis conſiliis, quibus Germaniæ pacem tam carè partam omnibus curis & cogitationibus veſtris conſervare ac tueri, adeoque Patriam noſtram acri & circumſpectâ ratione & cuſtodiâ veſtrâ à detrimento & lapſu continere contenditis. Eum in finem vigilias, labores, ærumnas & dura ſuſcipitis & perfertis omnia. His, quæ extra Remp. ſunt, eamque foris tueri & confirmare poſſunt, SERENISSIMI PRINCIPIS NOSTRI auſpiciis, quibus gerere ſoletis omnia, bene compoſitis, curas & cogitationes veſtras ad interiora civitatis ordinanda confertis; incolumitati, ſaluti & fortunis omnium commodantes. Et quum nullum ſit firmius ſocietatis humanæ vinculum, quàm unum & æquabile jus inter omnes, quo cuique quod ſuum eſt tribuitur; quo noſtris rebus ſecurè poſſumus frui, easque retinere: Vos juris Sacerdotes, quod nomen vobis tribuit Ulpianus, juſtitiam ita colitis, ita æquum ab iniquo ſeparatis, ita leges tuemini & interpretamini, ut omnibus, quod ipſæ faciunt, uno eodemq; loquantur modo. Hîc innocentia Patronum invenit in judice, qui nullius reformidat potentiam, nec auro poteſt corrumpi, nec gratiâ flecti; tantâ ſanctitate, tantâque abſtinentiâ jus dicitis. Imperium noſtrum Romano-Germanicum nihil tantopere affligit, quam cauſarum moles, impedita calliditate agendi, cauſſidicorum fraudibus armata. Vos huic malo remedium inveniſtis, dum juris & litium rationem omnem ad certum modum redegiſtis, ac calumniantium inprimis temeritatem, & impudentes moras ſolemniaque effugia coërcuiſtis. His alijsque curis & laboribus veſtris longè melius, quàm parentes noſtri de nobis meremini, qui cum publicæ tum privatorum ſecuritati adeo ſollicitè proſpicitis, tantaque integritate & abſtinentia geritis omnia. Neque Vobis VIRI GENEROSI atque MAGNIFICI, ſufficit præſentem & noſtrorum temporum curare ſalutem; poſteritati quoque quàm optime conſulitis. Quum enim SERENISSIMUS PRINCES NOSTER, PATRIÆ PATER

 OPTI-

OPTIMUS eam Reip. ſuæ partem, quæ meliorum aut deteriorum temporum ſeminarium eſt, magis ſollicitè curari jubeat, atque Vobis, Provinciæ ſuæ Proceribus, hoc negotii dederit, teneræ illius & afflictæ ætatis curam ſuſcepiſtis plane paternam, eamque propenſione & amore veſtro amplexi, ſic diligitis & æſtimatis, ut commodis quotidie novis & adminiculis bonæ literæ ſuffultæ illa omnis humani divinique juris incunabula, priorum temporum ſortem, & cultum ſimplicem longè jam ſuperarint, & adverſus ingruentem inſcitiam & barbariem jam ſatis adpareant armatæ. Vobis, in tanto licet dignitatis gradu conſtitutis, quod nos admiramur & vix credet poſteritas, nulla major poteſt eſſe voluptas, quam luſtrare Scholas, obire claſſes, inſpicere operas cum docentium tum diſcentium, eorumque in literarum ſtudiis obſervare & exigere fructus & incrementa. Ex tam divina in hanc ætatem attentione veſtrâ tanta Ludorum & Scholarum in hâc Saxoniâ noſtrâ eſt celebritas; ex quibus egrediuntur nunc inveſtes pueri, poſt literarum futuri antiſtites & eruditionis prope nomina. Reliqua quæ Eccleſiæ pariter & Reip. ſaluti & emolumento curis & laboribus veſtris quotidie commodatis, mens & cognitatio mea aſſequi ſingula non poteſt; nedum exiguâ hâc complecti chartâ aut dignè enarrare. Quin potius tantarum Virtutum & Meritorum veſtrorum ego admirator & cultor devotus hoc quicquid eſt operis Cluveriani, illuſtribus veſtres nominibus inſcribo & conſecro, omni contentione & ſubmiſsè obſecrans, ut benignâ & ſerenâ fronte accipiatis, ac me, ſtudiaque mea veſtrâ gratiâ & favore porrò amplectamini, qui bonis literis & eruditioni ſingulare agitis & præſtatis præſidium. Deus O. M. Vos VIRI OPTIMI quam diutiſſimè Reip. & nobis ſervet, quod ex animo voveo & precor.

V. G. M.

Dabam è Muſéo
Calendis Junij
cIↃ IↃC LIX.

Devotus Cliens.

Joh. Bont.

In Philippi Cluverii
SICILIAM ANTIQUAM
Contractam in Epitomen
à
Joanne Bunone.

Felix vetuſta nobilisque Dorica
Propago gentis; regna qui tot inclyta
Fœcunda pinguis arva per Trinacria,
Et condidiſtis, & potenti dextera
Tuti, frequenter hoſtium & Pœni ipſius
Fregiſtis arma, civibus docti Remi
Parere ſolis atque fato credere:
Muſis ijdem Palladique & Gratiis
Devota multum & cara quondam pectora:
At nunc profundo Ditis excepti atrio,
Oblivioſis in tenebris aut procul
Campis remotis degitis vitam levem.
Quas, ò beati, quas referre gratias
Quitis CLVVERO? ſeculis labentibus
Dudum Sepulta, Poſteris ipſis diu
Jam ignota veſtra civibus Trinacria,
Felicitatis priſca ſed veſtigia
Monumenta veſtra certa quondam & gloria,
Ex nocte longâ qui reduxit in diem,
Multo labore, non Pelasgi ſangvinis
Non educatus montis Ætna cis pedes,
Allectus aut Panormienſi præmio.
Haud impares debentur autem & gratia,
Noſtro BVNONI: qui Cluverium, nimis
Labrioſa quam legentium manu
Excuſſit ac ſemovit hinc induſtria,
Compendioſâ reddidit pennâ uſui.

Et

Et ipſe, Cattus, disſito procul ſolo
Nutritus, atque divitis ſpretor ſpei.
Tanti laboris gratiam Tu à Doribus
BUNO erudite quæris? an tibi ſufficit,
Cujusque cultioris ingeni bono
Prodeſſe commodeque litterario?
Præclara virtus! Attamen quisquis decus
Jam tum obſoletis priſtinum reddit, ſimul
Æternitatem nomini invenit ſuo,

H. CONRINGIUS.

PHILIPPI



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

PHILIPPI CLUVERI

SICILIÆ ANTIQUÆ CONTRACTÆ.

LIBER PRIMUS.

Quo primùm univerſa inſula varia nomina atq; incolæ; dein ſitus, figura, magnitudo; tum Orientale atq; Meridionale ejus latera deſcribuntur.

CAPUT PRIMUM.

Sicilia pars quondam Italiæ exiſtimata.

Sicilia quondam peninſula exiſtimata.

ITaliæ contermina SICILIA, anguſtó freto hinc diviſa, pars quondam continenti adhærens, adeóque peninſula exiſtimata eſt. Ingenti autem terræ motu facto, iſthmoq; diſciſſo, irrupiſſe æquor; cinctuq; ſuo inſulam effeciſſe Siciliam, auctores tradunt antiquiores fermè omnes. Virgil. *Aeneid. lib. III.* Silius Italicus *lib. XIV.* Ovidius *Metamorph. lib. XV.* Valerius Flaccus *Argonaut lib. I.* Claudianus *de raptu Proſerpinæ lib. I.* Statius *Thebaid. lib. III.* Mela *lib. II. cap. VII.* Seneca *in conſolatione ad Marciam.* Feſtus Pompejus, Servius *ad illum Virgilii locum.*

Iſidorus *Origin lib. XIII. cap. XVIII.* & *lib. XIV. cap VI.* Plinius *lib. III. cap. VIII.* Solinus *cap. VIII.* Dionyſius *in orbis deſcriptione.* Euſtathius, & Strabo *lib. XI.* qui tamen tradit, quosdam diligentiùs ſeriùsq; rem examinanteis, exemplis tantùm aliarum inſularum & nonnullis rationibus probabile reddere voluiſſe. Eandem rem noſtro ſeculo probare voluit Thomas Fazellus *in deſcriptione Siciliæ.*

II. At Heſiodus, teſte Diodoro *lib. IV*, tantum abeſt, uti crediderit, vel motu aliquo terræ, vel fluctuum vi diruptam aliquando fuiſſe Siciliam ab Italiâ, uti etiam è contrario, quum latiùs diffuſum foret hoc fretum, totam illam humum arenaceam atque depreſſam, in quam Pelorus per aliquot millia paſſuum in mare excurrit, ab Orione, ceu vallum quoddam ſive aggerem aggeſtum ſtatuerit. Incerta igitur atque controverſa quum fuit tum Heſiodi ævo omnis de Siciliæ avulſione narratio; quid certi probare queat Æſchylus ex opidi ſeu promontorii *Rhegii* vocabulo, haud equidem video.

III. Nobis potior videtur ſententia doctiſſimi viri Mariani Valguarneræ, qui in libro, quem de primis Siciliæ Italiæq; incolis conſcripſit, Siciliam aliquando Italiæ connexam fuiſſe, plurimis ſcitiſſimisq; negat argumentis. *Per XX. ampliùs,* inquit ille, *millia paſſuum latus Siciliæ opponit Italiæ, quod ſpatium, neceſſe eſt, ut omne fuerit diruptum, quò meatus freto aperiretur. Nec eſt, quòd extremo tantùm Pelori promontorio conjunctam fuiſſe Italiam aſſeveres; rupturamq; in eo ſolum modo factam: quia hoc totius hujus tractus Italiæ eſt proximum. Nam Rhegium opidum, quod VI. millia infra Meſſanam, à*

Peloro

Peloro XX. millia diſſitam, poſitum eſt, præcipuum illi volunt eſſe hujus ruptionis locum; ab eoq; argumento id dictum, quod ῥήγνυσθαι Græcè ſignificat rumpere. Totum igitur hoc terræ ſpatium diruptum fuerit, neceſſe eſt. Id quod creditu perquam difficile: quando tot per terræ orbem magnæ juxta atq; parvæ conſpiciuntur peninſulæ; quarum iſthmi licèt ſint anguſtiſſimi; tamen neq; fluctibus adluentis utrimq; maris, neq; terræ aliquo motu, neq; diluviis aquis, umquam converti in inſulam potuerunt. Quare duo illi iſthmi, Peloponneſi & Thraciæ Cherſoneſi, quum haud latiores ſint XL. ſtadiis, ſive paſſuum millibus V, nunquam potuere ſcindi; & Tauricæ Cherſoneſi in Sarmatiâ iſthmus, prædictis illis anguſtior, etiam nunc durat. Sed quis porrò credat, tam pulcrum, tam abſolutum, tamq; admirandum opus, cujusmodi eſt portus Meſſanenſis, quem Deus, omnium rerum artifex, in circino, *ut inquit Eſaias, videtur* tornaviſſe, *caſu quodam ſuperaſſe tam ingentem vim, qualis oportet, fuerit in ejusmodi ruptura? Tum abyſſus profunditatis, qui eſt in hoc freto, poteratne violentiâ alicujus diruptionis inter utramq; terram infundi? Sanè, nihil aliud heic fuit; niſi manus Dei omnium rerum potentis; qui tranſitum ab initio rerum fluxui maris noſtri atq; refluxui ſtruere voluit, ubi divina ejus ſapientia neceſſarium eſſe cenſuit. &c.* Sicilia igitur omni ævo fuit inſula.

CAP. II.
De variis Siciliæ nominibus.

NOmen inſulæ, antequam SICILIA diceretur, fuit *Sicania.* & ante hoc etiam *Thrinacia* ſive *Trinacia*: quod poſtmodùm Græci fecère *Trinacria*: & hoc Latini verterunt *Triquetra*. Eadem & *Solis inſula* & *Cyclopum terra* dicitur Homero. Polybius *lib. VI.* *Siciliæ varia nomina.*

Diodorus *lib. V.* Dionyſius Halic. *Antiq. Rom. lib. I.* Plini⁹ *lib. III. cap. VIII.* Solinus *cap. XI.* Servius *ad Aeneid. lib. III.* Lucreti⁹ *lib. I.* Martianus Capella *lib. VI.* Iſidorus *lib. XIV. cap. VI.* Mela *lib. II. cap. VII.* Vocitata eſt *Trinacria*, quia figuram ejus, tres ἄκρας, id eſt *tria promontoria* definiunt: Strabo *lib. VI.* Apollonii Rhodii Scholiaſtes *in lib. IV.* Ab *Trinacria* deinde dicta videtur *Trinacia*, quia literæ caninæ moleſtus erat atque durus ſonus. In uſu tamen fuiſſe etiam vocabulũ *Trinacis* Strabonis docent exemplaria: Sed *Trinacriæ*, ſive *Trinaciæ*, & *Triquetra* vocabula peregrina eſſe deprehenduntur; illud à Græcis, ut innumeræ aliæ gentium terrarumq; per totum orbem adpellationes; hoc à Latinis inventũ, quaſi in treis quadras diviſa ſit inſula: ipſis barbaris Sicanis atq; Siculis inuſitata. Figuram habet Sicilia triangulam & tribus promontoriis in diverſa procurrens, Græcæ literæ imaginem, quæ *Delta* dicitur. Mela.

Siciliæ incola Cyclopes.

II. *Cyclopas* plerique auctorum antiquiſſimos huic inſulæ adſcripſerunt cultores. Homerus *Odyſſ. lib. IX.* Euſtathius Theocritus Syracuſanus *in Idyllio XI.* Equidem multa ſuper hiſce Cyclopibus, aliiſq; gigantibus diſputarunt multa: fuerit unquam tale genus mortalium; nec ne? ac pleriq; negarunt. Verùm eã rem planam reddidit, præter alias terras, Sicilia, exemplis quamplurimis, quæ ex Fazello huc transſcripſiſſe, laboris fuerit pretium. *Decad. I. lib. I. cap. VI.* *Eryx*, inquit, *mons eſt in Sicilia notiſſimus; mons Drepani hodiè vulgò nominatus. ad hujus radices quà orientem reſpicit, quum ruſtici quidam, anno Salutis* CIϽCCCXLII. *paſtoralis caſæ fundandæ altiùs foderent; in antrum immenſum inciderunt, in quod ingreſſi, virum portentoſæ magnitudinis ſeden-*

tem deprehenderunt, cujus rei novitate conſternati, ex antro ocyùs fugam in opidum, quod ad verticem eſt, capeſſunt, civibusq́, quid monſtri viderint, referunt. Erycini exciti, armati antrum petunt. ex quibus complures facibus incenſis ſpecum introgreſſi; monſtroq́, quod, ut retulerant villici, in conſpectu habebant, tandem proximiores facti; hominem non vivum, ſed cadaver humanum procera ſtatura, in ſede poſitum, ſiniſtrâ manu baculo mali nautici inſtar innixum, nullâq́ ex parte correſum, cognoſcunt. Tactu ſcipionis cortex confeſtim in cinerem ſolvitur, quo clava plumbea, quæ è terrâ ad manum usq́ ſedentis aſcendebat, celabatur. tactu & cadaver æq́ ſtatim corruit, & in pulverem verſum eſt; tribus ſolùm dentibus molaribus admirandæ magnitudinis, & anteriori cranii parte, aliquot modiorum Sicilienſium capace, incorruptis ac firmiſſimis relictis. Erycini, in rei fidem ac miraculum, dentes filo ferreo ad crucifixi pedes, qui in medio templi Annunciatæ ejusdem opidi pendebat, ſuſpenderunt. Hæc mihi omnia Senatores Erycini opidi retulerunt. Meminit & exactè hujus exempli Joannes Bocacius, lib. IV. cap. LXVIII. *de Genealogiâ deorum. Mazarenum in Siciliâ mediterraneum ac recens eſt opidum. in cujus agro, cui Gibilo eſt nomen, paſſus fermè mille ad meridiem recedente, Joannes à Brachiis fortibus, opidi comes, quum, anno Salutis* CIↃ IↃ XVI, *ad vineæ, quam ibi ſibi plantaverat, tutelam, domum fabricari juſſiſſet; fundamentisq́ cæmentarii foſſam pararent; in cadaver hominis, ſtatura cubitorum circiter viginti, ligonibus impingunt. Famâ tantæ rei ad opidum relatâ, Joannes uxorq́ ejus Aemilia, quæ tum uterum geſtabat, ac opidani ferè omnes, ad Gibilum procurrunt; ibiq́ cadaver procerum, ac caput ejus, dolii inſtar, conſpexerunt ſtupidi. Aemilia verò, miraculi horrore perculſa exanima-*

animataq́ abortum patitur. Imperiti deinde homines quum rudiùs cadaver adtrectaſſent; illicò in pulverem abiit; molaribus dumtaxat integris repertis: quorumquilibet unciarum quinq́ pondus æquabat. Rem hanc Antonius Moncata, Adrani comes, ejusq́ ſoror germana Æmilia ipſa, non vulgari fide & nobilitate commendati, anno Salutis CIƆ IƆ XLVI, *menſe Septembri, ad opidum Caltanixetta, prout ipſi viderant, mihi enarrarunt; teſteisq́ molareis denteis oſtenderunt. Teſtatur id demum pictura reperti gigantis, in ædibus, quas ſibi decedente Joanne marito in eo Caltanixettæ opido Æmilia magnificè ſtruxit, in murum relata. Melillis inter Leontinum & Syracuſas opidulum in Hyblæis montibus mari prominet. à quo non multo infrà, ad montium radiceis, ubi perennis eſt fons, S.Coſmani hodie nomine notus, frequentia vix crèdenda proportionis gigantum ſunt ſepulchra. è quibus ab antiquitatis ſtudioſis & molares eorum dentes & ingentia oſſa quotidiè effodiuntur. Illorum dentium plures Petrus Paulus, principatus vir honeſtus, & harum rerum ſtudioſiſſimus, dono mihi dedit: quos ad rei indicium curioſiſſimè adſervo. eſt autem eorum quilibet ponderis unciarum circiter quatuor. Hyccara Sicanorum pervetuſtum opidum, Carinis hodiè dictum, XII paſſuum millia à Panormo ad occidentem abeſt. in ejus agro mons eſt, in occidentem vergens, mons longus adpellatus, ad cujus radiceis antrum eſt immenſum, à Piraina nomen adeptum, ab opido III. paſſuum millia diverſum. in quo plura ſunt gigantum monumenta. unde & maxima eorum oſſa ac dentes eximiæ admirationis frequenter eruuntur. Hujus rei teſtes ſunt Hyccarenſes ipſi ſimul & Panormitani. teſtis & locupletiſſimus ſum ego: qui os humeri latiſſimum & penè monſtruoſum exinde apud me habeo. In agro Panormitano fons eſt inſignis, maris dulcis cognomento no-*

tiſſimus

tiſſimus, meridiei obverſus, III. fermè paſſuum millia ab urbe refugiens. ſupra quem in ipſâ montis rupe ſpecus eſt, longitudinis cubitorum plùs minùs LX, latitudinis XX. in quâ Paulus Leontinus, nitrum confecturus, dum terram pecuinam in nitrariis decoquendam, anno Salutis CIↃ IↃ XLVII. *effodit; in cadaver hominis, vaſtitate moleq; gigantei corporis immane, cubitorumq; ferè XVIII, membris omnibus inconpactum diſſolutumq;, fortuitò illapſus eſt. Ad cujus famam Panormitani viſendi ſtudio exciti, capitis membrorumq; omnium admiratione obſtupuerunt. Ea ſubinde dum Paulus ſatis imprudenter attrectat; in pulverem, præter mandibulam, verſa ſunt omnia. Praerat eo anno Panormo Simeon Valguarnera, quem Capitaneum vulgus adpellat. ad eum mandibulam in rei fidem deferunt. Ex qua dum denteis excutere tentant; in cinerem & ea transabiit: molaribus ſolùm, ob duritiem, immotis. Horum ſinguli unciarum propè quatuor pondus conficiebant: noſtris ſimiles; ſubabi, effigiati, & carie prorſus carentes. quorum duo, mihi à Simeone Piltono donati, in rei tùm fidem tùm memoriam Chriſtianis ac ethnicis hominibus, qui tale genus hominum vix fuiſſe credunt, exhibendi, in arcâ magno ſtudio habentur. Syracuſa urbs eſt hodiè in Siciliâ. in eâ anno Salutis* CIↃ IↃ XLVIII. *quum Georgius Adornus, Genuenſis, eques Joannita, claſſis tum ordinis ſui præfectus, hiemaret; venatum aliquando in agrum Syracuſanum egreſſus eſt. Qui dum venationi ſtudet; canis, in venatu ſolers & ſagax, os ſpeluncæ ſubterraneæ & latebroſæ naribus & unguibus ſcrutatus, caudâ & latratu venatores advocabat. Equites, qui cum Georgio aderant, prædam rati, equis citatis accurrunt. ſed ubi oſtium ingentis ſpecus ſolùm vident; eo relicto, venationem retro proſequuntur. Poſtridiè verò Georgius, remigum manu adſumtâ, ad ſpecum*

eandem

tandem, aurea veterum numiſmata, quorum ibi thecas crebrò reperiri contigerat, quæſiturus, regreditur. Spelunca ore vix patefacto; ſcalis, quas ibi in vivo ipſo lapide exciſas, aditum monſtranteis, offenderat, in antrum profundum deſcendit; ingreditur; cuncta explorat: tandemq́, pro ſperatis nummis, cadaver hominis cubitorum XX. reperit. quod ubi membratim mirabundus ſtupensq́, examinat; pars capitis, coſtæ, & crura, cæteris partibus in putrem cinerem ventumq́, ſolutis, ex attrectantium manibus ſola integra decidêre. quæ pro miraculo Georgius quàm primùm omnia, præter duos molares, ad Joannem Homodeum, militiæ magiſtrũ, Melitam transmiſit. Calatraſis non longè ab Entellâ arx eſt, cujus præfecto, anno Salutis CIↃ IↃ L. *defuncto dum coloni in templo tumulum perfodiunt; in ædiculam teſtudinatam incidunt; & in eâ cadaver hominis cubitorum circiter XXII. reperiunt. cujus ſtaturâ primùm ſtupefacti; mox, ut ferè fit, in riſum jocosq́, ſoluti, ejus caput, quod X fermè pedum circuitum metiebatur, pro ſcopo aut ſigno erectum, ſaxorum jactibus inceſſunt. quo comminuto, dentibus ſolùm ſalvatis, quidquid ſuperfuit, terræ reddiderunt. Petralia inferior recens eſt mediterraneum opidum. in ejus agro Belicino dum Bartolus Petralienſis, Artalis Curtius, & Nicolaus Cameratenſis, pluresq́, alij cæmentarij, anno Salutis* CIↃ IↃ LII. *Suſannæ Gonzagæ, opidi Dominæ, Petri Cardonæ Golisani comitis, uxori, horrea exſtruunt; in plura gigantum ſepulcra, lapidibus quadratis incluſa, caſu pervaſerunt: in quibus pleraq́, cadavera, VIII. cubitos proceritate ſuperantia, invenerunt. è quibus Suſanna, ut nobilitate inſignis, ita liberalitate conſpicua, mandibulam unam cum duobus molaribus duarum fermè quotlibet unciarum, Panormum dono mihi miſit. quorum omnium nihil adhuc apud me periit. Sed non eſt heic ulte-*

ulteriùs immorandum. nam ſi ſingula gigantum cadavera, paſſim in Siciliâ caſu hactenus eruta, recenſeam; & dies & inſtituti ratio me deficiet: quum ex his abundè, & fuiſſe in rerum naturâ gigantes, & Siciliam habitaſſe, jam probatum ſit.

III. Unde verò tam immanibus corporibus in hanc inſulam primùm pervenerint Cyclopes ſive gigantes iſti: id nimio plus, quam incertum eſt: quum Thucydides antiquus auctor *lib. VI.* adfirmet, *neque genus eorum, neq, unde venerint, nec quò abierint, compertum habere.* Eliſæ tamen, Javanis filii, Japheti nepotis, Noachi pronepotis, fuiſſe poſteros, ac primis ſtatim poſt terrarum inundationem temporibus, poſt confuſionem ad Babylonem primævæ linguæ, in gentium per omnem terrarum orbem diſperſione, in inſulam hanc trajeciſſe; prolixâ & doctiſſimâ exſequitur diſſertatione ſagaciſſimi animi vir Marianus Valguarnera, *in libro de primis Siciliæ & Italiæ cultoribus.* ubi Græcos eos fuiſſe Æolici ſive Pelaſgici generis oſtendit. Verum nihil tale neque Thucydides neque alius quiſpiam ex vetuſtiſſimis diſpexit auctoribus. quidpe Diodorus ultimas omnium in Sicilam colonias deduxiſſe tradit Græcos. & Thucydides primos ait Græcorum Chalcidenſeis in Sicilia condidiſſe *Naxum.* quod factum anno à Trojano bello CCCCXLVIII. *Trinacriam* ſanè ante *Sicanorum* adventum nominatam fuiſſe inſulam, tradit Thucydides; at quibus ita dicta fuerit ipſis indigenis, an Græcis in Græciâ illius ævo hominibus: non addit. Græcis verò fuit vulgare exteris gentibus terriſque è ſuâ linguâ imponere vocabula. Cujus rei, præter innumera exempla quæ exſtant, teſtis

eſt Joſephus *antiquit. Judaic. lib. I. cap. VI.* Quòdſi verò ipſis Siciliæ incolis Cyclopibus adpellata fuerit, *Trinacria*; dubium tamen manet; utrùm ἀπὸ τῶν τριῶν ἄκρων dicta ſit τριναχρία. an verò ab rege ſeu principe aliquo Inſulæ Trinaco *Trinacia.* ut habent Scholiaſtes Apollonii, Stephani epitomator, & Servius *ad AEneid. lib. I.*

Leſtrigones in Sicilia. IV. Cæterùm Thucydides loco ſuprà ſcripto antiquiſſimos quoque Siciliæ incolas memorat *Laſtrigones.* Plinius & Solinus eos retulerunt in Sicilia circa Leontinos, quæ urbs nunc vulgò vocatur *Lentini.* quibus accedunt Didymus: Homerus *in Odyſſ. lib. X.* & Tzetzes *in Lycophr.* At in Italia illos poſuit Homerus haud ita procul à Circeo monte.

Phaaces in Sicilia. V. Cyclopum in eâdem inſulâ contermini fuêre *Phaaces,* quos *Hyperiam* incoluiſſe tradit Homer⁹ *Odyſſ. lib. VI* Didymo, Euſtathio & aliis grammaticis Ὑπέρεια *Hyperia* eſt Camarina urbs. Stephano & Heſychio *Hyperia* eſt fons *Meſeidis:* & item urbs Phæacum Sicula. Vibio Sequeſtro *in catalogo paludeum,* Camarina antea dicta fuit *Hyperie.* A Camarinâ palude urbs quoque nomen traxit; quæ hodie exſtat cum tenuibus antiquæ urbis veſtigiis, in meridionali inſulæ latere, L. millia à Pachyno promontorio, quòd vulgò nunc *Capo Paſſaro,* diſſita. Ex antiquis verò auctoribus colligitur, omne ferè inſulæ latus orientale ad Pachinum usque promontorium, ſive ad Camarinenſium usque fineis tenuiſſe Cyclopas, Phæacibus conterminos. Theocritus *in Idyll. VII.* Euripides *in Cyclope* Tibullus *lib. IV. carm. I.* Statius *Thebaid. lib. VI* Virgilius *lib. III. AEneid,* Strabo *lib. I.* Mela *lib. II. cap. VII.* Cicero *in Ver-*

Hyperia Phaacum antiqua ſedes.

Fons Meſeidis.

Cyclopes quam inſulæ partem tenuerint.

rina V. Atque in hoc maximè inſulæ latus illa Homeri congruunt de fertilitate Cyclopum agri *Odyſſea IX.*

VI. In parte igitur quadam inſulæ tantùm, eâq; exiguâ habitarunt Cyclopes; juxtaq; eos Phæaces, & ipſi gens exiguâ; ut quàm univerſam poſtmodùm una Corcyra inſula, haud perinde magna, recepit. poſtquam jam antiquiſſimis temporibus à Cyclopibus pulſos eò deduxit Nauſithous. Homerus *Odyſſ. lib. VI.* Ac tum ſedeis eorum occupaſſe pulſores, haud dubium eſt. Sed quinam mortales reliquum Siciliæ incoluerint; id planè incertum eſt: quum eâ de re nihil antiqui auctores prodant. Fuiſſe tamen heic quoque Gigantum genus, patet ex ſuprà memoratis oſſibus, quæ ad Erycem montem, in extremâ verſus occidentem inſulæ partem, & prope Panormum orbem ſuperiori ſeculo reperta fuère; & heic etiamnunc reperiuntur; teſte Valguarnerâ: qui ipſe nonnulla eruit. Univerſa igitur inſula quondam genus tulit gigantum: qui in diverſos populos ſive familiarum corpora fuère diviſi. ex quibus memorantur antiquis ſcriptoribus *Cyclopes* atque *Phaaces* jam dicti.

Gigantes omnem olim tenuere Siciliam.

VII. Ex Servio *ad AEneid. lib. III* docti quidam elicere conantur, habitaſſe Cyclopas urbeis in litore poſitas: &, inter alias, maximè Syracuſas, Panormum, & quæ paullum à mari recedit, Leontinos. nam nullas eos neque ædificaſſe neque incoluiſſe urbeis, contra Homerum, alioſq; veteres Scriptoreis pariter omneis negant exemplis gigantum Aſiaticæ terræ, ex ſacris libris productis. Quin abſurdum putant, poſtquàm Babylonis urbis turriſq; in ea ingentis ſtructioni interfuiſſent primi illi Siciliæ à Babylone deducti coloni,

Cyclopum vivendi genus.

 voluiſſe

voluiſſe eos in ſpecubus degere. Sed his exempla contrà adduci poſſunt nonnullarum gentium; quarum aliæ ſine urbibus, aliæ prorſus ſine omni domo degerunt. *De Germanis* Tacitus. Seneca *lib. de Providentiâ divinâ*. *De Sarmatis* Mela *lib. II. cap. I.* Xenophon *de Expedit. Cyri lib. IV. de frigidis Armeniæ partibus.* Quot ac quantæ gentes, non in Americâ tantùm, nec in Africâ, aut Aſiâ; ſed in noſtrâ etiam Europâ, verſus orientem, ſeptentrionem, & occidentem, iisdem moribus etiam nunc vivunt? Atqui harum gentium pariter omnium primi conditores à Babylone in ſuas quisque profecti fuêre terras. Cur igitur & ipſi modum ædificandarum urbium, quem ad Babylonem didicerant, in ſuas quisque terras non detulerunt? Certè, quidquid tandem rationis habuerint, maxima pars mortalium antiquiſſimum illum, à primo mortalium Adamo inſtitutum, etiam multis ſeculis poſt aquarum inundationem obſervavêre morem; de quo Ovidius *Metamorph. lib. I.* & Juvenalis *Satyrâ VI.* Quid igitur vetat, quo minus idem de Cyclopibus iſtis antiquiſſimis Siciliæ cultoribus credamus vetuſtiſſimis auctoribus, Homero *Odyſſ. lib. IX.* Straboni *lib. XIII.* Euripidi *in Cyclope, &c.*

Sicilia poſt Cyclopas incolæ Sicani.

Cocalus Sicanorũ rex.

VIII. Cyclopum cæterorumque per Siciliam gigantum genus quomodo tandem omne & quando interierit, incertum eſt. Poſt hos primi Σικανοὶ Sicani inſulam tenuiſſe memorantur, eorumq; rex Juſtino *lib. IV.* nominatur Cocalus. Ex Hiſpania à Sicano Iberiæ flumine eos deducunt, Thucydides *lib. VI.* & Silius *lib. XIV.* Verùm à Thucydide in nonnullis diſcrepant alii auctores, Dionyſius Halicarn. *lib. I.* & Diodo-

rus *lib. V.* Solinus *cap. XI.* Martianus Capella *lib. VI.* atq; Iſidorus *lib. XIV. cap. VI.* Sicanorum regem faciunt Sicanum, à quo inſula nomen acceperit. Cum Thucydide tamen ſenſiſſe videtur & Ephorus & Stephani epitomator. Servius *ad AEneid. lib. VIII.* Sicanos ait à Sicori fluvio dictos, qui à Pyrenæo monte in Iberum amnem defluit. Ibericam ſive Hiſpanicam eis fuiſſe originem, etiam Dionyſius aſſerit, haud dubiè è Thucydidis opinione; quia à Liguribus quoque pulſos adfirmat. Verùm Ligures unquam Hiſpaniæ partes tenuiſſe, nusquam aliàs traditum memini. eoque ſuſpicor Iberiam heic antiquiſſimis Græcorum ſcriptoribus, è quibus id hauſit Thucydides, intellectam fuiſſe latè illam ſumtam; ſub qua etiam Gallia veniebat: ut Germaniæ *lib. I. cap. II.* docui. In Galliâ autem inter Rhodanum & Alpeis jam antiquiſſimis temporibus incoluit pars Ligurum; ut in troitu Italiæ antiquæ oſtenſum eſt. At Hiſpanorum ſi fuêre colonia Sicani, ſive ab amne ſive ab rege aliquo ſic dicti; quæritur, utrum mari, an verò terrâ migrationem iſtam ex Hiſpaniâ in Siciliam fecerint? Navibus non advenîſſe, patebit ex eo, quòd neque Hiſpani in Hiſpaniâ, neque Sicani in Siciliâ, rei nauticæ operam dederunt, antequàm Græci in has regiones colonias ſuas deduxerunt. Terreſtri itinere ad fretum usque eos pervenîſſe, ipſe voluit Thucydides. At terrâ qui potuêre, longinquo illo totius Galliæ Italiæq; tractu, per genteis validiſſimas, *Ligures, Tyrrhenos, Umbros, Siculos, Auſonas, Opicos, Oenotros,* in Siciliam usq; penetrare? nam hos populos ante bellum Trojanum tenuiſſe Italiam, in deſcriptione hujus regionis oſtenſum eſt. Potior

itaque fortè fuerit Timæi, Siculi itidem ſcriptoris ſententia; qui multis documentis oſtendit, indigenas fuiſſe primosq́; Siciliæ incolas *Sicanos*. At tamen, quia de Cyclopibus jam antè probatum, primos hos fuiſſe inſulæ cultores; poſt hos tandem tenuiſſe eam Sicanos, certum eſt. Ex Cyclopum eos genere prognatos voluit antiquus cum primis ſcriptor Demetrius Calatinus. quaſi vaſta illa priſcorum Cyclopum proceritas in iis defecerit. Aliunde, poſt exſtinctos Cyclopas in vacantem terram novos immigraſſe colonos ſi credas; proximos conterminosque è continenti eam occupaſſe populos, certum eſt. nam agros inſulæ tam feraces neglixiſſe conterminas Italiæ genteis, donec ex Hiſpaniâ tandem novi venerint coloni, minimè credibile eſt. At illud ſi ſtatuatur; multis ante Trojanum bellum ſeculis eam migrationem factam, neceſſum eſt. quidpe Auſones iſta Italiæ loca, Siciliæ contermina, incoluerunt, donec circa annum ante bellum Trojanum CCCCXXX eos expulerunt Oenotri, qui perpetuò eadem tenuerunt etiam poſt Trojam captam. De Sicanorum igitur origine primâque ſede res planè incerta eſt. Sufficiat vetuſtiſſimos atque primos poſt Cyclopum genus inſulæ cultores eos cognoviſſe. Ab his Sicanis inſula dicta fuit *Sicania*.

Sicilia dicta Sicania à Sicanis.

Siculi ex Italiâ in Sicaniã profecti, à quibus inſulæ nomen Sicilia.

IX. *Siculos* fecit *Auſones* Hellanicus; duce Siculo ex Japygia Italiæ regione in Sicaniam inſulam transgreſſos. Huic adſenſiſſe videtur Plato, *in epiſtola ad Dionis propinquos*. Ubi treis ſuâ ætate in inſula ponit genteis; *Græcos*, *Phænicas*, ſive *Pœnos*, & *Opicos*: quorum vocabulo ſine controverſiâ intellexit *Siculos*; quando hos nullos nominat. Non tantùm urbem

Romam

Romam; ſed etiam *Priſcum Latium*, ſimulque proximæ Etruriæ magnâ Siculos tenuiſſe partem maritimam, longo percenſet ſermone Dionyſius. Tandem Aboriginum ſimul & Pelasgorum armis pulſos, inferiorem petiiſſe Italiam, atque inde in Siciliam transfretaſſe, idem narrat. A Morgete Oenotrorum rege, quum Siculorum ſive dux ſive rex unà cum gente ſuâ hoſpitio receptus eſſet, Oenotrorum quoque gentem ſuo imperio ſubjicere haud dubiè conatus eſt. quam rem indignè ferentes Oenotri, ſuis ſedibus, priſcæ illius Italiæ finibus, eos excedere compulerunt. Illi cum univerſâ gente in Siciliam trajecerunt. Atque ita Siculum genus Italiam reliquit. Multis autem ætatibus antequam Siculi ex Italiâ in Siciliam transgrederentur, Sicani ob gravia Ætnæ montis incendia ſponte orientalibus inſulæ partibus relictis, in occidentaleis ſeceſſerant; easque tandem cultoribus vacuas novi occuparunt advenæ Siculi. Cæterùm Thucydides atque Menippus Siliusque tradunt, Siculos vi & armis pepuliſſe ex orientalibus in occidentaleis meridionaleisque parteis Sicanos. Tranſierunt autem in Siciliam Siculi ante bellum Trojanum ætate tertiâ. In ſingulas autem ætates computantur anni XXVII. Contigit igitur migratio Siculorum in hanc inſulam anno LXXX ante Trojanum bellum. id eſt, anno ante natum Ieſum CIↃ CC LXXII. à quo tempore ad hanc noſtram ætatem inſula vocitata eſt *Sicilia*. quamquàm rudiori Siculorum pariter atq; Italorum vulgò adpelletur *Cicilia*. Diodorus *lib. V.* Dionyſius *lib. I. & II.*

X. Idem Diodorus dicto libro tradit, Æoli filios ſtatim poſt bellum Trojanum Sicanis ſimul atque Siculis *Aeoli filii Sicil. imperarũt.*

culis imperitaſſe. Ad Æolum Ulyſſem perveniſſe fabulantur. Ejus filios enumerat ille Aſtyochum, Xuthum, Androclem, Pheræmonem, Iocaſten, & Agathyrnum; eorumque progeniem, quum per ætateis multas principatum geſſiſſet, ad regium dominatum evectam, in Siciliâ defeciſſe. poſt hos ad optimum quemque imperium detuliſſe Siculos. Sicanos verò de ſummâ rerum diſceptanteis, ad longum tempus civile bellum inter ſe geſſiſſe. Verùm antea Sicani non ſub unius regis imperium redacti erant: ſed unum quodq; opidum ſuum habebat principem: ut auctor eſt idem Diodorus. Talis fuit *Buta*, paullo ante bellum Trojanum; eidem Diodoro lib. IV. memoratus; ubi Herculis circa omnem Siciliam deſcribit peregrinationem. Tales fuerint & VI illi alii Sicanorum duces; de quibus eodem loco idem auctor. Cæterùm inter omneis convenit, univerſam tandem ſubjeciſſe ſibi inſulam Siculos; etiam Sicanos, meridionaleis occidentaleisq; parteis incolenteis. Id quando factum ſit, minùs certum eſt. Ante Trojanum bellum non eſſe factum, patet ex Butæ reguli, Diodoro *lib. IV.* memorati, imperio. Sed & Cocali è regno; cujus regia fuit *Camicus*, prope *Agrigentum*; quæ urbs vulgò nunc incolis dicitur *Gergenti*. At Cocalus ille non fuit Dædali filius, ſed hoſpes, qui Dædalum è Cretâ profugum ſuſcepit, ac defendit. Minos enim Cretenſium rex, cognitâ Dædali in Siciliam fugâ, cum magnâ & inſtructiſſimâ claſſe profectus, quum Dædalum ad ſupplicium ſibi dedi poſtulaſſet à Cocalo, ejusdem inſidiis periit. Cretenſes igitur, à Minoë in Siciliam traducti, quum ſine regne eſſent, deſperato in patriam reditu, quòd

Buta.

Cretenſes in Siciliâ.

naves

naves eorum à Sicanis Cocali ſubditis incenſæ eſſent, in Siciliâ habitare decreverunt. pars eorum urbem condiderunt, quam Minoam à rege ſuo adpellarunt, ac pars Engyum ædificarunt. Poſt Trojæ excidium, Merionem, in Siciliam ejectum cum Cretenſibus, quòd gentiles eſſent, in civitatis communionem ſuſceperunt. Hâc igitur occaſione Cretenſium nonnulli facti ſunt Siciliæ incolæ. Diodorus dicto libro. Solinus *cap. XI.* & Silius *lib. XIV.*

XI. Ἔλυμοι, *Elymi*, ſive ut alii ſcribunt, cum adſpiratione, Ἕλυμοι, *Helymi*, Hellanico apud Dionyſium traduntur priùs ſedeis habuiſſe in Italiâ: atque inde ab Oenotris, anno ante bellum Trojanum LXXXVI pulſos in Siciliam trajeciſſe. E diverſo ipſe Dionyſius & cum eo Thucydides, Lycophron, Pauſanias, Virgiliusq; & Silius ac Solinus, Trojâ captâ eos deducunt *Trojanos*. Hi autem *Helymi* ſive *Elymi* extremas verſus occidentem Siciliæ oras tenuêre, & opida *Aegeſtam*, *Erycem* & *Entellam*, circa *Crimiſum flumen*, quod vulgari nunc vocabulo *Belici* dicitur. *Elymi ſive Helymi.*

XII. Cæterùm Thucydides *lib. VI Phocenſium* etiam quoſdam cum Elymis Trojanis in Siciliâ habitaſſe tradit. Et apud Strabonem *lib. VI Theſſalorum* etiam nonnulli in Siciliâ locantur; adeóque Ægeſtæ urbis conditores. At hæc de Phocenſibus Græcis atq; Theſſalis in Siciliâ colonis minùs certa ſunt. *Phocenſes & Theſſali in Sicilia.*

XIII. At ultimæ tandem in Siciliam veniſſe narrantur pluribus auctoribus *Græcorum coloniæ*; annis poſt Trojam captam CCCCXLVIII. quod ex Thucydidis maximè colligitur hiſtoriâ. Quidpe primos ait Græcorum Chalcidenſeis, duce Theocle, *Naxum* in hâc *Græcorũ coloniæ in Sicilia.*

inſulâ condidiſſe. in ſequenti autem anno Archiam Corinthium *Syracuſas*. & per idem tempus Lamin Megarenſem primò *Troilum* condidiſſe in eâdem inſulâ; mox *Thapſum*. Lami defunćto, Thapſi incolas, Hyblone, rege Siculorum, duce, Megarenſeis condidiſſe, qui *Hiblai* dićti. annis inde CCXLV pulſos eâ urbe & agris fuiſſe à Gelone, Syracuſanorum rege. qui rex factus eſt Olympiadis LXXII anno II; ut auctor eſt Pauſanias *in Eliacis*. Alias ſubinde atque alias Græcorum colonias omnem occupaſſe inſulæ oram maritimam, ex Thucydide ſimul & Diodoro, Marciano & Strabone intelligitur. Licèt autem Σικελιῶται, in univerſum fuerint dicti, qui ſinguli antea erant *Sicani, Siculi, Morgetes, Elymi* ac *Græci*; ac demum uno nomine *Siculi*: diſcrimen tamen feciſſe Græcos inter ſe & indigenas genteis Siculos, Sicanosq; & reliquos; hos *Siculos*: ſe verò *Siciliotas*, id eſt, ut Romani formarunt, *Sicilienſes*, vocantes; teſtatur Conſtantinus imperator, *Themat. imper. orient. lib. II, themate Siciliæ*. Et ab his colonis Græcis non ſolùm Italiæ pars; ſed & ipſa Sicilia *Magna Græcia* adpellata fuit.

Sicilia Magna Græcia pars.

Phœnicũ coloniæ in Siciliâ.

XIV. Sed ante Græcorum in Siciliam adventum Phœnices quoque nonnulli unà cum Siculis atq; Sicanis parteis inſulæ incoluerunt; Thucydides *lib. VI*. iique, non Pœni ex Africa, ſed Aſiatici, ac Tyrii fuerunt, quod diſertiſſimis verbis teſtatur Diodorus, auctor Siculus, *lib. V*. qui Gadeis & Tarteſſum in Hiſpaniâ, Gymneſiarumq; inſularum urbeis condiderunt, etiam in Siciliam, negotiandi cum Siculis gratiâ, colonias, jam ante Græcorum in eam inſulam adventum, deduxerunt. Eas autem cùm in Siciliam, tùm in

Melitam

Melitam atque Gaulum Phœnices deduxiſſe ſub idem tempus, quo in Hiſpaniam atque Gadeis, id eſt, poſtquàm ex argenti Pyrenaici mercimonio opulentiores facti; patet ex Diodoro. Gadeis verò ante Homeri ætatem fuiſſe conditas, Strabonis eſt ſententia *lib. III.* qui exſtitit, teſte Herodoto *in ejus vitâ*, CLXVIII annis poſt Trojanum bellum. Anni igitur inter Siculorum in Sicaniam inſulam trajectum & nativitatem Homeri ſunt CCLVIII. quo temporis ſpatio Phœnices in Siciliam & Melitam, Gaulumq; & Gadeis inſulas colonias ſuas deduxerint. Ex Strabonis *lib. XVII* diſertè patet, poſt felicem tandem conditæ Carthaginis ſucceſſum miſiſſe Tyrios colonias in alias quoque regioneis; *Hiſpaniam* ſcilicet, *Gadeis, Balearides inſulas*, &, quas Diodorus addit, *in Siciliam* atque *Sardiniam*. Quando verò & quo tempore Carthago fuerit condita, incertum eſt; quum nulli duo, nedum plures, inter ſe conſentiunt ſcriptores antiqui. ut Philiſti & Appiani eſt opinio, ante bellum Trojanum fuit condita. Protinusq; ſub idem tempus in Siciliam quoque coloniæ à Phœnicibus & in Melitam, Gaulumq; inſulas deductæ fuerunt. Reliqui tamen auctores Carthaginis initium multos annos poſt Trojanum bellum ponunt.

Carthago quando condita.

XV. Primos Græcorum anno poſt Trojam captam CCCCXLVIII trajeciſſe in inſulam, ſuprà dictum eſt. ab eo igitur tempore Græci cum Phœnicibus armis perpetuò contenderunt ſuper Siciliâ; donec omni eos orâ maritimâ, quam antea tenuerant, pellerent; exceptis opidis *Solente, Panormo, & Motya.* quorum hoc, olim inter Lilybæum & Drepanum ſitum, totum interiit: reliqua duo hodieq; exſtant; vulgò *Palermo* &

Carthaginenſiũ prima in Sicilia arma & coloniæ.

Solanto dicta. Carthaginenſes verò, quum auxilio venirent contra Græcos conſanguineis ſuis, Phœnicibus, unà cum illis frequentarunt *Motyam, Solentum, Panormum* opida. Strabo *lib. VI.* Thucydides *lib. VI.* Ex Diodori *lib. V* colligitur, Olympiade demum L: Carthaginenſeis unà cum Phœnicibus Sicilienſibus prædictas treis urbeis condidiſſe, vel jam antea conditas incolis frequentaſſe. ambigua quidpe eſt vox illa Thucydidis συνοικίζειν, utrumque ſignificans. neque ex alio ſcriptore quopiam rem ipſam inveſtigare datur. Cæterùm, poſtquam dictas colonias Carthaginienſes unà cum Phœnicibus Sicilienſibus in Siciliâ conſtituerunt, nullum neque barbaros, neque Græcos infeſtandi finem fecêre. quamquàm Syracuſani adverſùm eos perduraverunt: diuq;ue variâ fortunâ cum tyrannis, qui ſingularum civitatum imperium tenebant, dimicarunt & Mazei ducis auſpiciis partem inſulæ domuerunt. Poſt hæc Himilio, rex Carthaginenſium, quum in Siciliâ bellum gereret; repente horribili peſte exercitum amiſit. Strabo *dicto libro*; Juſtinus *lib. IV. & XVIII.* Oroſius *lib. IV. cap. VI.* Quæ autem poſt hinc Carthaginienſes in Siciliâ, moxq; Romani geſſerint, inferiùs enarrabuntur.

Siculi Trilingues.

XVI. Cæterùm *Siculi* Apuleio *Metamorph lib. XI* adpellantur *trilingues*, ſcilicet, quia utebantur linguis *Siculâ, Græcâ, & Phœnicia* ſive *Punica* Ex Diodori tamen libro V colligitur, plurimum fuiſſe apud univerſos Græcæ loquelæ uſum: quum Siculi & Phœnices, ſive Poeni, Græcam vulgò addiſcerent; Græci verò rarò Siculam & Punicam. Atque hactenus de variis Siciliæ nominibus & incolis.

CAP. III.

De Situ, figurâ, & magnitudine Siciliæ.

SIcilia, ut ſuprà dictum, figurâ eſt τρίγωνος, id eſt, *triangula*; ſive τρίπλευρος, *trilatera* ſeu *triquetra*. unde etiam τρινακρία Græcis vocitata fuit, â tribus promontoriis, in quæ univerſa excurrit. Hanc ejus faciem Siracuſani, qui caput quondam fuêre totius inſulæ, *tribus cruribus* indicare voluerunt, variè variis in numiſmatibus expreſſis. quorum unius exemplar huc adpoſitum eſt.



II. Trium promontoriorum ſitus atque nomina plures adnotaverunt auctores. *Pelorus* hodiè vocatur *Capo di Faro*: ab ipſo freto, quod accolis vulgò dicitur *Lo Faro*. item, *Capo della Torre di Faro*: à ſpeculâ, quæ in promontorio ſita eſt. *Pachynus* adpellatur *Capo di Páſſato*; & variante liquidâ, *Paſſaro*. *Lilybaum* dicitur *Capo di Marſalla*: ab opido adpoſito *Marſalla*; quod antiquum illud eſt *Lilybaum*. item, vetuſto illo vocabulo, at miſerè detorto, *Capo Boëo*. Hoc promontorium Lilybæum in

Trium promontorium nomina atq; Situs.

in zephyrum, ut tradit Dionyſius, *de ſitu orbis*, ſive in occaſum æquinoctialem vergit. *Pachynum*, ut auctor eſt cum Martiano Capella *lib. VI*, Solinus *cap. XI*, inter Peloponneſum ſive ortum & meridiem in ortum tendit hibernum. *Pelorum* inter ſeptemtrioneis & ortum æſtivum verſus id excurrit, Italiæ litus, quod eſt inter Scyllam & Cænym promontorium, VI millium paſſuum. Hinc eſt, quòd alij ſeptemtrionibus, alij ortui id fecêre adverſum: alij item Scyllæ, alij Cæny. Eundem ſitum inſulæ indicat Strabo *lib. VI*.

Trium Siciliæ laterum forma.

III. Latera inſulæ quod attinet; ſeptemtrionale, quod eſt à Lilybæo ad Pelorum, perexiguâ convexitate incurvatur; crebris intercurrentibus promontoriis. orientale, inter Pelorum & Pachynum, modicâ inflectitur concavitate; cujus medium eſt ad oſtium Simæthi amnis, vulgò nunc *La Iaretta* dicti. auſtrinum, inter Pachynum & Lilybæum rectâ ferè producitur lineâ; niſi quà & ipſum uno atque altero promontorio in mare prominet.

Siciliæ ſitus.

IV. Porrò intervallo inter Pachynum & Peloponneſum rectè Plinius *lib. III. cap. VIII*, & hunc ſequutus Martianus Capella millia numeraverunt CCCCXL. tot enim ſunt ad proximum Peloponneſi promontorium, quod olim *Chelonides*, nunc vulgò *Capo di Torneſe* vocatur. A Lilybæo ad Africæ promontorium, quod Mercurij cognominatur, vulgò nunc *Capo Buono* vocatum, Plinius cum Martiano ponit millia CLXXX: totidemq; circiter refert Ptolemæi tabula. at re verâ ſunt haud ampliùs C. Hinc breviſſimus eſt trajectus in Africam. Strabo *lib. VI*. Ab eodem Lilybætano promontorio ad proximum Sardiniæ promontorium Carali-

tanum

tanum millia hodiè cenſentur ccxx, quot habet Ptolemæus. De Pelori ab Italiâ diſtantiâ pòſt dicetur; ubi de freto, quod eſt Siciliam inter & Italiam, agetur.

V. Singulorum laterum, totiusq; inſulæ magnitudo ab auctoribus cùm antiquis tùm novis varia indicatur. Omiſſis igitur reliquorum computationibus magnitudinem & ambitum ejus heic indicabimus, quem ipſe Cluverius inſulam hanc pede ſuo totam uno, certo, æquoq; greſſu circumiens, diligentiſſimâ curâ per loca maritima obſervavit. A Peloro ad Lilybæum is deprehendit millia cclv. A Lilybæo ad Pachynum millia cxc. A Pachyno verò ad Pelorum millia cliv. Totius igitur inſulæ ambitus terreno itinere erit millium paſſuum ıↄc. Sciendum autem, à Meſſanâ per Panormum & Lilybæum ad Agrigentum usque milliaria eſſe paullo minora iis, quæ ab Agrigento ad Pachynum & inde Meſſanam usque numerantur. hæc Neapolitani regni milliaribus ſunt ſimilia: minora autem iis, quæ per Latium, Sabinos, Umbriam, & Etruriam, omnium totius Italiæ longiſſima protenduntur. illa verò veterum Romanorum millia paſſuum ſeu lapides exæquant. Cæterùm Thucydides *lib. VI* tradit, Siciliæ ambitum octo dierum circum navigatione onerariæ navi patere.

Singulorum Siciliæ laterũ longitudo.

Siciliæ universæ ambitus.

VI. Siciliam omnium interni maris inſularum eſſe maximam, & vulgò nunc notum eſt, & jam dudum antiqui adnotarunt ſcriptores. Hactenus igitur de figura, ſitu, & magnitudine Siciliæ dictum eſt.

Sicilia omnium interni maris inſularum maxima.

Cap.

CAP. IV.

De Siculi ſoli naturâ & felicitate.

UT cœli Siculi ſumma eſt temperies ac ſalubritas; ſic ſoli inſignis ibidem conſpicitur fertilitas: quamquàm univerſa inſula uno ſolo perpetuoq; ſaxo conſtare videtur. quod etiam in pluribus ejus partibus, maximè verò ad meridiem & occidentem, ſine aliquo glebæ tegumento apertum jacet. Hodiè in extremâ inſulæ verſus occidentem parte magna conſpicitur ſolitudo. Quamquàm verè de Siculis dici hodie poſſit, quod olim de Germanis pronunciavit Tacitus *in libro, quem de eâ gente* conſcripſit: *Nec enim cum ubertate & amplitudine ſoli labore contendunt.* Multaq; nunc deſerta & vepretis, dumetisq́; obſita jacent: quæ ſi colerentur, haud minùs ingenium ſuũm cultoribus probarent, quàm quæ ſunt fertiliſſima. Verùm incolis univerſa inſula longè minùs nunc frequẽtatur, quàm olim, quum à potentiſſimis Meſſanenſium, Taurominitanorum, Catanenſium, Leontinorum, Syracuſanorum, Camarinenſium, Agrigentinorum, Selinuntinorum, Ægeſtanorum, Himerenſium, aliorumq́; in mediterraneo civitatibus habitarentur. nunc enim, præter Panormum, Meſſanam, & Catanam, reliqua opida nihil celebre habent; plerisq́ue in ruinis jacentibus: ita, uti nunc δα-ψιλὴς ἐρημία, id eſt, *larga ſolitudo,* ut Lycophronis habet Alexandra, per univerſam conſpiciatur inſulam. Fertilitatem autem ejus complures olim adnotarunt auctores. Euſtathius *in Homeri Odyſſ. lib. IX.* Iſidorus *Orig. lib. XIV. cap. VI.* Cicero *in Verr. lib. III.* Diodorus *lib. V.* Ovidius *Faſt. lib. III.*

Appu-

Appuleius *Metam. lib. VI.* Silius *lib. XIV.* Atque hanc fertilitatem tribus illis ariſtis indicare voluerunt Syracuſani in nummo, cujus typus ſuperiori capiti inſertus. Pecorum eamdem terram fuiſſe fœcundam, antiquiſſimus etiam poëta Pindarus indicare voluit *in Olymp. odâ I.* Hinc *Solis boves* in eâ ſtabulari finxit Homerus *Odyſſ. lib XII.* De ubertate hujus inſulæ omnium diſertiſſimè Strabo *lib. VI* ita ſcribit. *Siciliæ præſtantiam, ab omnibus prædicatam, qui eam Italiæ non cedere pronunciant, quid attinet dicere? Certè frumento, melle, croco, aliisq; quibusdam rebus, vel anteire eam Italiæ dixeris. Accedit & propinquitas: quum veluti pars Italiæ ſit hæc inſula: Romaq; ſuppeditet omnia ex facili, & absq; magno labore, haud ſecus atq; Italici agri. Atq; adeò penus Romæ adpellatur Sicilia; quod omnes ejus proventus, paucis demtis, qui ibi abſumuntur, Romam comportantur: non fruges dumtaxat; ſed & pecora, pelles, lana, & id genus alia.* Hinc & Cicero *in Verrem lib. II. Itaq; ille M. Cato Sapiens cellam penariam reip. noſtræ, nutricem plebis Romanæ, Siciliam nominavit. Mox verò experti ſumus Italico maximo difficillimoq; bello, Siciliam nobis non pro penariâ cellâ, ſed pro ærario illo majorum vetere ac referto fuiſſe. nam, ſine ullo ſumtu noſtro, coriis, tunicis, frumentoq; ſuppeditato, maximos exercitus noſtros veſtivit, aluit, armavit, &c.* *Solis boves.*

II. Atque hâc ſoli ſui ubertate in tantas acti ſunt Siculi delicias, in tantamque luxuriam, uti Σικελικὴ τράπεζα, id eſt, *Sicula menſa*, in proverbium abierit. Suidas. Athenæus *lib. XII.* Lucianus *in dialogo Similis & Polyſtrati.* Plato *Polit. lib. III.* Plautus *in Rudente.* Syracuſæ autem urbs, quia omnium Sicularum fuit princeps & opulentiſſima, Συρακουσία inde dicta eſt τράπεζα, *Siculorum luxus.*

id eſt, *Menſa Syracuſana*; ut habet Plato, *in epiſtola ad Dioniſ. propinquos*. Atque hæc de ſoli naturâ & fertilitate.

CAP. V.
Fretum Siculum; & Charybdis.

I.

Fretum Siculum ſeu Sicilienſe ac Scyllæum.

ANtequam ſingula Siciliæ loca, quod ordo jam poſtulat, explicemus; *Fretum*, quo Sicilia ab Italiâ ſubmovetur, exponendum eſt. Ab Italiæ igitur continente & Brutio litore, breviſſimo in Siciliam trajectu, navigatur *fretum Siculum*, compluribus auctoribus memoratum. At Ciceroni *in III de Naturâ Deorum*; *Sicilienſe* dicitur fretum. Et *in oratione pro P. Sextio*, *Scyllæum fretum*; à conterminâ Scylla. Lycophroni vocatur *Fretum Tyrrhenum*, id eſt, ut Romani ſuâ linguâ adpellarunt, *Tuſcum* ſeu *Etruſcum*. Scilicet quia Tyrrhenum mare Siculo ſive Adriatico confunditur. Hinc Oroſio *lib. I cap. II* vocatur *Adriaticum fretum*. Apollonius *Argonaut. lib. IV* adpellat *vias maris inter ſe commixtas*. quia veluti per portum heic ex Tyrrheno tranſitur in Adriaticum ſive Siculum mare; quæ maria inter ſe concurrunt & commiſcentur. Manilio *Aſtron. lib. IV* vocatur *Porta* Ionij maris. At Salluſtio, ſi Iſidoro *Orig. lib XIII cap. XVIII* credimus, dictum fuit *fretum Rhegium*; quia hoc ſpatio, ut tradiderunt veteres, antè fuerat iſthmus, quem mare perrupiſſe dicitur. Thucydidi idem vocatur *Charybdis*.

Thyrrhenũ, Etruſcum ſive Tuſcum; & Adriaticum.

Rhegium fretum.

Charybdis fretũ.

Charybdis quid & ubi.

II. Deſcribunt autem hoc fretum Siculum auctores multi. *Charybdis* etiam quamplurimis celebratur ſcriptoribus. At vocabulum χάρυβδις, ut oſtendit Strabo *lib. VI*, nihil aliud ſignificat, quàm *hiatum terræ*

vel

vel verticoſi maris, quo aquæ abſorbentur. Ejusque vocabuli etymologia iſta eſt; Εἰς χάος ῥοίβδησις· id eſt; *in hiatum ſeu gurgitem abſorbitio.* Didymus, *Homeri Scholiaſtes ad Odyſſ. lib XII.* Euſtathius *ad eumdem locum.* In ipſo freto Siculo fuiſſe hanc *Charybdim* ex auctoribus cõſtat, Strabone *lib. VI:* Euſtathio: Senecâ *Epiſt. LXXIX* & aliis. Thomas Fazellus, *Sicular. rer. decad. I. lib. II. cap. I* de *Charybdi* ita ſcribit: *Charybdis, ex parte Siciliæ, paullo ſupra Meſſanam, & à Scyllâ paſſuum millia XV ad meridiem diſcreta, mare ferventiſſimum, profundum, immenſum ac ſævum eſt. quum namq; fretum hoc duobus promontoriis gemino q; litore coarctetur: parvo primùm, mox, ſenſim paulatimq; ad meridiem aperientibus ſeſe anguſtiis, latioris maris intervallo dilatatur. quumq; non procul abſit à curvato litore, quod & Meſſanæ portum complectitur; maris aquæ in profundum ſemper per circumductiones & vortices declinantes, & modò in abruptum barathrum abeunte freto, modò cum impetu & fluctuum colliſorum fragore ſupinâ facie reſilente mari, vaſtum hiatum & immenſam voraginem conficientes, occurrunt. quæ inundationes mirum in modum per gyros & contrarios curſus navigia & obvia quæq; abſorbent, ut ne naufragium quidem ullum ibi natans adpareat. ſimul etenim, ſubſidentibus aquis, in mare navigia rapiuntur, & ad interna vi ſpiritus pertrahuntur: quumq; pari impulſu circùm undiq; agitentur; ad ima ferri, neceſſe eſt. Abſorptarum autem diſſolutarumq; navium fragmenta per multa paſſuum millia ad Tauromenitanum & vicinum usq; litus ductu ſubaqueaneo adpelluntur: ubi tandem Charybdis ipſa, quæ abſorbuerat, revomit; prout uſu ferè quotidiano experimur, & Salluſtius & Strabo memoriæ prodiderunt. Hunc locum, omnino periculoſiſſimum & naufragiis infamem,*

Charybdim Græci adpellarunt: quòd rapidè cadere lib. IV interpretatur, Thucydides. à noſtris verò Calopharum, quòd Latinè bonum ſive pulcrum lumen eſt, hodie etiam vocatur; ob id, quòd ad proximum Brachium S. Rainerij, curvum litus, altera ſit ſpecula, qua cautum præternavigaturis contra vicina Charybdis minas lumen præfigit. Hæc ſanè Fazellus videtur ad Strabonis magis ſententiam verbis ampliaſſe, quàm quòd rem ipſam edoctus ita fuerit. At ſecundum Homeri ſententiam, Charybdis ſub ipſo eſt Peloro promontorio. eaque eodem loco eodemq; gurgitis ore navigia rurſum egerit, quo abſorbet. At hoc manifeſtò falſum eſſe, ipſa ratio, quotidianaque ejusmodi in hiatibus ac vorticibus docet experientia. Verùm ipſe Cluverius, quum *Charybdis* noſcendæ gratia aliquot dies Meſſanæ ſubſiſteret; & ex hominibus ejus loci, maximè verò nautis, non Siculis modò & Italis; ſed & Belgis, Britannis, & Gallis, qui hoc fretum frequentes navigant, diligentiùs eam rem ſciſcitaretur: nihil omninò certi ab iis perdiſcere potuit, adeò ſcilicet totum negotium omnibus obſcurum & incognitum fuit. Tandem tamen reperit ille, *Charybdim*, quæ incolis patriis vocabulis dicitur *Calofaro* & *la Rema*, ſub prædictâ ad Meſſanenſem portum pharo eſſe mare rapidè fluens, atque in vertices actum: quod non ſingulis diebus ter, ut Homerus tradit, abſorbet ingenti gurgite revomitque aquas; ſed quoties vehementiori ventorum flatu fretum concitatur; maximè verò auſtro. Etenim, quum longè impetuoſior velociorq; ſit undarum fluxus ab ſeptemtrionibus in auſtrum, quàm hinc refluxus verſùs ſeptemtrioneis; ſi quando vehementioreis flatus ab auſtro exoriantur;

ea

ea ſcilicet geminata, & ſibi invicem obvia in anguſto freto vis, hinc venti, illinc fluxus, ita aquas comprimit & inter ſe collidit, ut in ſublime evehantur; rurſumque ingenti ſuâ mole ac pondere in imum dehiſcant: non tamen in tantùm, uti *interrupto nudetur gurgite pontus*; ut Tibullus ait *lib. II ad Meſſalam*, haud dubiè Homerum imitatus; quem ea de re ita reprehendit ſcholiaſtes ejus Euſtathius. *Charybdin*, inquiens, *quidem ita prorſus abſorberi, uti etiam arena & prærupta ſaxa adpareant, rurſumq; egeri, nemo eſt, qui verum eſſe tradiderit. at fictum tamen ſuſpicantur ab æſtus reciprocationibus, quæ alibi fiunt.* Cæterùm priusquàm primi illi fluctus deſidant, jam alij eâdem vi attolluntur. unde fit, uti navigia intra ſe depræhenſa & concluſa demergant abripiantque. quæ tandem in Taurominitanum litus deferuntur: non equidem per ſubaquaneos aliquos ſpecus; ſed vehementioris fluxus è ſeptemtrionibus in meridiem provolutione. quia hucusque fluxus refluxusque freti ab Vaticano Italiæ promontorio per LXX fermè millia paſſuum ſeſe extendit. Id verò periculi minoribus tantùm navigiis, quibus pleraque Italia Siciliaq; utitur, vocantq; vulgò *barcas* ſive *felucas*, evenire adfirmant nautæ noſtri Germani atque Britanni. ſuas autem naveis majores impediri quidem ejusmodi vehementioribus fluctibus, quo minus commodè progredi queant: at periculi nihil ineſſe. nec uno tantùm loco, nempe ſub pharo ad Meſſanam id accidere; ſed etiam ſub ipſo extimo Pelori excurſu ubi latus ejus auſtrinum perpetuus & immenſæ altitudinis ſub ipſo arenoſo litore monſtratur gurges. In quem locum quum auſtro flante, Panormitana incidiſſet

triremis; in orbem circumactam ac penè abſorptam fuiſſe, vixque ingenti omnium remigum, quibus inſtructiſſima fuerat, adniſu periculum evaſiſſe, narrarunt Claverio Meſſanæ quidam Hollandi, qui eâdem triremi vecti fuerant. Cæterò ex Thucydidis, *lib. II*; Pauſaniâ *in Eliacis*, Didymo *ad Odyſſ. lib. XII.* Et Euſtathio *ad eumdem Poetæ locum*, patet, *Charybdin nihil aliud eſſe, quàm totum hoc fretum Siculum, fluxum refluxumque maris patiens, ventisque vehementioribus concuſſum.* unde hodièque apud accolas ejus antiquum illud Græcorum vocabulum τὸ ῥεῦμα, quod *fluxum* ſignificat, quamvis corruptum, durat. quidpe non unius tantùm loci illius ſub pharo Meſſanenſi, ſed totius freti fluxum & refluxum patriâ linguâ vocant *La Rema.* Licèt verò multa ὑπερβολικὰ ad exaggerandam rem Homerus & alii de hoc freto, ſive de Scylla in eo & Charybdi confinxerint; tamen re verâ locus per ſe ſatis eſt formidabilis, periculoſus, & ut Mela *lib. II cap. VII* ait, adpulſis noxius; ubi gravior tempeſtas mare concitet. quidpe in tantis anguſtiis vento æſtuque, ut dictum, concurrentibus, facilè navigia vel fluctibus obrui ſubmergique, vel Scyllæ ſcopulo ac reliquis ſaxis juxtà ſitis impingi collidique poſſunt. De Charydi ita Juſtinus *lib. II*: *Nec mirum ſi fabuloſa eſt loci hujus antiquitas, in quem res tot coiêre miræ. primùm, quòd nuſquam alias tam torrens fretum, nec ſolùm citato impetu, verùm etiam procul videntibus. undarum porrò in ſe concurrentium tanta pugna eſt, ut alias, veluti terga danteis, in imum deſidere, alias quaſi victriceis in ſublime ferri videas; nunc hic fremitum ferventis æſtus, nunc illic gemitum in voraginem deſidentis exaudias. Hinc igitur fabula Scyllam & Cha-*

Charybdis eſt totum fretum Siculum.

Charybdim peperêre: hinc latratus auditus: hinc monſtri credita ſimulacra; dum navigantes, magnis verticibus pelagi deſidentis exterriti, latrare putant undas, quas ſorbentis æſtus vorago condidit. Jam ipſa Italiæ Siciliæq; vicinitas, jam promontoriorum altitudo ipſa ita ſimilis eſt, ut, quantum nunc admirationis, tantum antiquis terroris dederit; credentibus, coëuntibus in ſe promontoriis, ac rurſum diſcedentibus, ſolida intercipi abſumiq; navigia. Neq; hoc ab antiquis in dulcedinem fabulæ compoſitum; ſed metu & admiratione tranſeuntium. ea eſt enim procul inſpicientibus natura loci, ut ſinum maris, non tranſitum putes: quò quum acceſſeris; diſcedere ac ſejungi promontoria, quæ anteà juncta fuerunt, arbitrêre. Cæterùm cauſam fluxus refluxusq; in freto Siculo innuere videtur Juſtinus *lib. IV* in his verbis: *Eadem cauſa etiam Ætnæ montis perpetuos ignes facit. nam aquarum ille concurſus, raptum, ſecum ſpiritum, in imum fundum trahit; atq; ibi ſuffocatum tamdiu tenet, donec, per ſpiramenta terræ diffuſus, nutrimenta ignis accendat.* Verùm eandem hujus in freto Siculo fluxus refluxusq; rationem eſſe, quam magni Oceani, Ariſtoteles innuit *in Mirandis. Fretum*, inquit, *inter Siciliam & Italiam unà cum Lunà intumeſcit & ſubſidit.* Et idem diſertiùs adfirmat Strabo *lib. I: Ob eandem*, ſcribit, *cauſam euripos quoq; fluxuoſos eſſe inquit Eraſthenes; maximè Siculum fretum: quod eodem, quo Oceanus, modo agitari dicit. bis enim ſingulis diebus & noctibus mutare fluctum; quemadmodum Oceanus bis inundat. bisq; in ſe remeat. Exundationem quidem, aquis è Tyrrheno mari in Siculum tamquàm è ſublimiori ſuperficiè delatis, fieri fatendum eſt; eamq; æſtum deſcendentem nominari. fatendum item eodem eum tempore incipere ac deſinere, quo maris adfluxus, (incipit*

Cauſa æſtus in freto Siculo.

pit enim oriente & occidente Luna; deſinit, quum ea ad medium cœli ſive ſupra ſive infra terram adplicat) eumq; è contrario abeuntem æſtum vocari; qui utroq; Luna ad medium cœli adpulſu incipit, ſicut maris reſorbitio; & ceſſat Lunâ oriente vel occidente.

Freti Siculi longitudo & latitudo.

III. Iſidorus, *Origin. lib XIII cap. XVIII: Fretum adpellatum eſt, quod ibi ſemper mare ferveat. nam fretum eſt anguſtum & quaſi fervens mare, ab undarum fervore nominatum, ut Gaditanum, vel Siculum. nam freta dicta Varro ait, quaſi fervida; id eſt, ferventia & motum ferveris habentia. Ipſe Varro de Lat. ling. lib. VI: Dictum fretum à ſimilitudine ferventis aquæ; quòd in fretum ſæpe concurrat æſtus, atq; efferveſcat.* An igitur *freti* etiam *Siculi* eadem cenſenda eſt longitudo, qua acceſſus receſſusq; ſuprà dictæ Charybdis ſeſe extendit; nempe à Vaticano Italiæ promontorio ad Tauromenium usque Siciliæ opidum, per millia paſſuum fermè LXX. Haud ita accepiſſe veteres, ſatis adparet ex eo, quòd Plinius *lib. III cap. VIII* longitudinem ejus XV millium tantùm adnotavit. Itaque Mela *lib. I cap. I: Anguſtias Oceani, introitumq; venientis, nos fretum, Græci πορθμὸν adpellant.* Plinius *in proœmio lib. III* & Solinus *cap. XXI*, fretum Gaditanum intra *anguſtias* & *fauces* illas Oceani, quindecim millia paſſuum in longitudinem; & quinque millia in latitudinem à vico Mellariâ Hiſpaniæ ad promontorium Africæ deſcribunt. Siculi igitur freti intra *anguſtias*, ſive *limen* ſeu *oſtium*, ſive, ut Manilius vocat, *portam Siculi Tuſciq; maris* cenſenda eſt: nimirum in Italiæ latere à Scylla promontorio ad promontorium usq; Leucopetram, millium paſſuum XXIX; in latere verò Siciliæ, à Peloro promontorio, ad promontorium,

torium, quod ſub *Itála* opido è regione Leucopetræ prominet, millium XXVII. Quidpe anguſtiæ freti ab ſeptemtrioni Peloro & Scyllâ, ab auſtro Leucopetrâ & Italienſi promontorio includuntur. Summa igitur *freti Siculi longitudo* eſt XXVIII circiter millium paſſuum, *latitudo* verò, ubi minimum, inter Pelorum & Cænym, quod vulgò nunc *Coda della Volpe* dicitur, mille quingentos paſſus, ubi plurimùm, inter Italenſe promontorium & Leucopetram, XII millia patet.

CAP. VI.

Trium Siciliæ promontoriorum forma. Pelorum promontorium. Neptuni templum. Meſſana urbs; quæ anteà Zancle. Pelorias ſive Pelorus mons, qui & Neptunius: & in hoc Specula. Chalcidius mons. Eunes ſive Senes locus ſeu mons. Fauces Mylenſes & Taurominitana. Argennum & Drepanum promontoria.

I.

SEd tempus jam eſt ſingula inſulæ hujus loca, quæ veterum ſunt celebrata monumentis, exponere. Primùm igitur ora dicatur maritima: atque ante alia id inſulæ latus, quod in ortum Solis converſum, Peloro, Pachynoque finitur promontoriis. Pauca tamen de trium inſulæ promontoriorum formâ prætermittemus. Ipſæ equidem tres ἄκραι, à quibus inſula nomen *Trinacria* accepit, Latinis auctoribus *promontoria* dicuntur: at vocabulo minùs proprio: quidpe quum promontorium propriè ſit mons longiùs à reliquâ orâ in mare prominens; illæ verò Siciliæ tres ἄκραι loca ſunt depreſſa, & litore plano apertoque; humo

Trium Siciliæ promontoriorum forma.

humo *Pelorus* arenaceâ; *Pachynus* & *Lilybaum*, ſaxeâ. Penuriâ id alius vocabuli, an per errorem à Latinis factum ſit, ambigitur. Primi certè Græci per vocabulum ἄκραι non promontoria heic intellexerunt; ſed triâ illa *extrema* ſive extremitates inſulæ, longiùs in mare protenſas. Quare Pindarus τριγλώχινα dixit inſulam, id eſt, *tricuſpidem*: Lycophron τρίδειρον, *triverticem*, & Nonnus τρικάρηνον, *tricipitem*, & τρίλοφον *tricollem*. Et veram trium promontoriorum faciem ipſe jam olim obſervavit Ovidius *Metamorph. lib. III.* ubi tribus linguis in mare excurrere inſulam dixit. Et hæc de univerſorum trium promontoriorum formâ.

Pelorum promontorium. II. Fretum Siculum ſtringitur duobus promontoriis; ex Italiâ *Cany*, è Siciliâ *Peloro*. Promontorium *Pelorum* nunc vulgò adcolis dicitur *Capo di Faro*; à freto, quod vulgò vocatur *Lo Faro*: & *Capo della torre di Faro*; à turri ſeu pharo, quæ ad dirigendos navium curſus in eo excitata eſt. Mela *lib. II cap. VII*; Valerius Maximus *lib. IX. cap. VIII*; & Servius *ad Aeneid. lib. III* tradunt, *Pelorum* promontorium id nominis habere à *Peloro* gubernatore Annibalis ibidem condito. At ipſe Servius eo loco fatetur ſe legiſſe, promontorium hoc etiam ante illa tempora Pelorum dictum. Et quum neque Strabo, neque Polybius quicquam de illo Annibalici gubernatoris ſepulcro adnotarunt; certum erit id, quod Servius ait, etiam ante Annibalicum bellum dictum fuiſſe Pelorum. Imò ipſum illud ingens montium jugum, quod hinc Meſſanæ, illinc Tuſco mari imminet, dictum antiquiſſimis hujus inſulæ Græcis cultoribus fuit πελωρὶς &

πελω-

πελωειάς. à Græcâ haud dubiè voce πέλωρ, quæ *ingens* & *immane monſtrum* ſignificat: unde derivativum eſt πέλωρος, id eſt, *ingens, immanis, immenſus, monſtroſus.* A magnitudinis itaque & altitudinis argumento dictum montium jugum id nominis ſortitum eſt. *Statua* autem illa *ſpeculatrix*, ſive *Turris Pelori* nulli alii jam antiquiſſimis temporibus, unà cum adversâ Statuâ ſeu Columnâ ſive *Turri Rheginâ*, poſita fuit uſui; quam uti fretum transmittentibus litus atque locum monſtrarent; quò naves eſſent adpellendæ. Hinc etiam ipſa *Pelori turris Trajectus* alio nomine vocitata eſt. Eodem autem ſitu, quo nunc dicta turris eſt, olim etiam ſtatuam illam ſpeculatricem fuiſſe, patet ex Strabonis *lib. III* & Antonini Itinerario. Cæterùm ipſum promontorii vocabulum plerumque maſculino genere dicitur *Pelorus*, Ovidio *Metamorph. lib. XIII*; Silio *lib. XIV*; Plinio *lib. III cap. VIII*; Martiano *lib. VI*; & Straboni *lib. III.* Alioquin verò plerisque Græcis auctoribus dicitur πελωρὶς & πελωριάς, *Peloris* & *Pelorias.* Straboni etiam *lib. VI*, in deſcriptione Siciliæ dicitur recto caſu ἡ πελωειάς, & obliquis, τὴν πελωειάδα, & τῆς πελωειάδος. Græcas haſce vocabuli formationes Latini quoque nonnumquàm ſunt imitati. Cicero in *Verram lib. V*; habet *ad Peloridem.* Mela *lib. II cap. IV*; *inter Pelorida.* Ovidius *Faſtor lib. IV*; *Peloriden.* Ipſe tamen Cicero eodem libro poſteà habet *ad Pelorum*, & *ad Pelori litus*; item, *Pelorum versùs.* At *Pelorum* in neutro genere uſurpatur Melæ *lib. II cap. VII*; Servio dicto loco & aliis.

Statua ſpeculatrix, ſive Turris Pelori.

Trajectus freti Siculi.

III. Solinus *cap. XI treis in Peloro* memorat *lacus* naturæ mirandæ. quorum *unus inquit piſcium copioſus*

Lacus mirandi in Peloro.

ſus; alter ei proximus condenſis arbuſtis inter virgultorum opaca feras nutrit, & duplicem venandi piſcandiq; prabet voluptatem. tertium ara adprobat; qua, in medio poſita, brevia dividit à profundis. quà ad eam pergitur, aqua crurum tenus pervenit: quod ultra eſt, nec explorari licet, nec attingi: & ſi fiat, qui id auſus fuerit, malo plectitur; quantamq; ſui partem ingurgitaverit, tantam it perditum. Ferunt, quemdam in hac alta, quàm longiſſimam poterat, jeciſſe lineam. eã ut reciperet, dum merſo brachio niſum adjuvat, cadaver manum factam. Lacus hi etiamnum exſtant, ſalſis aquis: quos per ſubterraneos meatus mare immittere creditur. Lacuum qui minor, à Pelori extimo excurſu ad teli jactum remotus, piſcibus ſcatet. proxima autem ei virgulta, denſa atque opaca, lepores, attigines atque perdices magnâ copiâ nutriunt. Proximus hinc lacus hiberno tantùm tempore ſtagnat. Tertius, in quo quondam ara conſecrata, hodiéque tetro ſuo odore proximanteis abigit. *Ara* iſta cui deorum dearumve fuerit conſecrata, neſcitur; *Neptuni templum.* niſi *Neptuno* ſuſpicari liceat. nam *templum* in Peloro fuiſſe *Neptuni* antiquiſſimum, Heſiodus apud Diodorum eſt auctor *lib. IV*. Cæterùm Peloro monti ſubjectum litus eidem Solino dicitur *Peloritana ora*. *Peloritana ora.* à Peloro promontorio ad Onobalam amnem, qui vulgò eſt *Catara*.

Meſſana urbs qua anteà Zancle. IV. Poſt XII ab extimo Pelori excurſu millia paſſuum ſequitur in dictâ orâ Peloritanâ urbs *Meſſana*, antè *Zancle* dicta. nunc vulgari vocabulo eſt *Meſſina*; omnium totius inſulæ principatum ſibi vindicans. Memoratur antiquis auctoribus quàm plurimis. Græcis ſcriptoribus dicitur Μεσσήνη, *Meſſene*, unde opidani

Μεσσή-

Μεσσήνιοι, *Meſſenii.* At in nummo antiquo etiam reperitur Græcis literis *Meſſana*; unde Latinorum eſt *Meſſana.* & inde in aliis nummis compluribus opidani Μεσσάνιοι, id eſt, *Meſſanii.* Sed & illa Peloponneſi urbs Μεσσήνη, unde hæc Sicula nomen accepit, etiam Μεσσάνα dicitur. Apud Stephani epitomatorem legitur *Meſſene* & *Meſene* unico *S.* Promiſcuè igitur, modò gemino, modò ſimplici apud ſcriptoreis reperitur σ ſcripta. In antiquis tamen nummis omnibus geminato σσ legitur. atque ita apud Latinos conſtanter *Meſſana.* Hinc opidani ſunt *Meſſanenſes*; & à *Zancle* Græcis auctoribus Ζαγκλαῖοι, *Zanclæi.* Originem ſimul vocabuli & urbis variam tradidêre auctores, ac inter ſe ſententiis haud modicè diſcrepant. Thucydides *lib. VI.* ait, primos eam urbem tenuiſſe piratas Cumæos, ex Opicorum terrâ, id eſt, à Cumâ Italicâ. hos pulſos fuiſſe à Chalcidenſibus, & aliis Eubœæ inſulæ populis; ducibus Cratæmene & Priere. At è diverſo Pauſanias *in Meſſenicis,* hos ait primos fuiſſe illos urbis habitatoreis piratas: & abiis alios poſtmodùm nonnullos Græcorum ad ſcitos colonos. Marcianus verò cum Strabone *lib. VI,* non ex Eubœâ, ſed ab Naxo Siciliæ profectos fuiſſe iſtos Chalcidenſeis, tradunt. nam ipſi Naxii fuerunt Chalcidenſes, ex Eubœá profecti. Rurſum Thucydides ac Pauſanias ſcribunt, Samios ab Anaxilao fuiſſe ejectos, auxiliantibus novis colonis Meſſeniis. At Herodotus, ab Anaxilao Samios invitatos fuiſſe ad occupandam urbem, adfirmat. Verùm tamen potuit idem rex & auctor priùs fuiſſe iis occupandæ novæ ſedis, & item poſteà, exorto inter eos diſſidio, bello eos infeſtaſſe. Primi

autem urbis conditores cultoresque ſive Cumani ex Italiâ, ſeu Chalcidenſes ex Eubœa ſive à Naxo, quum fuerint Græci; haud injuriâ mireris, vocabulum novæ urbi non ab his Græcum, ſed ab Siculis inditum fuiſſe Siculum. Unde non tantùm ſuſpicari, ſed certo documento colligere licet, jam ante Græcorum in eum locum migrationem, urbem fuiſſe à Siculis & habitatam & conditam. Stephani epitomator ab *Zancle terrigenâ* id nominis eam accepiſſe tradit, ex quo argumento origo ejus longè antiquiſſima colligitur. A *Zanclo* verò *rege indigenâ* conditam fuiſſe & denominatam, regnatamque, Diodorus quoque Siculus tradidit *lib. IV*. Quamvis autem, quæ de portu ibidem conſtructo narrat, fabuloſa ſint, tamen ſummam urbis vetuſtatem innuunt. *Litus* verò *curvum*, quod vulgò *Brachium S. Rainerii* dictum portum includit *Zancle* dictum, à *curvitate* illa; Ζάγκλιον enim Siculis fuit *curvum*, & Ζάγκλον *falx*. A curvitate igitur hujus portus nomen accepiſſe urbem, quis dubitet? Primi ergò Zanclen urbem condidêre Siculi; ſub ipſum haud dubiè ex Italiâ in Siciliam adventum: ut in quem locum primò è navibus vel ratibus egreſſi fuerunt: quo tutum haberent receptum, ſi fortè à Sicanis repellerentur. At divus Hieronymus, interpres Chronici Euſebiani, ad annum ante bellum Trojanum IↃLXXVII hoc de ſuo inſeruit: *Hoc tempore in Sicilia Meſſana, quæ & Mamertina, conditur.* Hoc ſi verùm; certè jam non Siculi, ſed *Sicani* primi fuerint *Zancles* conditores. quibus pulſis, tandem Siculi occupaverint. Verùm nullus neque Græcus, neque Latinus tale quid tradit ſcriptor alius: niſi illud He-

ſiodi

ſiodi apud Diodorum de *Orione* & *Zanclo* rege intellexerit. Atque hàc jam ratione Meſſana omnium Sicularum urbium fuerit vetuſtiſſima. Poſtmodùm ex Italiâ Cumanorum nonnulli, piraticam exercentes, eam, pulſis Siculis, occuparunt: ut auctor eſt Thucydides. Hos poſteà Chalcidenſeis, ut idem teſtis eſt, duce Periere Chalcidenſi & Cratæmene Cumæo, ex Eubœâ inſulâ profecti ejecerunt. At, quia ipſa urbs Cumæ in Italiâ à Chalcidenſibus & Cumæis, ut auctor eſt Strabo *lib. V*, ex Eubœâ profectis, condita fuit; haud veri fit ſimile, poſterioreis Chalcidēſeis voluiſſe conſanguineos ſuos ſede ſuâ pellere: nec probabile eſt, Cumæos Italicos, quorũ civitas jam illo tẽpore per omnem Italiam divitiarum, potentiæ, cæterorumq; opum nomine erat celebris, paſſuros fuiſſe, civeis ſuos ab advenis pelli. Veriſimilior itaque fuerit Martiani ac Strabonis ſententia, qui à Naxo, Siciliæ urbe, profectos Chalcidenſeis *Zanclen* colonis novis frequentaſſe tradunt: nempe, Siculis inde pulſis. His Chalcidenſibus haud dubiè poſtmodùm viſum fuit, alios inſuper à Græcis adſciſcere colonos; nimirum, quum ipſi tenendo contra pulſos Siculos loco impares forent. Venerunt igitur, ut inquit Thucydides *lib. VI* ab Chalcide & aliis Eubœæ inſulæ locis, ducibus *Periere Chalcidenſi* & *Cratamene Cumæo.* nam Samium fuiſſe Cratæmenem, ut vult Pauſanias, minimè probabile eſt; quando ipſi poſteà Samii eâ urbe Chalcidenſeis ejecerunt, inſtinctu Anaxilai, Rheginorum tyranni, circa Olymp. LXXI. quidpe circa hoc tempus Darius, Perſarum rex, Miletum expugnavit. Mox, diſſidio fortè inter Anaxilaum ac Samios orto, quum

Meſſe-

Meſſenii, à Lacedæmoniis bello victi, relictâ patriâ novas ſedeis quærerent, ab Anaxilao invitati, conjunctis copiis *Zanclen* occuparunt; urbis nomen antiquum in *Meſſenes*, patriæ ſuæ, vocabulum mutarunt; ſub Anaxilai imperium redacti, circa Olympiadem LXXII. Diodorus *lib. XI.* Meſſanam urbem ipſi Meſſenij tenuerunt per annos fermè CC, ad Agathoclis usque, Syracuſanorum regis, exitum. tunc enim Italici generis populi eam occuparunt. iique Samnites, qui in Campaniam anteà migrarant; unde ab aliis hi adpellantur Campani, qui urbẽ jã occuparunt. Pomponius Feſtus ex Alſio quodam refert, hos fuiſſe *Mamertinos* à *Mamerte*; id eſt Oſcâ linguâ, *Marte*; ita dictos, eosque à Meſſanenſibus urbe peſtilentiâ civibus exhauſtâ, ultrò in communionem urbis & agrorum invitatos & acceptos: ac inde opidanos dictos Mamertinos. At Samnites Oſcâ linguâ uſi nusquam leguntur. Diodorus *lib. XXI* tradit, Mercenarios militeis Syracuſis pulſos, à Meſſanenſibus verò receptos, noctu hoſpiteis ſuos obtruncaſſe; ductisque illorum uxoribus, urbem ſuæ feciſſe poteſtatis; eamque *Mamertinam* vocaſſe à *Marte*, qui illorum linguâ *Mamertus* dicatur. Idem innuit Silius *lib. XIV*; Polybius *lib. I* refert; mercenarios illos fuiſſe gentem quandã Campanorum. At falſus videtur hic Diodorus, qui ait, ipſam *urbem Mamertinam* fuiſſe adpellatam; quidpe omnibus aliis ſcriptoribus conſtanter ipſa urbs antiquo memoratur vocabulo *Meſſana* dicta: cives verò ſeu incolæ *Mamertini*. eodem ſcilicet modo, ut in Etruriâ quondã in viâ Flaminiâ urbs erat, proprio nomine *Faleris*; opidani verò *Faliſci*; & item omnis eorum

Mamertini, Meſſanæ incolæ.

ager

ager *Faliſcus*. Cicero id frequenter ita uſurpat. item Polybius, Oroſius, Livius, Florus, Cæſar, Plinius &c. Atque hæc de origine Meſſanæ, ejusque variis incolis dicta ſint.

Zancle fons.

V. Zancle fons memoratur Stephano & Nonno: *Dionyſ. lib. IV:* qui verò is fuerit, incertum eſt. nam *Meſſanenſeis, qui anteà aquarum uſu, quas ex puteis & fontibus exiguis hauriebant, ſuſtentabantur, ſuâ ætate aquam à Cammari pago, duobus fermè paſſuum millibus ad meridiem ab urbe diſſito, perfoſſis duobus montibus, per ſubterraneos cuniculos in urbem adduxiſſe teſtatur Fazellus, Sicul. rer. decad. I. lib. II, cap. II.*

Peloritana ora.

VI. Urbi imminet ingens illud montium iugum, quod à Tauromitanâ regione ad mare usque Tuſcum ſe extendit: Nomen ei fuit antiquiſſimis temporibus Πελωρὶς, ſive Πελωριάς, & Πέλωρος; *Pelorìs, Pelorias,* & *Pelorus:* unde etiam ſubjectum ei litus *Peloritana* dicebatur *ora.* Idem verò jugum alio nomine, ab ſuppoſito ei in Pelori humili excurſu Neptuni celeberrimo templo *Neptunius mons* dicebatur. Solinus *cap. XI* memorat heic Speculam; quæ fortè fuerit eodem ſitu, ubi etiam nunc turris haud parvæ reliquiæ exſtant, in ſublimi inter altiſſimos monteis vertice, à ſiniſtrâ parte viæ, quà Mylas itur à Meſſana.

Neptunio mons, idem qui Pelorus.

Specula in Neptunio monte

Chalcidicus mons.

VII. Partes Neptunii montis videntur fuiſſe τὸ Χαλκιδικὸν ὄρος, *Chalcidicus mons,* & αἱ Εὔνεις, *Eunes,* ſive αἱ Σήνεις, *Senes.* Memorantur Polybio *lib. I,* & Diodoro. *lib. XXIII.* Id nominis haud dubiè mons ille accepit ab Chalcidenſibus Meſſanæ incolis. Ex auctoribus iſtis intelligitur, *Chalcidicum montem* fuiſſe adpel-

Eunes ſive Senes locus ſeu mons.

lata ea juga, quæ urbi à meridie ſive occaſu hiberno imminent: quà Syracuſas versùs itur. *Eunes*, ſive *Senes*, locus ſeu mons, ab occaſu fuit æſtivo; quà Mylas & Panormum Lilybæumque itur: unde Pœni cum claſſe profecti erant.

Fauces Mylenſes

Tauromitanæ

VIII. Eisdem duobus itineribus in eodem Peloro ſive Neptunio monte binæ *Fauces Mylenſes* & *Tauromitanæ*, ſive *anguſti tranſitus*, Appiano memorantur, *Bellor. civil. lib. V.* Ex ejus deſcriptione patet; *Fauceis Mylenſeis* in dicto Neptunio monte eas eſſe, per quas à Meſſanâ versùs Mylas ad litus usque & Malſuriti amnis oſtium VII millium paſſuum itinere tranſitur: *Fauceis* verò *Tauromitanas* eſſe ad caſtellum, cui vulgare nunc vocabulum *S. Alesſio*; V millia paſſuum ab ipsâ urbe Taurominio: ubi anguſtiſſimo, breviſſimoque tranſitu veluti per portam tranſitur promontorium, quod vulgò nunc ab impoſito caſtello dicitur *Capo di S. Alesſio*; olim autem erat *Argennum promontorium* Ptolemæus *in deſcriptione Siciliæ*. Cæterùm apud Plinium *lib. III cap. VIII* legitur *Drepanum promontorium*, quod aut corrupto eſt vocabulo ex *Argenno*, aut certè id eſt promontorium, quòd ſub *Itala* opido unà cum Leucopetra Italiæ promontorio Fretum Siculum ab auſtro terminat.

Argennū promontorium.

Drepanū promontorium.

CAP.

CAP. VII.

Taurominium colonia. Naxus. Onobala fluvius : qui & Taurominius. Fanum Veneris. Ara & ſtatua Apollinis ducis. Aſines amnis Copria litus. Marmor Taurominitanum.

I.

ARgennum promontorium proximè ſequitur celebris urbs, Græcis Ταυρομένιον & Ταυρομένειον, Latinis aliàs *Tauromenium*, aliàs *Tauromenia*, & plerumque *Taurominium* dicta. vulgò nunc incolis vocatur *Taormina*. Opidani inde ſunt Græcis Ταυρομενῖται, *Tauromenitæ*; at Latinis *Taurominitani*. Sed anteà, quum proximo loco ſita eſſet urbs, dicebatur Νάξος, *Naxus*, unde opidani Νάξιοι, *Naxii*. Memorantur ipſi & urbs auctoribus quàm plurimis. Situm eſt *Tauromenium* in arduo, aſperrimoque & adſcenſu difficili monte, ab unâ parte mare Siculum deſpiciens, ab alterâ longè excelſioreis rupeis ſuſpiciens, cui monti nomen erat *Taurus*; unde, & à *manendo*, quod Græcis eſt μένειν, opidum nuncupatum fuit *Tauromenium*. Conditum autem fuit ab Andromacho, Timæi hiſtorici patre, Olympiadis CIII anno III. Diodorus *lib. XVI.* & Plutarchus *in vita Timoleontis*. *Taurominium urbs.* *Taurus mons.*

II. Propè Taurum montem, in quo poſteà conditum Tauromenium, fuit *Naxus* urbs; nempe ab eâ mon[ti]s parte, quæ ad Catanam & Syracuſas verſus ve[rgi]t, apud flumen, quod vulgari nunc adpellatione incolis dicitur *Fiumefreddo*, id eſt, *Flumen Frigi-* *Naxus urbs.*

dum. Strabo *lib. VI.* Thucydides *lib. VI.* Antoninus *Itiner.* Errant itaque qui antiquam Naxum eodem ſitu fuiſſe tradunt, ubi nunc caſtellum conſpicitur, vulgari vocabulo *Lo Schiſo* dictum, in promontorio duobus millibus à Tauromenio poſitum. quod illi ex veterum ædificiorum ruinis, quæ illic exſtant, probare ſe poſſe arbitrantur. *Portus* videtur heic quondam fuiſſe, uti etiam nunc eſt, *Tauromenitanorum.* Citra *flumen Frigidum*, id eſt, ad ſiniſtram ejus ripam fuiſſe Naxum poſitam, patet ex Plinii *deſcriptione, lib. III cap. VIII*; & Thucydidis *lib. IV.* Eſt autem vetus in Sicilia Ἀσίνης, *Aſines* ſive *Aſinius* fluvius idem, qui hodie vulgò accolis vocatur *Fiume fredo*, v millibus paſſuum ab Tauromenio in mare Siculum frigidiſſimis & copioſiſſimis aquis defluens.

Portus Tauromenitanorum.

Aſines ſive Aſinius fluvius.

III. Inter fluvium Frigidum & Tauromenium, duobus milliaribus ab hoc, uno ab illo, alius eſt amnis, vulgò accolis nunc *Cantara* dictus, priore illo longè major. Hic ille eſt, qui Appiano *Civil. bell. lib. V.* Ὀνοβάλας, *Onobala.* Vibio verò *Tauromineus* adpellatur.

Onobala fluvius, qui & Taurominius

IV. Cæterò Ἀφροδίσιον, *Veneris templum* ſive *fanum*, cujus eodem loco meminit Appianus. fuit ad dextram ripam Onobalæ, *Apollinis* Ἀρχηγέτου *ducis aram & parvam Statuam* citra Aſinis lævam ripam, atque veteris *Naxi* locum. Thucydides *lib. VI.* Ἀρχηγέτης, ſive Doricâ dialecto, Ἀρχαγέτας dicebatur Ἀπόλλων. quia coloniæ in Siciliam deducendæ fuerat *dux & auctor.* Pindarus *Pyth. Oda. V.* ejusque Scholiaſtes. Quia igitur Apollo auctor per oraculum fuerat Theocli & Chalcidenſibus novæ in Siciliam deducendæ coloniæ

Veneris fanum.

Apollinis Ducis, ara & ſtatua

Naxiſ

Naxi; aram ei & ſtatuam, quamprimum ad inſulam adpulerunt, in litore ejus ad ſiniſtram Aſinis fluvii ripam excitarunt. Cæterùm *Veneris* hoc *templum* quando & à quibus prope Naxum fuerit conditum, nusquam facilè reperitur adnotatum. *Apollinis Archegeta aram & ſtatuam*, unà cum ipſa urbe Naxo à primâ Græcorum in Siciliam ductâ coloniâ fuiſſe erectas Tycydides tradit, cum quo etiam Strabo conſentit *lib. VI*, & Marcianus Heracleenſis *in Orbis deſcriptione*. At Theocles Athenienſis cum Chalcidenſibus ex Eubœâ inſulâ in Siciliam profectus, condidit Naxum Olympiadis XI anno I, poſt Trojanum bellum anno CCCCXLVIII. Stetit igitur ea urbs annis CCCXXXIII; donec à Dionyſio, Syracuſanorum tyranno, everteretur, Olymp. CXIV anno II, Euclide ſummum Athenis gerente magiſtratum. Diodorus *lib. XIV*. Anno demum XXXVII pòſt Andromachus Timæi pater, Naxiorum exſulum quod reliquum fuit hinc inde congregans, urbem his in proximo Tauro monte condidit Tauromenium, quam illi inhabitarunt per CCCXL circiter annos; donec ab Auguſto Cæſare, ipſis aliò translat s, *Colonia Romanorum* eò deducta fuit: teſte Diodoro *lib. XVI*; Plinio *lib. III cap. VIII* & Solino *cap. XI*. Inter præcipuas hinc ſemper ad noſtram hanc usque ætatem connumerata fuit inſulæ urbeis. Atque hæc de Naxiorum ſive Taurominitanorum origine & fortunâ.

Naxus everſa

Tauromenium, Romanorum colonia

V. De cætero litus Taurominitanum dictum fuit olim *Sterquilinium*, Græcis accolis Κοπρία, *Copria*: quod in Charybdi abſorptorum & diſſolutorum fragmenta, ad litus hujus agri Taurominitani devolvantur.

Copria, ſive Sterquilinium, litus Taurominitanum

tur. Strabo *lib. VI.* Porrò ad idem litus quum nobiliſſimum totius Siciliæ ſimul & Italiæ ſit marmor varii coloris in Peloro monte: Hiero Syracuſanorum rex, in ſtupendâ illâ domo veriùs quam navi ſuâ eo uſus eſt. Athenæus *lib. V.* Cæterùm in Antonini itinere memoratur inter Meſſanam & Taurominium, *Tamaritium Palmarum*; qui locus ex intervallis x millium à Tauromenio & xx à Meſſanâ, ad Niſi amnis oſtium fuiſſe deprehenditur.

Marmor Taurominitanũ

Tamaritium Palmarum

CAP. VIII.

Aetna mons. Templum Vulcani.

I.

POſt Taurominium & Onobalam Aſinemque amneis ſequitur *Aetna mons*; Catanæ urbi, & omni huic litori imminens. Memoratur auctoribus innumeris. Ab *incendiis* ſive *ardendo*, quod eſt Αἴθειν, dictum eſſe, quaſi Αἴθνη, poſteriores exiſtimaſſe videntur ſeculi homines; quibus non per τ, ut antiquis auctoribus, ſed per θ ſcribitur Αἴθνη, Æthna. Vulgari adpellatione accolis dicitur *Monte Gibello*; & contractè *Mongibello*. Situs autem eſt ad mare Siculum; promontorio abrupto id contingens, eſtque formâ rotundus; paullatim in ſummum deſinens cacumen: nec ulli alii jugo jungitur. ambitu ad radiceis C occupat millia paſſuum. adſcenſus ad os uſque ſive fauceis, quà brevior eſt via, per Linguamgroſſam, & Randatium opida, xx millia, quà longior & facilior, à Catanâ & vicinis locis, xxx habet. Sed quamvis ipſe Cluverius coram in ſingula fuerit curioſus; tamen ne

Aetna mons unde dictus

ne alienæ diligentiæ ac labori manus injeciſſe videretur, ea huc adponere voluit, quæ à Thoma Fazello ac Petro Bembo, qui olim ipſi in montem adſcenderunt, ſcripto edita erant. ut in promptu ſint cognoſcendi cupidis: Fazellus itaque, *Sicular. rer. decad. I. lib. II cap. IV*, ita Scribit: *Adſcenditur, quà longior & facilior via eſt, per Catanam millibus paſſuum XXX. quà & nos anno Salutis CIↃIↃXLI, VI Kalend. Auguſti inſcendimus, Porrò adſcenſus in treis ab accolis regioneis dividitur; pedemontanam, nemoroſam, & apertam. Pedemontana regio à Catanâ & litorali orâ paſſuum millia XII ad cœnobium divi Nicolai de Renis atollitur. Ad radiceis circumquaque opidis & urbibus, Catanâ, Tauromenio, Calcabiano, Linguagroſſâ, Caſtroleone, Francavillâ, Rocellâ, Randatio, Bronte, Adrano, Paternione, & Mottâ, nobilitatur. Incolitur præterea, quà meridiem & occaſum ſpectat, plurimis & magnis pagis, qui communi vocabulo Catanenſium vineæ adpellantur. Soli camporumq; facie tota fermè hæc regio tophaceâ eſt, aſperrimisq; ac combuſtis lapidibus horrida; quos ab initio & avi quoq; ſucceſſu Aetnæus ignis, recenteis ſuper veteribus adjiciens, evomuit. Verùm ex concoctis jis lapidibus, quos Catanenſes barbarâ voce Xaras adpellant, quum naturâ pingue aliquid habeant, temporis vi confractis & in fruſta deciſis, velut excrematis lignis, arenoſi fiunt cineres & præpingues; qui feraciſſimam reddunt tellurem. Hinc tota amœna eſt, & vinetorum domeſticarumq; omnis generis arborum multitudine ac ſingulari virtute fœcunda. Spatioſi quoq; tractus, qui ſunt in eâ, latiſſimas ferunt ſegeteis. Adeò præterea pabuloſa adparet, ut pecuariis, niſi ex auribus frequenter ſanguis extrahatur, ipſa ſatietas ſit periculo. Fonteis habet circumquaque perenneis, & perpetua flumina; licet ignis* *Aetnæ fertilitas*

eges-

egeſtaq; molium fluenta multos fonteis & involuerint & obruerint penitus. Terminatur hæc demum regio, ut diximus, ad divi Nicolai de Renis monaſterium. Proxima hinc, quæ media eſt ſilveſcens, X circiter millibus paſſuum ſcanditur. In eâ, cœnobio egreſſis, Xara & lapides molares nigri & horridi ad lævam ſtatim occurrunt: quos anno Salutis CIↃIↃXXXVII exundans incendium per propinqua loca profudit. Subinde nemus ſequitur, abietibus, fagis, pinetisq; frequens, vaſtum, arduum atq; invium propè viatori iter præbens: quidpe in quo nulla humano pede trita ſemita adpareat. Per hoc nemus, cælum ipſum tangens, perq; invia loca iter intendimus, ubi omnia vaſta, muta, & adeò deſerta erant, ut vel ipſa ſolitudo inſuetos terruerit animos. Tota hæc regio extremâ aquarum penuriâ laborat. in eâ aliquot vidimus ora, in fornacis maximæ rotunditatem, ex quibus aliquando fluenta eruperunt ignea, cinerum lapillorumque ſqualentium congerie cincta. plurimos præterea nemoroſos & editos offendimus colleis; quorum cacumina voragineis, licet ſilveſcenteis, exhibebant. eos veterem eſſe materiam, ex viſceribus montis olim proditam; poſtremi profluvii hiatus, qui ſimilem ferè formam enatasq; recens habebat arboreis, arguebat. Adſcendit ea regio paſſuum millia ferè XII. quæ per hiemem tota nivibus obſita, extremisq; frigoribus riget. per æſtatem quoq; nullâ ſui parte nec canitie nec gelu caret. quod equidem admiratione dignum eſt; quum vertex incendia propè ſempiterna jugi flammarum eructatione inter niveis ipſas pariat, enutriat, ac continuet. Hanc regionem per aliquot paſſuum millia ingreſſis, mons ingens, Aetnæ veluti progenies, à fronte nobis occurrit; quem Dorſum aſini patriâ linguâ monticolæ adpellant. quo ad dextram relicto, falcato itinere per duo fermè milliaria progreſſis, mons alter,

cui

cui à frumento nomen eſt, ad lavã impendens adparuit. Inter hos monteis vallem ſubivimus. quæ quũ aquarũ eſſet indiga; equos, præ ſiti languenteis, nivibus, quæ ſub arenis ubiq; latebant; effoſſis refecimus. Unde quum clivus & ad ejus verticẽ ædificii effigies eminus nobis occurrerent; levi eò adſcenſu provecti, veſtigium vetuſtiſſimi fornicis lateritium totum deprehendimus. heic itaq; tametſi audax & temerarium ac rariſſimo vix antè exemplo cognitum facinus non ignoraremus, præcipitante veſperâ ſub dio noctem ſolicitam ducere coacti, ingentem lignorum, quæ in eum uſum cauti è ſilvâ convexeramus, ſtrue incensâ, pyram exſtruximus. deinde raptim cœnati, inter noctis tenebras æternos illos ac terribileis ſummi verticis igneis, qui ad paſſus propè CC ſupra nos emicabant, liquidò intuiti ac diſtinctim contemplati, irrepente paulatim ſomno opprimimur. Illuceſcente verò duos viæ comites, qui frigore inter ſoporem penè obriguerant, ſemimortuos offendimus; equosq; diruptis noctu vinculis, per montis declivia ad loca temperatiora ſalutem ſibi quæſiviſſe. Amiſſis equis reliquum iter, ad faſtigium uſq;, pedibus conficere oportuit. Duce igitur prævio in parvam vallem deſcendimus: quam, quòd ex liquefactis in alto nivibus decurrens ibi ſtagnet aqua, ſummaq; totius montis ſubſit tumulo, Lacum adpellant. Inde ad lævam deflexi, jugum ipſum invadimus. cujus adſcenſu maximè arduo, & hinc ſalebris impedientibus, illinc profundis arenis retardantibus pedesq; noſtros retro quandoq; referentibus perdifficili, quum IϽ paſſuum vix ſit altitudinis, duæ fermè horæ nobis conſumtæ ſunt. tandem, ſuperato vertice anhelantes aliquantiſper in ſponda conſedimus. Heic Sol ſubter nos mundo oriri viſus eſt. hinc Siciliam omnem contemplati ſumus. fretum & univerſa Calabriæ ora adeò ſub oculis jacebant, ut manu poſſe tangi viderentur.

ventur. Calabriæ montes, non littorales ſolùm, ſed mediterranei etiam, quin imò & Neapolitani, vicinæq; inſulæ, non temerè ſereno tum cœlo æſtimati ſunt. Hoc itaq; jucundo adſpectu aliquamdiu refocillati, ulteriùs ad ea, quorum ſtudio inſanum hunc laborē ſubieramus, perluſtranda perreximus. Ibiq; inprimis planities, arenis paſſim ſtrata, crebriſq; interſecta rimis, è quibus exilis fumus exibat, oblata eſt, in cujus medio hiatus maximus & vorago ingens, Crater à veteribus adpellatus, ambitu paſſuum millium fermè quatuor patet: qui, ſuperiori ore latiſſimus, paulatim ad profundum uſq; ſe coarctat. ex eo nebuloſa incendia tanta exhalabant, ut ab interiori adſpectu impediremur. Cæterùm quum ea non continuè, ſed per intervalla quædam erumperent; captatâ interſtitiorum occaſione, reptantium more ad crateris labium prolapſis, profunditus intuendi copia fuit. Nihil tamen nec tum quidem, præter horridam voraginis formam, & latera ejus exeſa, ac diverſis rictibus ignivomis depicta, & ſulphureâ incruſtatione delibuta, cernere potuimus. Quum verò renovatum incendium vireis reſumſiſſet; inter fumum ipſum flammas modò craſſas modò puras exſpirari animadvertimus. Sed, remiſſâ poſt materiâ, caligineq; ceſſante, iterum intentius & oculis & auribus in hiatum demiſſis, ſimulatq; inſtar immenſæ ollæ, igni maximo adpoſitæ, ſubterraneum in eo ſonitum bullienteiſq; fervoreis ac gementeis intus cavernas percepimus; timor ſimul nos horrorq; adeò vehemens invaſit, ut, veluti jam jam diſſipandi, repentè ora retulerimus; exſecratiq; veſanū itineris conſilium, confeſtim, quà adſcenderamus, ſumus regreſſi. In eâ altiſſimâ montis ſuperficie, totâq; ejus plagâ, nullas vidimus Xaras lapideis vel molareis; quippe qui eò altè inſcendere vel vi extolli ob materiæ gravitatem nequeant. quæ interim inferiùs vel no-

Crater Aetnæ

vos

vos hiatus ſibi aperit, vel è veteribus erumpit. Ex unico verò & commenſo verticis cratere vel ignis ipſe, vel fumoſa caligo, vel cinis, vel aliud hujusmodi live genus efflatur. ex quo etiam anno Salutis CIↃIↃLIV, quo hoc opus in manibus verſatur, conſumtâ jam materiâ, nihil emergit. Neq; quispiam hæc noſtra legens reprehendat, ſi aliqua ex parte à Strabone, Plinio & aliis auctoribus, qui de Aetnâ ſcripſerunt, diſſentiant: quum, & ipſo Strabone teſte, & rei uſu adprobante, facies hæc montis ſuperior mutationem ab igne frequenter recipiat. nam aliquando illius vertex flammarum globos evomit; igniti interdum fluunt rivi; quandoq; flamma, fumo caliginéq; obducta, ardenteis eructat lapideis, nunc demittitur, nunc verò incrementa ſuſcipit. idcircò priſca quædam in huncusq; permanent diem: plura ſunt immutata; pleraq; recens edita. nam & anno Salutis CIↃIↃXXXVII cacumen montis ſupremum, quod ſupernus ei erat vertex, in voraginem ipſam decidit, & ambitus factus eſt, amplior, & Aetna demisſior. Perluſtrato ita montis vertice, & ejus ignibus exploratis, lapillos ſubnigros, ſulphuris incruſtationem habenteis, quos crater emiſerat, nobiscum ferentes, Catanam ſumus regreſſi. Hactenus Fazelli verba. Nunc Bembum etiam audiamus: qui à Taurominio per Randatium opidum adſcendit. Is igitur in dialogo, quem de hoc monte conſcripſit, ita tradit: *Ipſa Aetna radiceis ſuas ferè in orbem deducit; niſi ſicubi orientem & meridiem verſus promiſſo clivo paulliſper extenditur. Calebs degit; &, nullius montis dignata conjugium, caſtè intra ſuos terminos continetur. Circuitur non minùs quàm centum millibus paſſuum. adſcenditur ferè per viginti, quà brevior via. Imi colles ac omnis radicum ambitus per opida & per vicos frequens incolitur: Baccho, Pallade, Cerere feraces terræ, armento-*

rum omnis generis ſuprà quàm credas feraciſſima. Heic amœniſſima loca circumquaq;: heic fluvij perſonantes; heic obſtrepentes rivi; heic gelidiſſima fontium perennitates; heic prata in floribus ſemper & omni vernâ die: ut facilè quilibet puellam Proſerpinam hinc fuiſſe raptam putet. heic arborũ multijugæ ſpecies; & ad umbram creſcentium, & ad fœcunditatẽ. Medius mons, nunc variis arboribus latè ſilveſcit, & præcipuè pinus & fagis; maximam in magnitudinem multitudinemq; creſcentibus; nunc nudo latere arabiles in plagas extenditur; & ſæpe uſq; ad imum deſcendit: frumentis adeò fœcundus, ut credita nonnunquam centuplam ſegetẽ cultoribus ferat. Et poſteà: Superior itaq; montis pars (nam jam de iis, quæ infrà ſunt, diximus) uſq; ad ſummum cacumen nuda, variam faciem oſtendit. nam alibi ſemiherboſi tractus ſunt, interſurgentibus tophis; qui etiam in pedemontanâ regione paſſim viſuntur: alibi per ſumma ora exundans incendium ſaxis fluentibus, totas plagas occupavit; alibi arenarum campi magnam in longitudinem & latitudinem extenduntur. In ſupremo crateres duo ſunt. quorum alterum, qui quidẽ inferior eſt, ipſi vidimus, in putei rotunditatem anguſtũ, emiſſis veluti geminâ ſpondâ circumquaq; ſaxis, tùm exuſtis, tùm verſicoloribus. atq; hunc lapidea planities ambitu anguſto cõtinet. Quò ut primum inſcendimus, ſulfureis ſtatim nebulis & fœtenti fumo, veluti è fornace percuſſi ora, penè retulimus gradum. mox, increſcente audaciâ, qua ventus perflabat, paullatim ingreſſi, craterem ipſum tetigimus manu. Effundebatur inde, tamquàm ex camino, fumus; non intermiſſâ exhalatione. is tamen etiam ſciſſâ per longa incendia montis cute, ventis intus furentibus, qui eo die vehementes fuerunt, multis in locis ſibi faciebat exeundi viam. interdum quoq;, repente ipſis ſub pedibus exſiliens, manere nos uno in loco non permittebat. Quin etiam illud accidit, ut, quẽ locũ maximè contemplaba-

mur, quòd erat ſaxis nuper effuſis & adhuc ignem & ſulfur retinentibus, incruſtatus; per hunc, qua parte conceſſerat in rimam, ſubitò effluxerit igneus rivus; ac pedes ipſos inter emiſſa ex rivo ſaxa urentia proſilirent. quorum duo quũ refrixiſſent, quæ manu capi poterant, Meſſanam deportavimus ſulfuris partem ſervantia, cætera ſubnigra. Sed illa planities, de qua modò dixi, ita tamen perurebat ipſa, ut admotæ ſolo manus, niſi extemplò retuliſſes, offenderentur. pedes duplici calceamento, ita propter adſcenſus difficultatem comparato, tuebamur. Ab eo cratere, quem dixi, mons per funda jactum inſurgit, adſcenſu difficillimo; partim ſalebris impedientibus, partim tardantibus arenis: & clivus ſtatim etiã omnibus ex partib⁹ impendebat. Is univerſi corporis vertex ſummus eſt: &, tanquàm in urbem arx domina, ſic ille in montem prominatur. Ab ejus inſcenſu detinuêre nos potentiſſima vis ventorum & exhalantes fumi. Itaq; de illo referre quidem aliud nihil poſſum, niſi quæ ab urbano Monacho accepimus poſteà, Meſſanæ quum eſſet; homo ille quidem ſpectatæ fidei, atq; harũ rerum cupientiſſimus ſciſcitator. is enim paucos ante nos dies per ſummam tranquillitatem totũ verticem perluſtraverat. Ajebat igitur ille, verticem illum eſſe ab ingenti cratere occupatum, ambitu circiter XXIV ſtadiorũ: eumq; non usq; in imum deſcendere eodem hiatu; ſed alvum ſibi intus paullatim adſtringere, eatenus, quoad in ejus medio ad evomenda montis incrementa ſatis amplo ore foraminatur. tùm eſſe in ſummâ montis coronâ parvum tramitem ubi pedes firmentur. ex eo ſi quis declinaverit; aut in craterẽ [illegible] aut è monte deturbari. ſtetiſſe tamen ſeſe ibi dum bar[illegible]rum explorares. Eructaſſe tũ montem magno ſtrepitu incendia caliginoſa & urentes petras, ſupra os, quantũ ſagittâ quis mitteret. inſurgentes. atq; cũ veluti corpus vivens, non perflaſſe ſemper,

ſed, emiſſâ ſemel animâ, ceſſaſſe diuculè, dum reſpiraret. tum ſe copiam intuendi habuiſſe quæ vellet. mox reſpiraſſe iterum atq; iterum pari intervallo usquequaq;. Intereà ingemere intus cavernas auditas; intremere etiam tonitruis montem ſub pedibus, magno & formidoloſo iis, qui aderant, horrore. ex quo illud mirum videtur, quòd, qui tum ſtrepitus per tranquillitatem ſentiebantur, eorum à nobis nihil auditum ſit in tantâ ferociâ ventorum. Et aliquanto pòſt: *Pleno jam partu maturior eſt omnis fœtus, quicumq; in Ætnæ matris utero coaleſcit, niſi parientis expellitur & ejectatur, quacumq; priùs rimam invenerit, aut viam ſibi paraverit vi ſuâ. ſæpe tamen exit ex eo cratere, quem ipſi vidimus: numquam ex ſuperiore: quòd vel eò inſcendere gravis materia non queat; vel, quia inferiùs alia ſpiramenta ſunt, non ſit opus. Deſpumant igitur flammis urgentibus ignei rivi, pigro fluxu totas delambentes plagas. Ii, paullatim recedente calore, priorem ſibi naturam repoſcentes, in lapidem induréſcunt, fragilem ſanè, flammis enervantibus, &, ſi contrectas, putrem. Stat ea confluvies, veluti glacies, concreta; usq; dum alteri deſcendant rivi. ij namq; non ſupra fluunt; ſed inter montis arenoſam cutem & priora concreta fluenta inſinuantes ſeſe, curſum ſibi medium quærunt. Sic, quæ priùs induruerant quia friabilia ſunt, ut dixi, novis incendiis cedentia crepant; & in parteis disjecta proſiliunt, quàcumq; unda deurgens interfluit. deinde conglaciantem eam altera ſubit illuvies: atq; ipſa tantundem f[illegible]um altera item, & altera. non enim continuato fluxu [illegible]s, ſed per intermiſſos ſpiritus, ut ſuprà commemoravimus, eructatur. atq; itaq; noviſſimis ſemper vincentibus, multiplicatoq; in immenſum incendio, ex igneis fluminibus fracti lapides altiſſimo congeſtu magnam montis par-*

partem occuparunt, atq; ii quò recentiùs fluxêre, eò nigriores ſunt & firmiores: ætate & palleſcunt & reſolvuntur. Inde ego eſſe arenarum plagas omneis, quæ circa cacumen viſuntur, exiſtimo. Materies omnis aridiſſima eſt; atque ideò minùs multo, quàm vivi lapides, ponderoſa: ſcabra adeò, ut brevi morâ, tanquàm à limâ, conſcendentium calcei exedantur. Ea infra parvum craterem circum versùs totum montem complexa eſt; & tumulum eum, in quo major crater eſt, ſuſtinet. Demittitur inde alicubi per intervalla imum in montem obliquis fluxibus; quàq; Catana jacet, usq; in mare: lata ſæpe, quà viſus patet: horrendum ſanè ſpectaculum; modò alveis hiantibus, modò impendentibus ripis. Exiguo pòſt: *Reptare per eas crepidineis, quas dixi, duobus millibus paſſuum, neceſſe eſt, quemvis craterem viſurum. reliquum iter in equis conficitur. Reptationis ejus labor, haud facilè credas, quàm durus eſt, quamq; indigens virentis genu. quippe, quia, degravante viatore, temerè ingeſti lapides concedunt: &, in aſcenſu maximè arduo, ni probè poſueris pedem, dimoto uno, tota congeries devolvitur, & in te ipſum ruit. adde, quod, etiamſi in plano cecideris, lædunt ſcabritie ſuâ, & manus crebro contactu, niſi contexeris, atteruntur. Ex ſummo vertice contemplari totam inſulam licet. termini ejus longè eſſe multo minùs videntur, quàm ſunt. Brutia ora ita tibi ſub oculis jacet, ut eò poſſe trajicere penè quidem jactu lapidis putes. Serenâ tempeſtate Neapolitani etiam tractus æſtimantur. Nivibus per hiemem ferè totus mons canet. Cacumen neque per æſtatem viduatur.* Hactenus Bembus: qui ante Fazellum montem conſcendit. Strabo *lib. VI* eundem Ætnam deſcribit; ſed paullo ab his diverſa narrat; ac negat ad Craterem quemquam accedere poſſe, ad quem tamen Bembus & Fazellus auſi ſunt acce-

accedere, in eumque introſpicere & manibus ſuis tangere. Quidam tradiderunt, Empedoclem in cratere illo interiiſſe, ac veſtigium ſui caſus reliquiſſe alterum calceorum, quos geſtabat æreos. Strabo dicto loco; Diogenes Laërtius *in ejus vitâ*. Cæterùm figura Ætnæ eſt procul inſpicientibus à meridiè, quà à Pachyno Syracuſas, Leontinos & Catanam itur, ea, quæ in tabulâ chorographicâ expreſſa eſt: fumusque è duobus crateribus perpetuò iis montis regionibus, quæ conſignatæ ſunt, emergit ſereno cœlo candidiſſimus, inſtar nubis. ignes nulli adparent, niſi majori aliquo incendio erumpente. Lapideis inde ejectos per LX millia paſſuum ab utrâque Catanæ urbis parte, viâ publicâ inveniſſe ſe teſtatur Cluverius, quà à Leontinis itur Taurominium. ubi, ſpecie magnarum aſperarumque rupium, ſpectaculum transeuntibus præbent fœdum, triſte atque horrendum. Fertilitatem autem & amœnitatem ad eumdem montem ſe conſpexiſſe ait tantam, quantam nullibi aliàs in totâ inſulâ. Sed de fertilitate horum locorum, ſimulque de lapidibus etiam tradit Strabo dicto jam loco.

Ætnæ duo crateres.

Ætnæ fertilitas.

II. Haud abs re fuerit, hoc loco indicare, quæ incendia Ætnæ, quibus temporibus facta fuerint. Primum, quod memoriæ proditum, incendium contigit, ante Trojanum bellum & Siculorum ex Italiâ in hanc inſulam tranſitum; quum Sicani univerſam inſulam incolerent. poſteà verò quum montis incendium complureis annos per regioneis illas graſſaretur, & tractus haud modicos vaſtaret; incolæ deſertis orientalibus inſulæ partibus, in occidentaleis transmigrarunt. Poſt multas verò ætateis Siculorum gens, ex Italiâ

Ætnæ montis varia incendia.

I.

ex Italiâ cum univerſis familijs in inſulam hanc tranſgreſſa, relictum à Sicanis agrum occupavit. Diodorus *Lib. V.* Deinde alterum, & primum à Græcorum in Siciliam adventu incendium contigit *Olympiadis XI. anno I.* Ab adventu, illo alterum incendium; verùm II.
aliàs tertium factum eſt *Olympiadis LXXV anno IV.* Inde III.
ſequutum eſt quartum *Olympiadis LXXXVIII anno II.* IV.
Thucydides *lib. III.* Diodorus *lib. II.* Quintum in- V.
cendium factum eſt *Olympiadis XCVI anno I.* Diodorus
lib. XIV. Oroſius *lib. II cap. XVIII.* Sextum verò Cn. VI.
Cæpione & C. Lælio Coſſ. *ab urbe Româ IↃCXIII.* Iulius
Obſequens, *in Prodigiis.* Septimum Servio Flacco, VII.
& Q. Calpurnio Coſſ. *anno urbis Romæ IↃCXVIII.* Iul.
Obſequens: Oroſius *lib. V. cap. VI.* Octavum incen- VIII.
dium ortum eſt M. Aemilio, L. Aurelio, coſſ. *anno Vrbis IↃCXXVII.* Idem Obſequens, & Oroſius *dicto lib. V. cap. X.* Nonum verò Cn. Domitio Aenobarbo & IX.
Fannio Strabone Coſſ. *anno Vrbis IↃCXXXI.* Oroſius *eiuſdem libri cap. XIII.* Ita intra xix annorum ſpatium
quater Aetna exarſit. Hinc Decimum ab his conti- X.
git montis incendium, quod præceſſit bellum inter Cæſarem & Pompeium magnum. Petronius Arbiter
in Satyrico. Vndecimum verò eſt id, quod præceſſit XI.
mortem C. Iulij Cæſaris. Virgilius *Georg. lib. I.* Ser-
vius. Duodecimum memorat Appianus *Bellor. ci-* XII.
vil. lib. V. in hiſtoriâ belli, quod Auguſtus Cæſar in
Siciliâ adverſus Sex. Pompeium geſſit. Decimumter- XIII.
tium habet Suetonius *in vitâ Caligulæ.* Proximum hinc
& Decimum quartum incendiũ adnotatum reperitur XIV.
in vitâ divæ Agathæ Catanenſis: ubi ſub Decio imperatore, *anno à nato Christo CCLI, Nonis Februarii* mons

Aetna ignem eructaſſe traditur. Inde verò Decimum
XV. quintum ex Siculis annalibus refert Thomas Fazellus *decad. I. lib. II. cap. IV.* quod contigit *anno Chriſti CIↄ CLXIX, Pridiè Nonas Februarii.* Ac deinde aliud *anno Chriſti CIↄCCCXXIX, IV. Calend. Iulii*; quod fuerit
XVI. Decimum ſextum incendium. Itaque Decimumſepti-
XVII. mum contigit *anno Salutis CIↄCCCCXLIV.* Inde aliud atque ingens memorat Fazellus, *quod per XXVIII ferme paſſuum millia uſque ad mare pervaſit, atque ingentem portum, cujus Homerus, Virgilius & Plinius meminerunt, ita implevit, ut hallucinatos poëtas plerique ſint arbitrati*, quum nulla prorſus vel ſtatio ibi hodiè adpareat. Idem incendium quoque memorat Bembus in dicto dialogo, quem de hoc monte conſcripſit; quod fue-
XIIX. rit Decimum octavum. At Decimum nonum con-
XIX. tigit *anno Chriſti CIↄ IↄXXXVI, IX Calend. Aprilis*, quod quum viderit Fazellus ipſe; ejus huc tranſcribemus verba *Hactenus*, inquit ille, *ab aliis accepta jam, quæ ipſi viſu ſumus adſequuti, commemoremus. Aetna quum, deficiente jam materiâ ſulphureâ & bituminosâ, vel obſtructis meatibus, nec ignem nec fumum per plureis annos emitteret; accolæ, ejus cacumen adſcendentes illaſi craterem etiam ipſum penetrabant. Sed inconſtans hæc manſuetudo fuit, anno ſiquidem Salutis CIↄ IↄXXXVI, IX Calend. Aprilis, flante auſtro, & ſole ad occaſum vergente, nubes atra montis apicem operuit; & inter eam rubor emicuit. tum repentè ex ipſo cratere ignei torrentis vaſta vis erupit; paullatimq́; in modum fluminis, magno montis murmure ac terræ motu defluens, in orientem verſus deſcendit; lacumque, cujus ſupra in deſcriptione meminimus, illapſus, magnam ibi reperſam lapidum congeriem liquefecit. quæ ſupra Randatium*

oppidum

opidum præcipiti, ſed falcato, volumine decurrens, ovium greges & animalia pleraque obviantia ſtatim demerſit. Ex eodem quoque ſummo montis cratere mirum ac horrendum viſu profluvium igneum occidentem verſus ſupra Brontem & Adranũ opida eodem tempore effluere cœpit. liqueſcentes enim lapides ſulphurei ac bituminoſi, vi ventorum depulſi, lento fluxu & intermiſſo, veluti ferrum candens, decurrebant: &, qui primùm defluxerant, ſenſim amiſſo calore in priorem naturam ac materiam ſubnigram indureſcebant. pòſt rivus alter igneus deſcendens, non ſupra priorem fluebat; ſed inter ipſius arenoſam cutem & priorem ignem jam concretum immiſcens ſeſe, curſum mediũ ſibi ſuâ vi faciebat: ita, ut & cutis ſuperior ſuperficies prioris æquè eſſet dura. qui verò ignis recens erat, ſubterfluebat, inſtar teſtudinis, quæ ſub teſtâ durâ vivens, lentè tamen graditur. ita fluenta, quæ priùs induruerant. novis cedebant: à quibus in parteis diſiiciebantur. Noviſſimis itaque ſemper vincentibus, multiplicabatur incendium ad latitudinem ſtadii unius, profunditatemque cubitorum circiter XII. Quumque totum refrixiſſet profluvium; lapidum molarium congeriem ab ore crateris ad terminum uſque fluxus ſubnigram recens eructatam perpetuò reliquit. Ita lapides ipſi in eodem colore perſeverant, quo defluxerant. ſed quò recentiores, eò & nigriores & firmiores. proceſſu enim ævi & palleſcunt & in arenas reſolvuntur: Erat autem profluvii materia ſulphurea & bitumine mixta. Hæc quidem mira. ſed, quæ proximo anno obtigerunt, mirabiliora. Anno namque Salutis CIↃ IↃ XXXVII, Calendis XX *Maij, Sicilia totâ diebus fermè XII tonare cœpit; crebriq́; ſonitus ac ingentes, quales ex tormentorum bellicorum ictibus edi ſolent, & graviores quoque, non ſolùm Catanæ & vicinis agris, ſed Panormi quoque, Drepani, Lilybæi, Sac-*

ca, Agrigenti, & totâ propè inſulâ, ſunt audití. è quibus parvo terræ motu facto, demerum concuſſa tecta ſimul & parietes nutabant. Hi ſonitus mugitusque quum increbreſcerent; III. Idus Maij in Aetnâ hiatus quidam inſoliti ſunt aperti; è quibus tanta ejusdem materiæ igneæ moles eſt egeſta, ut quatriduo, XV millium iter conficiens, obvia quæq; ſternendo exuſſerit; ac ad cænobium uſq; divi Nicolai de Arenis defluxerit. ubi conglobata, monaſterio intacto, Nicoloſum & Monpelerium pagos adorta, plureis eorum domos exuſſit obruitque. Crater montis ſupernus, non multo pòſt tantam ſubnigri cineris per triduum molem efflavit, ut non modo mons ipſe ac finitima, ſed ad Pelorum ac Pachynum, quin imò & Calabriæ Conſentiam usque, interjacentia opida cineribus operta, maria quoque adeò ſint circumfuſa, ut CCC paſſuum millibus à Sicilia diſtantes naves à ventis ferentibus latè cinere ejecto fœdata ſint. Aetna deinde quum cineres evomere deſiit, magno fragore ac fremitu mugire cæpit. & inter mugitus ipſos ſummus montis apex abruptus, à cratere ſuperno abſorptus eſt. Nam ætate meâ clivulus à crateris orificio per paſſus fermè centum inſurgebat, undique præciſus: qui totius montis ſupremus erat vertex. quo tum intra voraginem palam abſumto, Aetna factus eſt demiſſior. Sed quum poſteà Bronttagerem; opidani ſeniores, fide digni viri, (quippe qui rem ipſam viderant) retulerunt, hunc ipſum clivum non olim Aetnæ fuiſſe verticem; ſed, ab eo, anno Salutis CIƆ CCCCXLIV, poſtremo profluvio ejectum, crateris ori inhæſiſſe. Atque hæc fortaſſe prolixius repetiimus, quàm huic loco par erat. Verùm res, omni ævo omnium ſcriptorum monumentis celebratiſſima, digna viſa eſt, quæ curatiùs, clariùſq; cognoſceretur. Incendium igitur factum anno Chriſti CIƆ IƆ XXXVII. Calendis

Maij,

Maij, cujus heic quoque meminit Fazellus, fuerit viceſimum. Tot memoriæ prodita leguntur montis incendia.

III. Reſtat nunc ut cauſas horum Aetnæ incendiorum ex veterum auctorum monumentis aperiamus. Ac primùm quidem poëtæ fabulis eas tribuerunt. nempe, quia in ignem protruſum Typhonem, ſive Enceladum, id eſt, Satanam, Deo omnium rerum conditori ac domino rebellantem, antiquiſſima illa tradebat gentium Theologia; quævis loca, ignem eructantia, tartarum eſſe, aut tartari ſpiramenta & caminos, crediderunt: quod docuit Cluverius *Germ. lib. I, cap. XXXI.* Hyginus *Mytholog. cap. CLII* ita tradit: *Tartarus ex Terra procreavit Typhonem (alij adpellant Enceladum) immani magnitudine, ſpecieque portentosâ; cui centum capita draconum ex humeris enata erant. Hic Jovem provocavit, ſi vellet ſecum de regno certare.* Jovis fulmine *ardenti pectus ejus percuſſit. qui quum flagraret, montem Aetnam, qui eſt in Sicilia, ſuper eum imposuit, qui ex eo adhuc ardere dicitur.* Eadem de Typhone iſto ſeu Encelado tradunt Pindarus *Pyth. Odâ I*; Philoſtratus, *in vita Apollonii lib. V. cap. VI*; Orpheus *in Argonauticis*; Virgilius *Aeneid. lib. III*; Valer. Flaccus *Argonaut. lib. II.* Apollodorus *lib. I*; Ovidius *Faſt. lib. IV*, *& Pont. lib. II. eleg. X*; Silius Italicus *lib. XIV*; Statius *Thebaid. lib. III*; Claudianus, *de raptu Proſerpinæ lib. I*; & *in carmine, quod de Amphinomi & Anapij, piorum fratrum, ſtatuis compoſuit*; Quintus Smyrnæus *Troïcorum, lib. V.* Maximè omnium graphicè Ovidius *Metamorph. lib. V.* Cornelius Severus, *in poëmate, quod de hoc monte conſcripſit.* At veras incendiorum cauſas aperire voluit Servius *in*

Cauſæ incendiorũ Aetnæ montis.

Aeneid. lib. III. Sunt, inquit, *terræ deſudantes ſulphur; ut penè totus tractus Campaniæ, ubi eſt Veſuvius & Gauri montes: quod indicat odor aquarum calentium. Item, novimus, ex aquæ motu ventum creari: eſſe etiam concavas terras. Aetnam verò conſtat, ab eâ parte, quâ Eurus vel Africus flant, habere ſpeluncas & plenas ſulphuris & ad mare deductas. Hæ ſpeluncæ, recipientes in ſe fluctus, ventum creant; qui agitatus, ignem gignit ex ſulphure. unde eſt, quod videtur, incendium. Hoc autem verum eſſe, illa comprobat ratio; quia, aliis flantibus ventis, nihil ex ſe emittit; &, pro modo flatuum Euri vel Africi, interdum fumum, interdum favillas, nonnunquam vomit incendia.* Eadem fermè de incendiorum cauſis tradunt Lucretius *lib. VI*; Iſidorus *lib. XIV. cap. VIII*; Juſtinus *lib. IV*, Virgilius *Aeneid. lib. VIII*, Strabo *lib. VI*; Jul. Obſequens; & Oroſius *lib. V. cap. X.* Hactenus de cauſa naturaq; ignium Aetnæorum.

Vulcani templum in Aetnâ. IV. *Templum* in Aetnâ fuiſſe *Vulcano ſacrum*, auctor eſt Aelianus, *de animalibus lib. XI. cap. III.* his verbis: *In Aetnâ, Siciliæ monte, ſalva eſt Vulcani ædes, & circa eam muri & arbores ſacræ. Ibidem ignis perpetuus & inexſtinctus adſervatur. Sunt & canes in templo lucoque ſacri; qui modeſtè & decenter in templum & lucum accedenteis blandè & adulantes excipiunt; &, tamquam familiaribus, benignos ſe illis oſtendunt. at ſiquis ſceleratus, aut manibus impuris accedat; illum & mordent & laniant. illos verò, qui libidine aliquâ turpi ſe contaminarint; fugant ſolùm & perſequuntur.* Fazellus *dicto cap. IV lib. II decadis I* tradit, *paſſus CC infra ſummum Aetnæ verticem veſtigium vetuſtiſſimi fornicis lateritium exſtare; quod à Catanenſibus Aetnicoliſque Turris philoſophi nominetur.* Prædicare qui-

re quidpe eos, ductâ à majoribus famâ, *hanc ſibi Empedoclem olim ad explorandas Aetnai ignis cauſas ex teſtudineo opere conſtituiſſe ædiculam.* Verùm rectè ipſe ad finem ejuſdem capitis conjicit, reliquias eſſe prædictæ ædis Vulcani. nam illius etiam ſeculi mortaleis ab hac parte montem adſcendiſſe, è Strabone patet.

V. Divinationeis quoque ab Aetnæis ignibus petitas olim fuiſſe, auctor eſt Pauſanias *in Laconicis.* Abjecerunt autem in crateres cùm ſigilla argentea & aurea, tùm verò cujuſvis generis victimas. Ea ſi abſorpſerit ignis, læta ſibi nuntiari; contrà, ſi regeſſerit, malè eventurum ei, à quo illa fuerint miſſa, interpretati ſunt. Cæterùm quum ob magnitudinem atque incendia celebratiſſima eſſet fama Aetnæ, ejus nomine omnem inſulam ſæpe innuerunt ſcriptores. Hinc Euripides *in Troadibus* adpellat Αἰτναίαν Ἡφαίστου, *Aetnaam Vulcani.* Martialis *lib. VII. epigr. LXIII. Aetnaa regna.* Apulejus *Metamorph lib. I.* habet *Aetnaum mel & caſeum.* quo loco Hyblæum intellexit mel, quæ urbs erat maritima inter Catanam & Syracuſas. Sed ipſe mons Aetna ob altitudinem immenſam vocatur Pindaro *in Pythior. odâ I.* Κίων οὐρανία, *Columna cæleſtis.* Atque ob ſummam ejus altitudinem nonnulli Deucalionis, id eſt, Noachi arcam, quæ aliàs in Armeniæ celſiſſimis montibus ceſſante diluvio ſubſediſſe creditur, Aetnæ induxerunt. Ita Hyginus *Mytholog. cap. CLIII.* Deucalionem autem eſſe Noachum, Germaniæ *lib. I. cap. XXXII.* oſtenſum eſt. Atq; hactenus de Aetnâ dictum.

Aetnæ divinationes.

Aetnaa.

CAP. IX.

Tres Cyclopum ſcopuli. Vlyſſis Portus. Acis amnis. Catana colonia. Amenas ſive Amenanus fluvius. Campus piorum. Aetna opidum.

I.

ÆTna mons radicibus ſuis verſus oriëtem ſolem mare contingit. Promontorium ejus V. circiter millia paſſuum à Catanâ diſſitum, vulgari nunc adpellatione dicitur *Capo di Molini*. Ad hujus ſeptemtrionale latus tres conſpiciuntur ſcopuli, contra vicum, cui vulgare *Niceti* eſt vocabulum, projecti; vulgò nunc *Li Fariglioni* dicti. ſunt verò exigui, formâque conis ſive metis ſimiles; ad rectam ferè lineam juxta litus quaſi certo quodam & conſulto ordine à naturâ compoſiti; ita, uti prior ſit maximus, medius minor, poſtremus minimus. Hi olim vocabantur *Cyclopum tres Scopuli*. nempe quia Cyclopes hoc litus incoluiſſe credebantur; ut ſuprà cap. II. oſtenſum eſt. Plinius, *lib. III. cap. VIII.*

Scopule tres Cyclopum.

II. *Vlyſſis portus* in eo fuit ſinu ad meridionale prædicti promontorij latus, inquo nunc turris ſive ſpecula vulgari vocabulo dicitur *Lognina*. Hunc portum Aetnæ profluvia ita implevêre, ut hallucinatos poëtas plerique ſint arbitrati, quum nulla prorſus vel ſtatio ibi hodiè adpareat : Bembus *in dialogo de Aetnâ*. Fazellus *Decad. I. lib. II. cap. IV.* Quàm ingens hic ante iſtud incendium fuerit portus, equidem ignoratur. Cæterùm ex Homeri poëmate Vlyſſem non ad hæc loca, ſed ad Pachyna promontorium adpuliſſe, po-

Vlyſſis portus.

ſe, poſteà oſtendetur. Quod igitur Virgilius atque Plinius heic ſtatuerit *Vlyſſis portum*, id ab antiquioribus Homeri commentatoribus habuerunt. quidpe jam cccc annis ante virgilium idem ſtatuit Euripedes.

III. De ſiniſtro Aetnæi promontorii latere ita *in Catal. flum.* Vibius Sequeſter: *Acis, ex monte Aetnâ in mare decurrit. ex cujus ripis Polyphemus ſaxa in Vlyſſem egiſſe dicitur.* Huc igitur Vlyſſes adpulit, aliorum opinione hinc ſolvit, quum in abnavigantem Polyphemus ſaxa Aetnæa jaceret. *Acis* autem *fluvius* is eſt, qui II millia paſſuum ab *Niceti* vico verſus Taurominium vulgari vocabulo hodièque accolis vocatur *Aci*; & variante linguâ, pro more totius Siciliæ Italiæque, *Jaci*, & *Chiaci*. Memoratur multis auctoribus. Cyclops, ut fabula habet, nympham amavit Galateam, quæ quum amaret *Acin* quendam paſtorem; Cyclops iſte hunc æmulum ſuum, parte à monte revulsâ Acin obruit, qui Galateæ miſeratione in fontem mutatus. Silius *lib. XIV.* Servius *in Virgilij Eclog. IX.* Ovidius *Metamorph. lib. XIII.* Oritur autem *Acis* fluvius ex radicibus Aetnæ montis nemoroſis atque opacis; mille paullò ampliùs paſſibus ſupra mare, frigidiſſimo fonte; à quo ipſum nemus ſolis æſtum arcet. litori verò ubi propinquat, in vicum cognominem delabitur; moxque inde per viridiſſima amænisſimaque prata in mare defertur. Brevitatem ejus Ovidius quoque expresſit dicto jam loco. *Acis fluvius.*

IV. Acin fluvium ab VIII millibus paſſuum ſequitur celebris & ipſa inprimis urbs *Catana*, quàm plurimis memorata auctoribus. Græcis quidem omnibus dicitur Κατάνη, unde illud Latinorum *Catana*, penulti- *Catana coloniâ.*

nultimâ correptâ. At apud hos etiam ſæpe legitur *Catina.* Opidani inde Græcis ſunt Κατανᾶοι, *Catana.* at Latinis *Catanenſes.* qui, mutatâ itidem vocali interdum leguntur *Catinenſes.* & quidem ita apud Ciceronem *in Verrinis* ſemper, quum ſæpiùs memorentur. Cæterùm Catana condita eſt à Chalcidenſibus, qui Theocle duce è Naxo erant in Siciliam profecti, & Syracuſas condiderant. Catanenſis coloniæ ductor fuit Evarchus. Thucydides *lib. VI.* Strabo *lib. VI.* Anno poſt Trojanum bellum CCCCXLVIII, id eſt, Olympiadis XI anno I in Siciliam veniſſe Theoclem cum Chalcidenſium coloniâ, ſuprà capite II oſtenſum eſt. proximo verò anno pòſt conditæ fuêre Syracuſæ; Thucydide teſte & octavo inde anno poſt adventum in Siciliam Theoclis Catana. Sed Olympiade LXXVI Hiero Syracuſanorum tyrannus primis incolis ejectis, novos ei impoſuit, ad V hominum millia ex Peloponneſo colligens, & totidem Syracuſanos adſciſcens: Catanamque mutato nomine dixit *Aetnam.* Naxios verò & Catanenſeis, patriâ exutos, in Leontinorum civitatem transſcripſit. Verùm Anno XV. pòſt, mortuo jam Hierone, priſci Catanenſes, eò reverſi, inquilinis illis pulſis, urbem occuparunt. Strabo *dicto loco.* Diodorus *lib. XI.* Sed Olymp. XCIV anno II Dionyſius Syracuſanorum tyrannus, captâ Catanâ, captivos ſub haſtâ vendidit Catanenſeis, & urbem Campanis inhabitandam dedit. Diodorus *lib. XIV.* Annis tandem circiter CCCL pòſt ab Auguſto Cæſare fuiſſe meliùs frequentatam, miſsâ illuc coloniâ, tradit Strabo *lib. VI.* Poſterioribus quoque temporibus fuiſſe maximè celebrem, patet ex Auſonij carmine, quod de nobilioribus

tibus imperij Romani urbibus compoſuit; ubi unas duas in Siciliâ memorat, *Catinam* & *Syracuſas*. Inter treis totius inſulæ celeberrimas cenſetur urbs Catana; quarum reliquæ duæ ſunt *Panormus* & *Meſſana*.

V. Catanam interfluit amnis, cui vulgare nunc apud accolas vocabulum *Judicello*: at olim Ἀμένας, *Amenas* Pindaro *in Pythiis, odâ I.* & derivativo vocabulo Ἀμενανὸς, *Amenanus*, Straboni *lib. V*, & Ovidio *Metamorph. lib. XV*. Hic amnis, è radicibus Aetnæ montis occulto necdum ſatis perveſtigato fonte ortus, mediam urbem pleno alveo interfluit. Obturatis verò interdum fontium venis; omnis per aliquot annos evaneſcit. rurſumque ſubito æſtu erumpens, craſſiorem peſtilentemque efficit aërem; ac nonnumquam inundationem cladem que haud levem urbi infert. *Amenas & Amenanus amnis.*

VI. Sub Aetnâ monte in agro Catanenſi occidentem brumalem verſus fuit *Campus piorum*; atque in eo *Piorum fratrum Amphinomi & Anapii ſtatua*: qui duo juvenes, quum Aetnæ incendia Catanenſem regionem corripuiſſent, malo ingruente, parenteis ſuos humeris ſublatos, nullâ vel auri vel argenti habitâ ratione, eripuerunt. Vnde ijs apud Catanenſeis honores habiti, eorumque memoriam ita poſteritas munerata eſt, ut ſepulcri locus nominaretur *Campus piorum*. Strabo *lib. VI*, Silius, *lib. XIV*. Valerius Maximus *lib. V, cap. IV*. Cornelius Severus *in Aetnâ*. Statuæ, quæ eorum nominibus poſitæ fuêre in dicto *Campo piorum*, eleganter exprimuntur à Claudiano, in epigrammate, quod in hanc rem compoſuit. Cæterùm non Catanenſeis fuiſſe, ſed aliis, quàm ſuprà dictum, *Campus piorum. Amphinomi & Anapii. piorum fratrum ſtatuæ.*

nominibus Syracuſanos, ipſi gloriabantur olim Syracuſani. Solinus *cap. XI. Campus* hic haud dubiè fuit ab ea urbis parte, quà in Leontinos itur. nam cætera, in occidentem ſeptentrioneiſque vergentia, montoſa ſunt; & tunc ingentibus ſaxis, quæ Aetna eructabat, oppleta. Quo verò tempore id factum, incertum eſt: niſi quòd ante Alexandri Magni ætatem factum, ex oratione perſpiciatur Lycurgi, quam circa dicti regis ætatem Athenis habuit contra Leocratem.

Aetna opidum; quod anteà Ineſſa.

V. Cæterò commune montis nomen habuit etiam opidum impoſitum *Aetna*: unde Ciceroni *in Verrinis*, & Plinio, *lib. III. cap. VIII* opidani ſunt *Aetnenſes*. Sed ipſum opidum anteà dictum fuit Ἴνησσον, *Ineſſum*; ſive Ἴνησσα, *Ineſſa*. quod poſtmodò apud Strabonem corruptum eſt in Ἴννησα, *Inneſa*, & apud Diodorum *lib. XI.* in Ἐννησία, *Enneſia*. Opidani inde dicti ſunt Ἰνησσαῖοι, *Ineſſai*; id eſt, ſi Latino ore formes, *Ineſſenſes*. Thucydides *lib. VI.* Priſcos Catanæ incolas ab Hierone pulſos urbe, eique Aetnæ nomen impoſitum ſuprà ſ. IV hujus capitis dictum. Quum verò, Hierone defuncto, priſci illi Catanenſes urbem ſuam recuperarent, & novos iſtos Aetnæos ab Hierone deductos colonos ejeciſſent, hi cedentes Aetnæi *Ineſſam*, quæ in montanis Aetnæ erat, inhabitandam occuparunt; in eamque novum illud Catanæ nomen Aetnam tranſtulerunt. diſſitam à Catanâ ſtadiis LXXX Strabo *lib. VI.* Diodorus *lib. XI.* Cæterùm ex intervallo, quod habet Itinerarium, ac ſitu, quem Strabo tribuit Aetnæ, fuiſſe eam eo loco diſpicitur, ubi nunc cœnobium eſt divi Nicolai de Arenis, XII millibus paſſuum à Catanâ. nam per hoc adſcenſus eſt à Catanâ. In edito loco fuiſſe ſitam

Aetnam,

Aetnam, præter Strabonem haud obſcurè Diodorus quoque teſtatur, *lib. XIV.*

CAP. X.

Symathus, Terias, & Eryces, amnes. Leontini urbs. Liſſus amnis. Phocea arx. Bricinnia caſtellum. Leontini campi; qui & Laſtrygonii. Xuthia regio, Xuthia opidum.

I.

SEd ad litus revertamur. Σύμαιθος ποταμός, *Symathus amnis* memoratur multis auctoribus. Latini poſteà, ut in aliis, ſimpliciter ſuis literis ſcripſerunt *Simathus*. unde tandem factum *Simetus*. Alii hinc grammatici vel exſcriptores idem vocabulum fecère *Symathus*, *Simethus*, ac *Symetus*. Is autem deprehenditur eſſe fluvius, qui, non modò omnium hoc Pelorum inter Pachynumque litora, ſed totius inſulæ maximus, ac proximus Catanæ, à quâ VIII diſtat paſſuum millibus, vulgò nunc incolis dicitur *La Iaretta*; vocabulo ſcilicet ipſius ſcaphæ, quâ is trajicitur. *Symathus amnis.*

II. Τηρίας ποταμός, *Terias* fluvius is eſt, qui, à mille paſſibus Leontinos præterfluens, vulgò nunc *Fiume di Santo Leonardo* accolis, id eſt, *Flumen S. Leonhardi*, cognominatur. Ad hunc fluvium plerumque ſeſe recipiebant naves, quia is in ſinum ſeſe effundit, quem ab ortu ſolis hiberni efficit promontorium, cui vulgare nunc apud incolas vocabulum *La Cruce* à formâ eſt; egregiamque navibus præbet ſtationem. ad quam hodieque Leontinorum eſt frumenti emporium. Huc plerumque ſeſe receperunt Athenienſes in Siciliâ bellum gerentes. Thucydides *lib. VI.* *Terias amnis.*

Eryces fluvius.

III. Ἐρύκης ποταμὸς, *Eryces fluvius* Stephano dicitur ἡ Ἐρύκη, *Eryce*, ſive *Eryca*. Is eſt, qui ex monte, cui vulgare vocabulum *Catalfano*, ortus, hodiè *divi Pauli fluvius* adpellatur. In monte illo Erycen opidum fuiſſe, infrà docebitur.

Leontini urbs.

IV. Ipſi Λεοντῖνοι, *Leontini*, celeberrima quondam urbs, vulgari hodiéque incolis vocabulo dicuntur *Lentini*. Atque illo quidem vocabulo cùm urbs, tùm incolæ ejus indigetantur Græcis pariter atque Latinis auctoribus omnibus; uno excepto Ptolemæo: apud quem urbis nomen legitur Λεόντιον, *Leontium*: quod tamen corruptum videtur. Derivativum eſſe nomen Λεοντῖνοι, ἀπὸ τοῦ Λέοντος, id eſt, *ab Leone*, omnes teſtantur nummi hujus urbis antiqui, in quibus ejus animalis imago expreſſa eſt. In mediterraneo fuiſſe hoc opidum ſitum, ut ibidem etiam nunc conſpicitur, ex Melæ *lib. II. cap. VII* intelligitur, & Polybii *lib. VII*, *Per mediam*, ait, *urbem porrigitur convallis, utrumque hujus latus colles pertexunt. at quæ ſuper collium horum ſupercilia eſt planities, domibus templiſque eſt referta. Præruptam rupem alterius collis, eam nempe, quæ ad occaſum ſpectat, amnis præterlabitur, quem Liſſum adpellant.* In

Liſſus amnis.

Teriam verò defluit amnis iſte *Liſſus*. Cæterùm de origine urbis Leontinorum ita tradit Thucydides *lib. VI*: *Theocles atque Chalcidenſes, Naxo profecti anno VII. poſt conditas Syracuſas, Leontinos, pulſis bello Siculis, condunt.* Theoclem Athenienſem cum Chalcidenſibus ex Eubœa Græciæ inſulâ in Siciliam adpuliſſe, Naxumq; inibi condidiſſe *anno poſt Trojanum bellum CCCCXLVIII, Olympiadis XI, anno primo*; inſequentique anno Syracuſas fuiſſe conditas; ſuprà cap. II. oſtenſum eſt, *Leontini*

tini igitur conditi fuêre *anno primo Olympiadis XIII.* Sed hi Leontini deinde *Olympiadis XCIV anno II* à Dionyſio, Syracuſanorum tyranno compulſi urbe & patriâ relictâ migrarunt Syracuſas, eique civitati ſeſe adgregarunt. Præſidium autem ſuorum militum illic locavit Dionyſius. Verùm alios hinc novos ſortita urbs colonos; eam enim & agrum mercenariis militibus in ſtipendium dedit Dionyſius. Diodorus *lib. XIV.* Arx hinc ſemper fuit Dioni, Timoleonti, & aliis, Syracuſas bello petentibus. Leontium hoc eſt patria *Gorgiæ* priſci rhetoris.

V. Cæterùm ex arcibus ejus, quas Dionyſium firmaſſe ait Diodorus, una fortè fuerit nomine pluralis numeri Φωκέαι *Phoceæ*. Is enim locus in Leontino agro memoratur Thucydidi, *lib. V.* At arx ſive caſtellum eodem loco memoratum, cui itidem pluralis numeri vocabulum Βρικιννίαι, *Bricinniæ*, quo ſitu fuerit, non liquet. *Phoceæ, arx in Leontinis* *Bricinniæ caſtellum agri Leontini.*

VI. De pulcritudine amœnitateque *Leontini agri*, ſeu *campi*, teſtatur Diodorus *lib. IV*, *quam Hercules admiratus*. *Campus* autem ille *Leontinus*; ſeu *Campi Leontini* ſunt ab urbe Leontinorum verſus ſeptemtrionem ad Teriam flumen ſiti, omnium totius inſulæ feraciſſimi, in quibus naſcitur triticum agreſte. Diodorus *lib V.* Polybius *lib. VII.* Cicero *in Verrem lib. III.* Eumdem agrum *Laſtrygones* quondam tenuerunt, gigantum quoddam genus. hinc igitur etiam *Laſtrygonii* dicti fuêre *campi*. Silius, *lib. XIV.* Plinius *lib. III. cap. VIII.* *Leontinus ager ſeu campus.* *Laſtrygonii campi*

VII. In Leontinorum etiam finibus *Xuthia terra*, ſeu *Xuthius ager* fuit, à *Xutho*, Aeoli filio, dictus. Diodorus *lib. V.* Sed & *Xuthia* urbs heic memorata fuit *Xuthius ager,*

Philiſto

Philiſto Syracuſano. Stephani epitomator. Ei gentilitium eſt Ξυθιάτης, Xuthiates. At Latinis fuerit *Xuthienſis*.

CAP. XI.

Pantagies fluvius. Trotilum opidum. Megara urbs; quæ antè Hyblæ. Alabus fluvius. Megarenſis ſinus. Alabum opidum. Styella caſtellum. Hyblæum mel. Hyblæi colles. Myla flumen. Xiphoniæ promontorium. Xiphonius ſinus. Xiphonia opidum. Taurus promontorium. Tapſus peninſula & portus.

I.

Pantagies fluvius. POſt Teriam fluvium ſequitur Παντάγιης, *Pantagies*, ſive Παντάγιας, *Pantagias amnis*. multis auctoribus memoratus. Eſt autem is amnis, qui in ſiniſtro promontorii vulgò *la Cruce* dicti latere vulgari vocabulo nunc accolis vocatur *Porcari*; quod patet ex his Virgilii verbis, quæ habet *Aeneid. lib. III,*

----*Vivo prætervehor oſtia ſaxo*
Pantagiæ.

Quidpe os Porcarii amnis utrimque vivo atque prærupto includitur ſaxo, xx fermè cubitos alto: ingreſſumque illic mare ad mille paſſus, reſtagnat; parviſq; navigiis præbet portum. Atquè in hunc etiam illud Claudiani *de Raptu Proſerpinæ lib. II, Saxa rotantem*, quam maximè quadrat. etenim licèt ipſe curſu ſit breviſſimus; ut qui VI circiter ab Leontinis oritur paſſuum millibus: tamen hiberno tempore Leontinorum collium torrentibus imbribuſque auctus, tantâ vi devolvitur; uti magnam ſaxorum copiam ſecum trahat: ingen-

gentemque lapſu ſuo reddat *ſonitum*: unde nomen quæſitum ineptè volunt Vibius atque Servius: quum otiùs ἀπὸ τῦ πάντα ἄγειν dictus videri poſſit; id eſt, *ab ,quod omnia ſecum trahat, devehatque*. Brevitatem ejus enuitatemque indicavit Silius *lib. XIV*.

II. Oſtio hujus fluminis adpoſitum fuit Τρώτι-ον *Trotilum* opidum, inprimis Siciliæ antiquum. *Sub dem tempus*, quo Leontini conditi, *Lamis à Megaris co-oniam ducens in Siciliam adpulit, & Trotilum* hoc *con-didit. At id poſtmodum relinquens, in* Leontinos *cum ſuis abiit. quumque aliquantum temporis illic unà remp. admini-ſtraſſet; tandem ab iis pulſus, Thapſum condidit. Mox eo de-functo, reliqui è Thapſo migrarunt; ac duce Hyblone, Sicu-lorum rege, qui etiam terram dederat, Megarenſeis condi-derunt; qui Hyblai ſunt dicti.* Thucydides *lib. VI.* Leontinos anno I. Olympiadis XIII, conditos fuiſſe cap. X, hujus libri ſ. III. oſtenſum eſt. Ad utram Pantagiæ ripam Trotilum fuerit poſitum, haud facile dictu eſt: niſi quòd in dextrâ oſtii ripâ etiam nunc eſt navale, vulgò *Bruca* dictum.

Trotilum opidum.

III. At hi Megarenſes Trotili conditores, ut jam dictum, hinc mox, neſcio quâ de causâ, in proximam tranſmigrarunt urbem Leontinos. Inde etiam, fortaſſe per ſeditionem pulſi, in Thapſum peninſulam, medio itinere inter Pantagiam & Syracuſas ſitam, ſedem tranſtulerunt. Mox, amiſſo ibi duce ſuo Lami, auctore duceque Hyblone, relictâ Thapſo, ad propinquum flumen *Alabum* poſuère urbem, quæ à priſcâ patria dicta eſt ipſis Græcis Μέγαρα plurali numero, Latinis vero utroque numero promiſcuè *Megara*; & item *Megaris*, Με[illegible]. anteà verò à duce Hyblone Ὕβλα

Megara urbs; quæ anteà Hybla.

Hybla. E Strabonis ſententiâ Megarenſes non de novo Megara iſta in Sicilia condiderunt; ſed opidum id ab Hyblone rege, ſub *Hyblæ* nomine conditum, inhabitandum acceperunt. Certè *Megarorum* ſive *Megaræ,* & *Megaridis* nomen poſterius fuit; perpetuoque in eo opido perduravit, dum ſtetit. Unde opidani ſunt Μεγαρεῖς, *Megarenſes*; & Ὑβλαῖοι, *Hyblæi*; ſed Latinis *Hyblenſes.* Thucydides *lib. VI.* Strabo *lib. VI.* Servius *ad Eclogam I. Virgilii.*

Alabus fluvius; qui & Alabis & Alabo.

Fluvius autem ille *Alabus*, ſeu *Alabis*, ſive *Alabo* Ἀλάβων, ad quem conditum fuit Trotilum, is eſt, qui 10 haud ampliùs paſſibus à copioſiſſimo ſuo in mare prorumpens fonte, vulgari nunc vocabulo accolis dicitur *Lo Cantaro.* Diodorus *lib. IV.* Vibius *in Catalogo fluminum.* Ac Diodorus ait, *Alabonem magnum amnem* ex κολυμβήθρα *Dædali in proximum eructari mare*: Vibius verò, *fontem dilataſſe Dædalum* tradit; id eſt, ad fontem conſtruxiſſe κολυμβήθραν. Eſt autem κολυμβήθρα Latinis *piſcina* ſeu *lavacrum*, ſive *locus, in quo aquæ concipiantur, & ubi natare atque urinari poſſis.* Huius ad Alabum colymbethræ exigua quædam adhuc exſtant veſtigia. In ipſo autem litore, ad iactum teli ab dextrâ Alabi ripâ, diruti opidi mœnia, quorum ambitus mille eſt paſſuum, ex quadratis ingentiſque ſaxis, hinc inde diſiecta, ædificiorumque intra ea magnæ atque mirandæ nuper adhuc viſuntur ruinæ. *Hyblæ* illius antiquæ, ſive *Megaræ* eſſe reliquias, certum eſt. In ipſo litore hanc urbem fuiſſe ſitam, vel inde liquet, quòd ſinus hic inter promontorium, in quo nunc celebre opidum *Auguſta*, & Thapſum peninſulam, in quem medium effunditur Alabus amnis, dictus inde fuit *Sinus Megarenſis.*

Sinus Megarenſis.

Hinc *Megaris* in ipſo reſer-

tur

tur litore Plinio *lib. III cap. VIII*; & item *Mela lib. II cap. VII* item Thucydidi *lib. VII.* Cæterùm tempore belli Punici ſecundi *Megaris* exiguum fuit opidum. Silius *lib. IV* Cicero *lib. V; in Verrem* tantummodò locum adpellat *Megaridem.*

IV. Apud Stephani epitomatorem eſt *Alabo* opidum & flumen. Plutarcho *in Timoleonte* dicitur *Alabum.* Hoc verò opidum haud dubiè ad ipſum flumen ſitum fuit. inde enim nomen. At quo loco, & ad utram ripam, item, quò tempore fuerit, planè incertum eſt. *Alabum ſive Alabo opidū.*

V. Cæterùm apud eundem Stephani epitomatorem eſt *Styella caſtellum Megaridis in Siciliâ.* Quum verò ambiguum ſit vocabulum Μεγαρὶς, quod & Megarorum urbis agrum ſignificat; & ipſam urbem; pars aliqua Hyblæ Megarenſis, ſive arx eius, adpellata eſſe potuit Στύελλα, *Styella.* At fortè illud eſt caſtellum Megarenſis agri, cuius Thucydides meminit *lib. VI.* *Styella caſtellum.*

VI. At Hyblâ deletâ nomen tamen ejus manſit, ob Hyblæi mellis præſtantiam. Strabo *lib. VI.* Sed *Cecropium* ſive *Atticum mel* ex *Hymetto monte* omnium habebatur præſtantiſſimum. ſecundam nobilitatem obtinebat *Hyblæum.* Hyblæi autem colles, de quibus Martialis *lib. XIII, epigr. CV* ſunt ii, qui juxta Marcellinum flumen Alabi amnis fonti imminent; haud ita excelſi; ſed florum vario genere, maximè verò thymo læti. Mel in his & item in proximo agro natum, totius Siciliæ æſtimatur etiamnunc nobiliſſimum. *Hyblæum mel.* *Hyblæi colles.*


VII. In prædicto Megarenſi ſinu fuit & *Myla flumen*; uni Livio *lib. XXIV* memoratum. Ex quo patet, flumen illud fuiſſe inter Megaram & Leontinos. At *Myla fluvius.*

 heic

heic duo ſunt omninò fluvii; quorum alter, mille paſſibus ab Alabo, vulgò nunc accolis vocatur *Marcellino*: alter, *Fiume di Santo Juliano*; oſtium verò ejus, *Fiume Thadeda*; & detorto vocabulo, *Jaddeda*. Uter horum ſit priſcorum ille *Myla*, planè nullis certis demonſtrari poteſt documentis. Videtur tamen eſſe *Julianus*.

Xiphonia promontorium. VIII. Proximè Mylam flumen, verſus ſeptemtrioneis eundo, promontorium longè in mare procurrit, formâ triceps. unde vulgare ei hodiè vocabulum apud incolas eſt *La Cruce*. Id Straboni *lib. VI* vocatur τὸ τῆς Ξιφωνίας ἀκρωτήριον, id eſt, *Xiphonia promontorium*. Stephani epitomatori heic memoratur Ξιφωνία, *Xiphonia urbs*; ejuſq; gentilitium Ξιφωνιάτης, *Xiphoniates*. *Xiphonia urbs.* Ea verò urbs nulla alia eſſe poteſt, quàm quæ nunc vulgò *Augusta* dicitur, inter celebrioreis Siciliæ urbeis computata; anno à nato Chriſto CIↃCCXXIX à Friderico II, Romanor. imperatore & Siciliæ rege inſtaurata. Inter hujus peninſulam, in qua ſita eſt, & proximum verſus occaſum litus portus ſeſe inſinuat hodieque celeberrimus; qui antiquorum ille eſt *Xiphonius portus*. A quibus verò & quando opidum Xiphonia conditum fuerit, item quamdiu ſteterit, & à quibus deletum ſit, nullibi adnotatum reperitur. Strabo certè promontorium ejus tantùm nominat: ceu opido ipſo jam tum deſtructo. *Taurus promontorium.* Cæterò idem promontorium Diodoro *lib. XIV*, & Ptolemæo vocatur Ταῦρος ἄκρον, id eſt. *Taurus promontorium.*

Thapſus peninſula IX. Sed ut ab ſeptemtrionibus *Taurus* ſive *Xiphonia promontorium*, ſic ab auſtro includebat Megarenſem ſinum ἡ Θάψος χερσόνησος, id eſt, *Thapſus Peninſula*: cujus vocabulum apud Virgilium, & in Itinerario


MARE

rario inſulari, ſine adſpiratione. Romanâ ſcripturâ, legitur *Tapſus*; *Aeneid. lib. III.* Apud Silium quoque *lib. XIV* mixtâ ſcripturâ & formatione eſt *Tapſos*. Eſt autem *Thapſus peninſula* haud longè à Syracuſis, *plana & penè fluctibus par*, Servius *ad illum Virgilii locum*. Hodiè inſulæ adpellationem obtinet, vulgò *L'Iſola delli Manghiſi* dicta: quamvis reverâ ſit *peninſula plana*, ut & olim, anguſtâ cervice atque depreſsâ, & fluctibus penè pari, annexa continenti. Thucydides *lib. VI.* Opidum in hâc peninſulâ condidiſſe Lamin cum Megarenſibus, qui poſteà Hyblam ſeu Megaram incoluerunt, cui nomen fuit commune peninſulæ ἡ Θάψος, *Tapſus*; ſuprà ad Hyblæ deſcriptionem ſ. II hujus cap. ex eodem oſtenſum eſt Thucydide. *Thapſus opidum.*

CAP. XII.

Syracuſæ urbs: cuius partes, Epipolæ, Neapolis, Tycha, Acradina, & inſula; cujus nomen proprium Ortygia: & in hac Arethuſa fons. Thymbris fluvius. Portus duo Syracuſarum. Trogilus, Leontia, Lepas; loca apud Syracuſas. Lyſimelia ſtagnum. Sycara palus.

I.

SEquitur hinc maxima juxta ac Potentiſſima quondam nobiliſſimaque totius Siciliæ urbs Συρακοῦσαι, *Syracuſæ*; innumeris memorata auctoribus. Quia quadruplex fuit urbs; plurali inde numero videtur adpellata. Singulari tamen etiam aliquando dicta fuit numero Συρακούση, ſive Συρακοῦσα, *Syracuſa*, Diodoro *lib XIV.* Hodiéque ſingulari numero vulgò incolis *Syracuſæ urbs.*

dicitur *Saraguſa* Opidani olim inde Græcis auctoribus dicti fuêre Συρακούσιοι, *Syracuſii*; Latinis verò *Syracuſani*. Aliâ vero dialecto in nummis Syracuſanorum ſemper ſunt Συρακόσιοι, *Syracoſii*. unde etiam Pindarus *Pythior*, *odâ II* ipſam urbem dixit Συρακόσας, *Syracoſas*. De ortu urbis ſcribit Thucydides *lib VI*, *ſequenti anno poſt Naxum conditam*, *Archiam*, *unum ex Heraclidis*, *è Corintho profectum*, *Syracuſas condidiſſe*. Theoclem autem cum Chalcidenſibus Naxum condidiſſe anno poſt Trojam captam CCCCXLVIII, Olymp. XI anno primo; ſupra cap II oſtenſum eſt. Syracuſæ igitur conditæ fuêre dictæ Olympiadis anno II. Strabo *lib. VI* tradit *Archiam juſſu oraculi Delphici*; *quum optione à Deo datâ*, *utrum ſanitatem mallet*, *an divitias*; *opes ſibi optaſſe*, *in Siciliam profectum condidiſſe Syracuſas*. *Syracuſanos verò eò opulentiæ progreſſos*, *ut de iis etiam vulgatum ſit proverbium*: *quod in nimis ſumtuoſos diceretur*; *Eos non poſſidere decimam Syracuſanorum*. De incremento ejus atque potentiâ ita pergit loco præſcripto Strabo. *Vrbs ea crevit ob ſoli ubertatem*; *civeſque ejus ob portuum opportunitatem principes facti*. *eoque factum eſt*, *uti Syracuſani dum tyrannis ipſis parerent*, *aliorum eſſent domini*, & *in libertatem reſtituti*, *alios à barbarorum liberarent dominatu*. Hinc factum, uti iidem pricipes nunc *Syracuſanorum*, nunc *Siciliæ*, promiſcuè dicti ſint *principes*, *reges*, atque *tyranni*. A Romanis poſteà, bello Annibalico, Marcello obſidente, quum urbs caperetur, *fertur*, inquit Plutarchus *in Marcello*; *non minus bis opum captum*, *quam in ipsâ poſteà Carthagine*. quod etiam teſtatur Livius *lib. XXV* Sed magnitudinem ſitumque Syracuſarum, opportunitatemque portuum u-

trim-

trimque adiacentium, elegantiſſimè deſcribit Cicero *in Verrem lib. IV*: *Vrbem*, inquit, *Syracuſas maximam eſſe Græcarum urbium pulcerrimamque omnium, ſæpè audiſtis, Eſt, judices, ita, ut dicitur. nam & ſitu eſt cùm munito, tùm ex omni aditu, vel terrâ vel mari, præclaro ad adſpectum: & portus habet prope in ædificatione adſpectuque urbis incluſos. qui, quum diverſos inter ſe aditus habeant: in exitu conjunguntur & confluunt. Eorum conjunctione pars oppidi, quæ adpellatur Inſula, mari disjuncta anguſto, ponte rurſum adjungitur & continetur. Ea tanta eſt urbs, ut ex quatuor urbibus maximis conſtare dicatur. quarum una eſt ea, quam dixi, INSVLA: quæ duobus portubus cincta, in utriuſque portus oſtium aditumque projecta eſt. in quâ domus eſt, quæ regia Hieronis fuit, quâ prætores uti ſolent. in eâ ſunt ædes ſacræ complures; ſed duæ, quæ longè cæteris antecellunt; Dianæ una, & altera, quæ fuit ante iſtius adventum ornatiſſima, Minervæ. in hâc inſulâ extremâ eſt fons aquæ dulcis, cui nomen Arethuſa eſt, incredibili magnitudine, pleniſſimus piſcium; qui fluctu totus operiretur, niſi munitione ac mole lapidum à mari disjunctus eſſet. Altera autem eſt urbs Syracuſis, cui nomen ACRADINA eſt. in quâ forum maximum, pulcerrima porticus, ornatiſſimum prytaneum, ampliſſima eſt curia, templumque egregium Jovis Olympii: cæteraque urbis partes, unâ latâ viâ perpetuâ, multiſque tranſverſis diviſæ, privatis ædificiis continentur. Tertia eſt urbs, quæ, quòd in eâ parte fortunæ fanum antiquum fuit, TYCHE nominata eſt. in quâ gymnaſium ampliſſimum eſt, & complures ædes ſacræ. coliturque ea pars & habitatur frequentiſſimè. Quarta autem eſt urbs, quæ, quia poſtrema ædificata eſt, NEAPOLIS nominatur. quam ad ſummam theatrum eſt maximum. prætereà duo templa ſunt egregia: Cereris alte-*

alterum, alterum Liberæ: ſignumque Apollinis, qui Temenites vocatur, pulcerrimum & maximum. Magnitudinem quoque univerſæ urbis; & pulcritudinem oſtendit Livius *lib. XXIV* & *XXV*, quo ipſo libro etiam adnotavit, quàm valida & munita fuerit. Eadem quoque teſtantur, Plutarchus *in Timoleonte*; Pindarus *Pyth. odâ II*; Theocritus *Idyll. XVI*; Silius *lib. XII*; & Florus *lib. II cap. VI*. Cum Cicerone quatuor tantùm præcipuas urbis parteis faciunt Auſonius *in poëmate, quod de nobilioribus Rom. Imperii urbibus* compoſuit; & Silius *lib. XIV*. Sed diſſentit apertè Strabo *lib. VI* his Verbis. *Quinque urbibus olim conſtabat, muro CLXXX ſtadia longo incincta.* Atque Straboni adſentiri videntur graviſſimi auctores, Livius, Diodorus, Plutarchus. quorum huic *in Marcello*, ACRADINA, TYCHA, & NEAPOLIS, *in Timoleonte*, INSULA & EPIPOLÆ nominantur: Diodoro verò *lib. XI*. ACHRADINA, INSULA & TYCA; *libro* autem *XVI*, NEAPOLIS & ACHRADINA; & *lib. XIV*, EPIPOLÆ. at Livio partim *lib. XXIV*, partim *lib. XXV*, EPIPOLÆ, ACRADINA, TYCHA, NEAPOLIS, NASSOS, id eſt, INSULA.

II. Quinque quidem fuiſſe univerſæ urbis parteis, ſed quatuor tantum habitatas, infrà patebit. Ex Livii *libro XXIV* univerſæ Syracuſarum urbis ſingularumquè ejus partium deſcriptio apertè cognoſcitur, ubi obſidio & occupatio ejus, à Marcello facta deſcribitur; cujus narratio quum ſit prolixa admodum, adſcribere heic non placuit. Multùm verò errarunt illi, qui *Epipolas*, *Hexapylum*, *Labdalum*, & *Euryalum*, nomina & loca ipſius urbis ibi memorata, longè ca-

tra ejus mœnia in alieniſſimas regioneis removerunt; *Galeagram* etiam turrim, ad quam capta primùm fuit urbis pars exterior, ad VIII plus millia paſſuum versùs ſeptemtrioneis, ad neſcio quem *portum Trogilorum* locantes. quos erroreis ferè omneis nuper refutavit Vincentius Mirabella, eques Syracuſanus, in accuratiſſimâ ſuâ veterum Syracuſarum typographiâ, quam patrio ſermone edidit. Per *Hexapylum* atque *Epipolas* primò urbem cum exercitu ingreſſum eſſe Marcellum ex Plutarcho & Livio cognoſcimus. verſus ſeptemtrioneis, ſeu potiùs verſus occaſum æſtivi ſolis fuiſſe *Hexapylum*, vel inde adparet, quòd primùm Theodorus ac Soſis ex Leontinis, dein Hippocrates atque Epicides à Megara per Hexapylum urbem ingreſſi narrantur Livio. Cum hoc conveniunt Thucydides *lib. VI*; Diodorus *lib. XIV*, & Epitomator Stephani. Ex quibus liquidò patet, locum illum ad Syracuſas excelſum, cui à re ipsâ nomen Syracuſani impoſuerunt Ἐπιπολαὶ, *Epipolæ*, ſitum eſſe, verſus occidentem ſolſtitialem; ita uti alterum ejus latus ſeptemtrioneis ac Megara, alterum meridiem, vel inter meridiem & orientem hibernum proſpiciat; extremus autem ejus excurſus occaſum ferè æquinoctialem & mediterranea inſulæ ſpectet. nam Εὐρύηλος *Euryeles*, ſive, ut apud Livium legitur, *Euryalus* tumulus, cui *arx* cognominis impoſita, pars, ut diſertè teſtantur Thucydides & Livius, Epipolarum, ferè rectà verſus occaſum æquinoctialem ſitus eſt: ad occidentem ſolſtitialem puſillum declinans. vocatur autem hodiè vulgari incolis vocabulo *Belvédere*; quia longè latéque circumquaque proſpectat. Diodorus *lib. XIV* diſertè teſtatur, *Dionyſium murum*

Epipolæ.

Euryelus ſive Euryalus arx.

L *Epipo-*

Epipolis circumdediſſe, verſus ſeptemtriones, XXX ſtadia longum, viginti dierum ſpatio. quæ ſexta eſt pars illorum CLXXX ſtadiorum, quibus mœnium univerſæ Syracuſanorum urbis ambitum patuiſſe tradit Strabo. Livius verò Marcellum ait, poſtquam per Hexapylum vi effractum, omneis introduxiſſet in urbem copias, *ex ſuperioribus* ejus *locis*, id eſt, ex *Epipolis*, oculis ſubjectam habuiſſe. *Euryalus* autem *tumulus & arx*, quia *capi* facilè *non poterat*, ut ait Livius; ex eo adparet, hunc quoque tumulum muro atque turribus fuiſſe communitum. Teſtatur id diſertè Plutarchus *in vita Dionis*, qui tunc Syracuſanos ab tyrannide Dionyſii liberavit, & captis Epipolis, vinctos civeis qui in Epipolis tenebantur, emiſit. At ille tamen XXX ſtadiorum murus non omnis ad ſeptemtrionale Epipolarum latus eſt referendus: ſed ex parte quâdam ad meridionale. Pars igitur univerſæ Syracuſarum urbis quinta fuerunt *Epipolæ*, ut tradit Strabo. At, quia reliqui auctores IV tantùm urbis partes faciunt; inde colligitur, locum *Epipolas* fuiſſe ædificiis vacuum; vel ſaltem minùs frequentem. Hinc Livius nullos in Epipolis incolas, è diverſo autem *frequentem* tantummodò *cuſtodiis locum*, memorat. & quum Neapolim Tychamque à Romanis militibus direptas narret; nullam Epipolarum direptionis facit mentionem. Adjunctæ fuerunt *Epipolæ* reliquis Syracuſarum partibus, mœnibus incluſæ; non, uti & ipſæ incolerentur; ſed ne hoſtibus, quod anteà tentarant Athenienſes, urbem oppugnandi opportunum præberent locum. Diodorus *dicto loco*, & Plutarchus *in Marcello*. At Labdalum caſtellum excitatum fuiſſe teſtatur

Labdalū caſtellum.

Thucy-

Thucydides *lib. VI, in ipſá Epipolarum crepidine, quâ parte Megara proſpiciunt.* Sub initum autem *lib. VII* tradit Gylippum cum Lacedæmoniis ſuis militibus atq; Syracuſanis cepiſſe in ſeptemtrionali latere Epipolarum Labdalum cum Athenienſium præſidio; quum ab altero latere ejus oppugnatio ab Athenienſibus conſpici non poſſet. Ac tum ſtatim, vel paullò pòſt caſtellum illud diritum fuit.

III. Cæterùm in Epipolis fuit inſigni famâ & celebritate *carcer* ille *publicus*, pluralis numeri vocabulo *αἱ Λατομίαι*, *Latomiæ* dictus. quod vocabulum idem valet, quod Latinè *Lapicidinæ*. compoſitum quidpe eſt ab Λᾶας, ſive λᾶς, & τομή. quorum illud *lapidem* ſive *ſaxum*, hoc verò *ſecturam* ſignificat. unde etiam aliis auctoribus Λιθοτομίαι, *Lithotomiæ* vocantur: quia λίθος idem eſt, quod λᾶς. Id nominis carcer iſte accepit, ut oſtendit Varro *de Lat. ling. lib. IV*, quòd ibi lapicidinæ fuerint; item Pompejus Feſtus. At quum à λᾶς obliquus caſus eſſet λᾶος, idem vocabulum dictum fuit Λαοτομίαι. Id Latini poſtmodùm fecerunt *Lautumiæ*. Seneca *Controverſ. lib. IV, controverſiâ XXVII.* Apud alios quoque auctoreis Latinos, variè id vocabuli in variis exemplaribus, modò *Latomiæ*, modo *Laotomiæ*, aliàs *Lautumiæ*, nonnumquàm etiam *Litotomiæ* perſcriptum reperitur. Ipſum locum accuratè deſcriptum reliquit Cicero *in Verrem lib. V*, his verbis; *opus eſt ingens, magnificum, regum ac tyrannorum. totum eſt ex ſaxo in mirandam altitudinem depreſſo, & multorum operis penitus exciſo, nihil tam clauſum ad exitus, nihil tam ſeptum undique, nihil tam tutum ad cuſtodias nec fieri nec cogitari poteſt. In has Latomias, ſi qui publicè cuſtodiendi*

Latomiæ carcer.

diendi ſunt, etiam ex cæteris opidis Siciliæ deduci imperantur. Et eâdem oratione poſteà: *Carcer ille eſt à crudeliſſimo tyranno Dionyſio factus &c.* Aelianus *Variar. hiſt. lib. XII cap. XLIV* tradit, *Lapicidinas illas longitudine fuiſſe unius ſtadii, latitudine duorum plethrorum* id eſt, CC pedum. *In iis quoſdam homines tam diu fuiſſe detentos, uti matrimonia inibi contraherent, liberoſque procrearent. & quidem ex eorum liberis, urbe numquam conſpectâ, quum Syracuſas veniſſent, & equos curribus junctos vidiſſent, adeò fuiſſe perterritos, uti cum exclamatione fugerent: Carcerarum omnium pulcerrimam cognomentum habere Philoxeni poëtæ: in qua Cyclopem, omnium ſuorum pœmatum præſtantiſſimum, elaborarit; adeò parvipendens ſupplicium à Dionyſio ſibi conſtitutum & condemnationem, uti etiam in ipſis miſeriis atque ærumnis operam muſis daret.* Philoxeni hiſtoriam narrat Diodorus *lib. XV*. Meminêre item ejus, Cicero *ad Atticum lib. IV*; Plutarchus *in libro de Tranquillitate animi*; & item *de Fortunâ ac virtute Alexandri lib. II*; Lucianus *de mercede ſervientibus*; Suidas *in voce* Φιλόξενος. Syracuſani captivos Athenienſeis in hunc locum demiſerunt, ac duriter admodum tractarunt. Thucydides *lib. VII*. Diodorus *lib. XIII*. At hunc carcerem Dionyſius tyrannus poſteà clauſit, teſte Cicerone, loco jam ſcripto.

Neapolis, altera Syracuſarũ pars: quæ anteà Temenites.

LV. Ab ſeptemtrionibus *Tycha*, à meridie NEAPOLIS, inter Epipolas & Acradinam fuêre poſita. *Neapolin* deſcripſit Cicero dicto ſuprà loco. Ex Thucydidis *lib. VI* adparet, murum ante urbem totâ eâ parte, quâ ſpectat Epipolas, incluſo intra Temenite, excitatum à Syracuſanis, ne circumvallari poſſent ab Athenienſibus. Factum hoc eodem anno, quo Alcibia-

cibiades, Athenienſium in Sicilia dux domum ad judicium revocatus eſt; Olympiadis XCI anno II; Diodorus *lib. XIII.* Obſervandum heic, quam poſteriores dixère *Neapolin*, Thucydidem ſuo ſeculo adpellaſſe *Temenitem*; *ab Apollinis Temenita fano*; quemadmodum altera illa pars ἀπὸ τῆς τύχης, id eſt, *à fortunæ fano* Tyche. Eſt autem Τέμενος vox Græcis idem, quod Latinis *fanum* ſive *templum*. Signum hoc loco fuiſſe Apollinis, qui *Temenites* vocabatur, *pulcerrimum* & *maximum*, ſuprà è Cicerone intellectum eſt. Id Romam poſtmodo fuiſſe translatum, auctor eſt Suetonius *in vitâ Tiberii*.

V. TYCHA hinc ab ſeptemtrionibus reliquum claudebat Acradinæ latus occidentale, Neapoli multo amplior. Cicero *dicto loco*. Apud auctores variè legitur *Tycha*, & *Tyca* dialecto Jonicâ; quæ τύκω dicit, quod aliæ τύχω ſeu τεύχω. Apud Ciceronem variis in exemplaribus aliàs legitur Græcâ formatione *Tyche*; aliàs Latinâ, *Tycha*. nam Græcorum υ in tenue *u*, quod Gallofrancis nunc maximè & inferioribus circa Rheni Moſæ ac Scaldis amnium oſtia Germanis eſt proprium mutatum eſt. In Tycha fuit τὸ Ἑξάπυλον, HEXAPYLUM, ſive, ut Diodorus plurali numero vocat, τὰ Ἑξάπυλα, *Hexapyla*. Livius *lib. XXIV* tradit Hippocratem & Epicidem à Megaris per Hexapylum intraſſe Tycham, atque inde in Acradinam item Marcellum quoq; cum omnibus copiis, tùm ipſe, tùm Plutarchus per idem Hexapylum, vi effractum, irrupiſſe narrant, atque inde Epipolas conſcendiſſe. Certùm igitur eſt, Hexapylum fuiſſe publicam majoremq; Tychæ portam; quæ Megara verſus, & in Leontinos emittebat.

Tycha tertia Syracuſarum pars.

Hexapylum porta Tychæ.

Galeagra turris, in Tychæ muro. Cæterùm ad Tycham fuit GALEAGRA turris, Livio memorata, extremâ ſcilicet Tychæ parte, quà Acradinæ jungebatur, ad *portum Trogilorum*. In ipſo maris litore fuit *vicus Trogilus*, à quo vicani dicebantur τρωγίλιοι, *Trogilii*. & ab his navium ſtatio, PORTUS TROGILIORUM. Thucydides. *lib. VI & VII.*

Trogilus vicus.

Portus Trogiliorum.

Acradina quarta Syracuſarum pars.

VI. Hinc jam ſequebatur Ἀχραδινὴ, ACHRADINA, ſeu, ut legitur apud Ciceronem & Livium, *Acradina*, extrema ad mare & Inſulam pars, omnium maxima, munitiſſima & pulcerrima. Hinc cuncta etiam in eâ, quàm in reliquis partibus, celebriora ac magnificentiora; uti Tycham & Neapolim ſuburbia adpellarit Diodorus *lib. XI* & *lib. XIV*. Muro fuiſſe Acradinam ab Tychâ & Neapoli diviſam: validiſſimo cùm ex Plutarcho tum aliis auctoribus clarè patet. *Neapolim* quoque & *Tycham* ſuo ſibi quamque muro ab initio fuiſſe cinctas, ea docet ratio, quod antequam & *Epipolæ* & *Neapolis* fuêre communitæ, *Tycha* pars urbis habita fuit. Poſtquam verò Epipolæ quoque communitæ ſunt, murus iſte utriuſque urbis deiectus eſt. Florus *lib. II cap. VI triplicem* facit Sracuſarum *murum*: unum verò intelligit, quo inſula cingebatur, alterum, quo Acradina; tertium, quo Tycha ſimul & Neapolis Epipolæque comprehendebantur. Hinc Livius dicto *lib. XXV* ubi Marcellum, Hexapylo effracto per Tychæ extrema in Epipolas ſemel progreſſum, atque inde ad Neapolim atque Tycham milites diripiendas dimiiſſe narrat, nullius portæ amplius, nulliùs muri expugnationem memorat. Sed dictarum urbis univerſæ partium diſtinctio hâc maximè ratione facta eſt: Primùm *inſula* ab Corinthiis, duce

Archiæ,

Archiâ, communiri inhabitarique cœpta eſt, mox *Acradina* etiam in continenti adjecta, incoliſq; frequentata, hinc ſuburbium ejus, in quo τῆς τύχης, id eſt, *Fortunæ* erat fanum, quum in magnum incolarum ædificiorumque numerum veluti alterum opidum excreſceret, muro extrinſecùs circumducto reliquæ urbi additum eſt. Inde alterum etiam ſuburbium, in quo *Apollinis Temenitæ* templum, Tychæ adjectum, poſtremò *Epipolæ* etiam muro circumdatæ, Tychæque ſimul & Neapoli adnexæ fuerunt, muro, qui haſce duas parteis ab Epipolis ſeparabat, dejecto. Atque hunc ætatis ſingularum partium ordinem Cicero quoq; reſpexiſſe videtur *in dicta oratione in Verrem*: ubi primo loco *Inſulam*, dein *Acradinam*, mox *Tycham*, ac tandem *Neapolim*, recenſet. Cæterùm externus Acradinæ murus maris fluctibus adluebatur omnis, quem ex quinqueremibus Marcellus oppugnavit. Livius *lib. XXIV*. Nulla autem prorſus Acradinæ pars externa à terrâ potuit adiri; neque enim à terrâ ullum habuit murum; aut portam, niſi à Tycha. Itaque qui à Megaris & Leontinis adventabant, per Hexapylum Tycham, atque inde Acradinam ingrediebantur. De cætero, ut in Tychâ dictum Hexapylon, ſic in Acradinâ fuit τὸ Πεντάπυλον, PENTAPYLUM; ſive ut Plutarchus *in Dione* habet, plurali numero, τὰ Πεντάπυλα, *Pentapyla*. Fuit autem Pentapylum porta in extremâ parte Acradinæ, quà in Inſulam tranſibatur. *Erat ſub arce & Pentapylis ſolarium conſpicuum & excelſum; eo ubi conſcendit, concionatus eſt. In Dione* Plutarchus. *Pentapylum in Acradina.*

VII. Quintæ urbis Syracuſarum parti vocabulum *Inſula. quinta*

pars Syracuſarum: quæ & Arx ac proprio nomine Ortygia,

bulum INSULÆ tribuitur à Cicerone *in dictâ oratione Verrinâ*; Græcis auctoribus Diodoro atque Plutarcho dicitur Νῆσος; & Livio *Naſſon*. Quod vocabulum plerique ſcribunt ſimplici ſ *Naſon*: quia Græcum erat Νᾶσος, Doricâ dialecto; quâ uſi ſunt Syracuſani, pro communi Νῆσος. Verùm eâdem dialecto dici poterat, geminato σσ, Νασσὸς. De cæterò proprium inſulæ nomen fuit Ὀρτυγία, ORTYGIA, ob mirandum Arethuſæ fontem celebratiſſimum. Ipſa verò inſula memoratur auctoribus quàm plurimis; cujus deſcriptionem è Cicerone legimus hujus capitis, ſect. I. Hanc inſulam ejectis inde Siculis primùm novi coloni Græci inhabitarunt, ac ductu Archiæ Syracuſas condiderunt. Thucydides *lib. VI*; eamque poſtmodum Syracuſani aggere connectentes continenti, in Siciliâ etiam habitarunt. Vocabatur ea Siciliæ pars *Vrbs exterior*, nomine *Acradina*. Scholia in Pindari *Olympion. oden VI*: Et *in Pythior. oden II*. Et *item in Nemeor. oden I*. Scholiaſtes Thucydidis *in lib. VI*. Inſulam poſteà ex peninſula denuo factam patet ex Strabonis *lib. I*. Cicero inſulam hanc ponte Acradinæ junctam tradit dicto

Hieronis regia.

loco. At poſt Strabonis tempeſtatem iterum, aggere jacto, peninſula effecta eſt. Scholiaſtes Thucydidis. Domus iſta ſeu regia Hieronis, quàm memorat loco præſcripto Cicero, etiam reliquorum regum ſive tyrannorum fuit regia atque arx. Plutarchus *in Timoleonte*. Iuſtinus *lib. XXI*. In eâdem inſulâ & *Horrea* fuiſſe

Horrea publica Syracuſis.

publica narrat Livius *XXIV*.

Arethuſa fons.

VIII. At nihil celebriùs in totâ inſulâ fuit fonte ARETHUSA: de quo immania quædam fabulati ſunt priſci mortales. Vulgata eſt fabula, Alphéum

fuiſſe

fuiſſe venatorem; Arethuſamque adamaſſe, & ipſam venandi ſtudioſam. quæ, quum illius nuptias abnuiſſet, in inſulam hanc Ortygiam tranſmiſiſſe; atque ibi in fontem eſſe converſam. ipſi etiam Alphéo accidiſſe, uti præ amore in amnem Arcadiæ ejuſdem nominis mutaretur. Ac porrò fabulantur hunc Alphéum, in Peloponneſo ortum, per, ſeu ſubter mare alveo ſuo, ſeu infra terram per alveum ſubterraneum duci uſque in Ortygiam inſulam, ibique cum Arethuſa fonte miſceri. Pauſanias *in Eliacis*; Ovidius *Metamorph. lib. V. &c.* Manifeſta mendacia, Græcæq; vaniloquentiæ putidiſſima figmenta, quæ in hujus rei confirmationem adferuntur, heic adſcribere piget. quum ipſe Strabo *lib. VI* non ſolùm ea, quæ de Alphéi per mare fluxu in Ortygiã traduntur; verùm etiam quod de paterâ apud Olympiam in Alphéum fluvium prolapsâ, & ad fontem Arethuſam delatâ narratur, rideat ac refellat. hæc enim & alia ſacerdotum figmenta poëtæ carminibus ſuis concelebrarunt; adeoquè imperitæ plebi impoſuerunt. Fuit autem fons ille aquæ dulcis piſcium pleniſſimus, ac, ne fluctibus operiretur, munitione & mole lapidum à mari disjunctus, ad portum magnum & inſulæ latus occidentale. Cicero *lib. IV & V in Verrem.* Thucydides *lib. VII*; Diodorus *lib. XIII*; Et Fazellus *Decad. I lib. IV cap. I* qui addit, ſuâ ætate, anno Salutis CIƆ IƆ VI Id. Januar. Arethuſam cum aliis ejuſdem loci fontibus ſcaturire deſiiſſe. De cætero *Dianæ* fanum, quod Cicero in Ortygia inſula memorat, ad ipſum fuiſſe Arethuſæ fontem, teſtantur Scholia *in Pindari Pythior. odem II.* *Dianæ fanum.*

IX. Syracuſarum *portus duo* ſunt, quorum alter *Portus Syracuſa.*

 intra

tum duo; Magnus ſeu major qui & ſinus Syracuſanus, Sicanius & portus Arethuſ.

Portus parvus ſeu minor; Laccius, in quo Navalia Syracuſanorum.

intra mœnia & propè in ædificatione urbis; alter extra ſitus eſt: qui quum diverſos inter ſe aditus habeat, in exitu conjunguntur & confluunt. Eorum conjunctione pars opidi, quâ adpellatur inſula, mari disjuncta anguſto, ponte rurſum adjungitur continenti. Cicero *lib. IV in Verrem* Scylax. Strabo *lib. VI.* *Portus major*, ſaxoſis & abruptis litoribus ferè totus incinctus, vix V hodie ambitu conficit paſſuum millia. Livio *lib. XXV* paſſim, vocatur *Magnus.* Vulgò etiam nunc incolis dicitur *Porto maggiore.* Os ejus ſive fauces, quas inſula Ortygia cum adverſo Plemmyrio promontorio includit, 10 circiter paſſus patent. Ipſe portus Virgilio *Aeneid. lib. III.* dicitur *Sicanius ſinus:* ejus verò commentatori Servio, *Syracuſanus.* Procopio *Vandal. rer. lib. I*, adpellatur *Arethuſæ portus.* At Florus *lib. II cap. VI* memorat *portum marmoreum.* Is Siciliæ ſcriptoribus exiſtimatur fuiſſe, qui aliàs Thucydidi *lib. VI* & Straboni *Minor*, hodieque *Porto picciolo* vulgò incolis dictus, inter Acradinam & inſulam urbi ſeſe ab oriente inſinuat. *Fundum* ejus *quadratis lapidibus magnâ arte ſubſtratum* habuiſſe teſtatur Fazellus, *decad. I, lib. IV, cap. I*, idem tradit, *aquæ ductum lapideum, non mediocris amplitudinis ibi ſub fluctibus maris fabricatum, adhuc magnâ ſui parte integrum videri. quo aqua ex perenni fonte, quæ reliquas urbis parteis irrigabat, à proximâ Acradinâ ſubter mare labentes huc permanavit.* Quum aliquoties noſtro ævo pene exaruerit, Mirabella teſtatur *ſe in eum deſcendiſſe, multaque inibi ingentia ſaxa quadrata, quibus fundus ejus conſtratus fuit, offendiſſe.* *Navalia* heic fuiſſe Syracuſanorum auctor eſt Thucydides. Diodoro *lib. XIV* vocatur *Parvus Portus*; & proprio nomine, Λάκκιος

Lac-

Laccius. Navalia capacia fuerunt LX triremium; portam habebant, quâ ſingulæ tantùm naves ingredi poſſent, clauſam. At murus, quo LX triremium capax navale includebatur, non in faucibus portus, ſed in interiore ejus parte fuit exſtructus, ubi etiam nunc inſignes ejus reliquiæ ſub fluctibus lapides quadrati prægrandes viſuntur, una cum dictæ portæ canali profundo.

Syracuſarũ magnitudo & ambitus.

X. Strabo *lib. VI* tradit, ambitum univerſæ urbis Syracuſarum fuiſſe ſtadiorum CLXXX, id eſt, millium XXII cum dimidio. Atque hunc verum eſſe ejus ambitum, facilè deprehendat, qui crepidines, quibus ſuper inſtructa fuit urbs, à mari ad Euryélum uſque tumulum circum metiatur. nam totus urbis antiquæ locus, uno perpetuoque ſaxo conſtans, reliquo circà ſolo elevatior eſt. Aequalem omnibus partibus fuiſſe Athenis, vel inde maximè patet, quod cùm hàc illam auctores iiſdem penè verbis contendunt. Diodorus *lib. XVI*, Cicero *in Verrem lib. IV*. Cæterùm in ipſis muris frequentes & excelſas fuiſſe turreis teſtantur Diodorus *lib. IV*, & Livius *lib. XXV*. Syracuſis olim exſtitere viri celebres, *Hiero*, quem Xenophon laudat; Theocritus poëta, Archimedes, & multi alii. Atque hactenus de Syracuſis. Nunc proxima urbi loca exponenda.

Thymbris fluvius.

XI. Theocritus, *in Idyllio I*, meminit *Thymbridis*; Sed jam antiquis temporibus, teſte ejus Scholiaſte, controverſum fuit, quidnam τῆς Θύμβριδος voce Theocritus intellexerit; pleriſque non *fluvium*, ſed *mare* interpretantibus. Ita enim verſus ejus ſtruendus erat; ποταμοὶ, τοὶ χεῖτε καλὸν ὕδωρ κατὰ Θύμβριδος, id eſt,

ſluvii, qui pulcram fundiis aquam in Tymbrin, hoc eſt, *in mare*. Servii nugas, quas ad hunc verſum: *Si quando Tybrin, vicinaque Tybridis arva &c. Aeneid. lib. III* habet, heic adſcribere piget; ubi ait; foſſam ad Syracuſas dictam *Ybrin* ἀπὸ τῆς ὕβρεως; ac inde *Albulam* dictam fuiſſe *Tybrin*, quaſi Ὕβριν.

Leon vicus. XII. Verſus ſeptemtriones haud procul à Syracuſis *locus* ſive *vicus* fuit Thucydidi *lib. VI*, ac Livio *lib. XXIV*, Λέων, LEON dictus. Ultra Euryélum verſus occaſum ſolſtitialem locus arduus atque aſper, vulgò nunc incolis *Criniti*, Thucydidi *lib. VII*; ubi diſceſſum Athenienſis exercitus ab Olympio opidulo & intimo Magni portus receſſu verſus Catanam memorat; vocatur Ἀκραῖον λέπας, id eſt, SUMMA RUPES.

Summa rupes.

Temenites fons. Milichie fons. XIII. Τεμενῖτις κρήνη, TEMENITES *fons*, Siculis ſcriptoribus putatur is, qui contra Epipolarum auſtrinum latus vulgò nunc dicitur *Fonte di Canali*. MILICHIE vero fons, is, qui ſub Neapolis tractu vulgò accolis vocatur *La Piſmotta*, ſapore & ſalubritate omnes Syracuſani agri præſtans. unde & nomen ei quæſitum putant Μειλιχίη κρήνη, id eſt, *fons ſuavis* atque *mellitus*. Memorantur hi fontes Plinio *lib. III, cap. VIII*.

Lyſimelia ſtagnum, ſive lacus. XIV. Porro inter Acradinam & Anapum flumen ad Magnum portum fuit ἡ Λυσιμέλεια λίμνη, id eſt, LYSIMELIA *ſtagnum*. Memoratur Thucydidi *lib. VII*, ex quo aperte patet, in ipſo plano illo ac depreſſo littore fuiſſe ſtagnum Lyſimeliam, quòd eſt ad Anapi fluminis oſtium: ubi hodieque reſtagnans aqua, ſive palus, vernis autumnalibus ac pluviis diebus cernitur. Meminit huius ſtagni Theocritus, quoque Syracuſanus *Idyllio XVI*.

XV. Su-

XV. Supra Lyſimeliam protinus fuit SYRACA *palus*: unde ipſum nomen Syracuſis impoſitum. Eadem & *Tyraca* dicebatur, Attica dialecto. Vibius Sequeſter, *in Catalogo paludum*. Stephani epitomator. Thucydides *lib. VI*. Inſalubrem reddidiſſe has paludes locum, innuunt Strabo *lib. VI*, Livius *lib. XXV*, & Diodorus *lib. XIII & XIV*. *Syraca palus.*

Cap. XIII.

Anapus amnis. Pratum Syracuſanum. Cyane fons. Archidemia fons. Olympium, opidum & Jovis templum. Daſcon ſinus. Plemmirium promontorium. Magaea fons. Caeparis, Erineus, Aſſinarus, amnes. Longum promontorium. Nauſtathmus. Phœnicûs portus. Helorum flumen & opidum. Helorina via.

I.

SEquitur prædictam paludem proximè Ἄναπος, ANAPUS *amnis*; hodie accolarum ſimplicitati vulgari vocabulo *Alfeo* dictus. Meminère ejus auctores multi. In hujus quoque fluminis vocabulo enodando grammatici ineptias ſuas exercuerunt. *Iis Anapus dictus, quia ſine potu eſt, debilem habens aquam: vel, quod pedibus tranſiri nequeat.* Ita Scholia in Theocriti Idyllium 1. Ex Thucydidis *lib. VI* patet Anapum flumen eſſe ad PRATUM Syracuſanum; quod eſt ſupra Syracam paludem, inter Anapum, ſive ut nunc vocant, Alphéum & Neapolim. Cæterùm *Anapus hic per duo millia paſſuum ſub terrâ mergens, Syracuſis miſcetur mari*: Superior ejus pars à fonte adpellata fuiſſe videtur *Anaſſphorus*: media, qua ſubter terram fluebat, *Anos*: ex- *Anapus amnis.* *Pratum Syracuſanum.*

tima, ad mare uſque *Anapos*. Vibius *in Catalogo flumi-num*.

Cyane fons. II. In Anapi dextam ripam, duobus millibus paſſuum à mari, defluit Κυάνη, CYANE *fons*. Hodiè vulgari vocabulo dicitur accolis *La Piſma*. eſtquè ingens, ad modum ſtagni. unde etiam Diodoro *lib. V* dicitur Λίμνη, id eſt, *lacus*: & à Vibio inter lacus recenſetur. Flumen à fonte profluens, poſt mille circiter paſſus dextræ Anapi ripæ adfunditur. Ad hunc *Cyanes* fontem quoque *Fanum* fuit. Diodorus *lib. XIV*. Antiquorum fabulas de hoc fonte cognoſci poſſunt ex Diodori *lib. IV & V*: Ovidii *Metamorph. lib. V*. Claudiani *de Raptu Proſerpinæ lib. III*, & Daſitheo apud Plutarchum *in Parallelis*. Cæterùm medio ſitu inter Cyanen & Anapum fons eſt vulgari nunc vocabulo *Ceſalino*. Is creditur eſſe idem, qui Plinio *lib. III cap. VIII* vocatur ARCHIDEMIA. ſed huic opinioni documentum adeſt nullum. *Archidemia fons.*

Olympiũ, opidulum cum Iovis templo. III. At haud procul ab Anapo, medio fereſitu inter Cyanen & Magnum portum fuit τὸ Ὀλυμπιεῖον, OLYMPIEUM, ſive ut pleriſque ſcribitur, Ὀλύμπιον, OLYMPIUM; opidulum, cum *Jovis Olympii* templo, Thucydidi *lib. VI & VII*, Livio *lib. XXIV*, Diodoro *lib. XIII & XX*, & Plutarcho *in Nicia*, memoratum. Dives fuiſſe templum donariis, auctor eſt *in eodem Nicia* Plutarchus. Exſtant hodieque ejus fani haud procul dextrâ Anapi ripâ, ad dextrum viæ latus, quà ad Pachynum verſus itur, VII reliquæ columnæ prægrandes, cum aliis quadratorum ſaxorum fragmentis unde magnitudo univerſi templi colligere datur. Non item-

templum heic tantum fuiſſe *Jovis*, ſed & *opidulum* juxtà ſitum, auctor eſt Thucydides *dicto lib. VII.*

IV. Intimus Magni portus verſus meridiem receſſus ὁ Δάσκων, DASCON dicebatur *ſinus*. Hodiè vulgò accolis vocatur *La Marina di Milocca*. Memoratur Thucydidi *lib. VI* & Diodoro *lib XIII.* Hic *lib. XIV.* χωρίον memorat πρὸς τῷ Δάσκωνι, id eſt *caſtellum apud Daſconem*, id & ipſum eodem adpellatum fuiſſe nomine, auctor eſt Philiſtus apud Stephanum. *Daſcon ſinus & caſtellum.*

V. Τὸ Πλημμύριον ἄκρα, καὶ φρούριον, id eſt, PLEMMYRIUM *promontorium* & *caſtellum* memorantur Thucydidi *lib VII*, Plutarcho *in Nicia*, Stephano, ac Virgilio *Aeneid. lib. III*, ad quem locum Servius tradit promontorium hoc *Plemmyrium*, hoc eſt, *undoſum* adpellatum; quia πλημμυρία, Græcis dicitur *inundatio*. Hocce promontorium hodiè vulgò incolis vocatur *Maſſa d' Olivero*. Locus caſtelli, haud procul ab extimo promontorii excurſu, paullò elevatior, veſtigia adhuc quædam veteris ſtructuræ ſuſtinet. At PARVA illa INSULA Thucydidi dicto loco memorata, exiguo intervallo à Plemmyrio promontorio divulſa, vulgò nunc vocatur *L' Iſola del Caſtelluccio*. *Plemmyrium promontorium & caſtellum.* *Parva inſula ante Plemmyrium.*

VI. Porrò ad prædictum Daſconem ſinum, fuit τὸ Ἡράκλειον, id eſt, HERCULIS FANUM; Plutarcho memoratum *in eodem Nicia*. Hujus fani ruinis ſuperſtructa poſtmodùm eſt ædes divæ Mariæ Magdalenæ. Haud procul eſt fons vulgò dictus *La Fontana della Maddalena*. Is Siculis hoc ævo ſcriptoribus putatur eſſe Plinii *Fons Magaa*, *lib. III cap. VIII.* Ultra Olympium caſtellum pars quædam Syracuſani agri, mari proxima, dicta *Herculis fanum.* *Magaea fons.*

Gyas ager.

dicta fuit ὁ Γύας, GYAS, Plutarchus *in Dione*. Hodiè vulgo vocatur *Longarino è Cuba*.

Cacyparis amnis.

VII. Thucididi *lib. VII*, Diodoro *lib XIII*, & Plutarcho *in Nicia*, tres ab Anapo proximi certo ordine referuntur amnes, *Cacyparis*, *Erineus*, & *Aſinarus*. At hodiè tres primi à dicto Anapo vulgaribus vocabulis dicuntur, *Caſibili*, *Miranda*, & *Falconara*. Ex his igitur *Caſibilis*, ſive, ut quidam vocant *Thaſibilis*, *XII* millia paſſuum ab Syracuſis diſſitus, antiquorum ille eſt Κακύπαρις, CACYPARIS. Inde poſt VI circiter millia ſequitur *Miranda*; qui eſt Ἐρινεὸς, ERINEUS. Ptolemæi Ὄρινον, *Orinum*, eumdem eſſe amnem, qui Thucydidi dicitur *Erineus*, omnes hactenus ex ſimilitudine vocabulorum conjecerunt viri docti. Porrò ab Erineo ſive Mirandâ VI millia ſunt ad *Falconaram*; qui veterum ille eſt κοῖλος ποταμὸς, id eſt, *in concavo loco ſive in valle amnis* ASSINARUS, ſeu ASINARUS: utrumque enim rectè. At Πολυζήλειον αὐλὴ, POLYZELIUM *villa*, quo ſitu fuerit, planè incertum eſt: niſi quod inter Cacyparim, & Erineum fuiſſe, ſatis diſertè pateat. Nominis hoc accepiſſe videtur villa *à Polyzelo*, Hieronis, Syracuſanorum regis, fratre; qui *Scholiis in* Pindari *Olymp. oden II* memoratur: quia hic conditor, vel ſaltem dominus ejus fuit. Cæterùm Ptolemæi τὸ Μακρὸν ἄκρον LONGUM *promontorium* medium inter Orinum ſive Erineum & Syracuſas, nullum aliud eſſe poteſt, quàm quod hodieque hoc ſitu vocatur accolis vulgari vocabulo *Lognina*. χερσόνησον autem, ſive *Peninſulam* iſtam eſſe Thapſum, ſuprà oſtenſum eſt.

Erineus, ſive Orinus fluvius.

Aſinarus fluvius.

Polyzelium villa.

Longum promontorium.

Helorum flumen.

VIII. Ἔλωρος ποταμός, HELORUM *flumen* proximè Pachynum fuiſſe promontorium clarè ex Virgilii

gilii *Aeneid. lib. III* & Stephano patet. Clara & certa cùm fluminis tum opidi Helori indicia attulit. Fazellus *in Decad. I, lib. IV, cap. II*; ubi quoque *Heloria tempe*, Ovidio *Faſtor. lib. IV* memorata, deſcribit. Rudera quæ mille circiter paſſus à mari recedere tradit, antiqui HELORI opidi videntur eſſe reliquiæ. Fuiſſe autem præter hanc urbem *caſtellum* etiam *Helorum*; *cum piſcinâ, qua cicures fertur habere piſceis, qui è manu edant*, teſte Vibio *in Catalogo flum*: ex Plinii *lib. XXXII cap. II* diſcitur. *Helorum* verò *opidum* celebre fuiſſe, patet cùm ex theatrorum, arciumque & aliorum ædificiorum, item ex ſepulcretorum reliquiis, tum inde etiam, quòd via hinc, tanquam à celeberrimo loco, Syracuſas uſque producta, ὁδὸς Ἑλωρίνη incolis, id eſt, *via Helorina* dicebatur. Thucydides *lib. VII*. Atque ex eodem argumento antiquitas iſtius urbis Græcanicæ perſpicitur. *Pelorum* opidum memoratur quidem Livio *lib. XXIV* & Ciceroni *in Verrem lib. IV*. Sed corruptum id eſſe vocabulum ex genuino *Helori* opidi certum eſt; quum nemo auctorum reliquorum quicquam de Peloro opido reliquerit.

Heloria tempe. *Helorum opidum & caſtellum.* *Piſcina Helorina.* *Helorina via.*

IX. NAUSTATHMUS *Portus* Plinio *lib. III cap. VIII* inter Elorum & Syracuſas recenſetur. Videtur ea eſſe navium ſtatio, quæ ad Cacyparis fluvii oſtium & Longum promontorium vulgò nunc vocatur *Fontana bianche*. Si verò Plinium ſuſpiceris ordinem locorum tranſpoſuiſſe; quum portus iſte *Nauſtathmus* eſſet idem, qui nunc ſub Pachyno dicitur vulgò *Vindicari*: certè ipſum vocabulum Ναυσταθμὸς non *portum*, ſed *ſtationem* tantùm *navium* ſignificat. Φοινικοῦς *urbs & amnis* memorantur Stephano, & *Portus Phœni-*

Nauſtathmus portus. *Phœnicus flumen & opidum.*

cús Ptolemæo, qui haud dubiè idem eſt cum Stephani opido Phœnicûnte. Propè tamen Helorum opidum, ac paullò magis verſus ſeptemtrioneis eum portum collocavit in tabulâ Ptolemæus, unde colligitur, *Phœnicûntem amnem* eſſe eum, qui II millibus paſſuum ab Helori lævâ ripâ verſus ſeptemtrioneis diſtat.

CAP. XIV.

Pachynum promontorium. Portus Pachyni. Odyſſéum ſive Ulyſſéum promontorium. Portus Odyſſea ſive Ulyſſei promontorii. Hecabes fanum, & Hecates cenotaphium. Motycanus & Hirminius amnes. Caucana portus, & opidum. Bucra promontorium. Fons Dianæ. Camarina palus & urbs; quæ antè Hyperia, Phæacum ſedes. Amnes Hipparis & Oanus.

I.

Pachynus promontorium. SEquitur ab Heloro amne Πάχυνος ἄκρα, PACHYNUS *promontorium*, vulgò nunc accólis *Capo Páſſaro* & *Páſſaro* dictum; orientale Siciliæ latus cum Peloro definiens. Memoratur compluribus auctoribus. Ut verò *Pelorus* promontorium, neutro etiam genere dicebatur *Pelorum*; ita & *Pachynus* eodem genere vocatur *Pachynum*; Plinio *lib. III cap. VIII* & Melæ *lib. II cap. VII*. Maſculino tamen invenias longè frequentiùs. Cæterò ipſum promontorium ita deſcribit Fazellus, *Decad. I lib. V, cap. I*: *Pachynus paſſibus mille poſt Mariellam in ſublime ſurgit. ubi ſtatim turrim habet ſpeculam, mari prominentem. unde deinde longè latéque, duorum ferè milliarium ſpatio ad auſtrum in mare effunditur: ac ibi demum paulisper depreſſum, ad ſiniſtram curvato litore ſe flectit; & peninſulam efficiens, ad orientem procurrit.*

curris, cujus quidem peninſula, ſexcentorum dumtaxat paſſuum circuitum amplexa, tota petroſa, aſpera, altiſque prærupta eſt cautibus; iſthmumque anguſtiſsimum XX paſſuum habet: quo fit, ut brumali tempore tumeſcente mari, & fluctibus utrimque ſeſe obviantibus, in inſulam plerumq; abeat. Hinc Lycophroni *in Alexandra* adpellatur *ſcopulus inſularis*.

II. In Lævo Pachyni latere PORTUS fuit PACHYNI, ex quo Romanorum claſſis turpiter profugit, quum audiiſſent piratarum naveis eſſe in *portu Odyſſea*; qui Ciceroni *in Verrem lib. V* corruptè dicitur *portus Ediſſa*; quum Græcis fuerit incolis τῆς Ὀδυσσείας, ODYSSEÆ portus, ab *Odyſſeo promontorio*, quod Ptolemæo memoratur; cui ultimus locus in meridionali inſulæ latere, proximuſque Pachyno promontorio dicitur Ὀδύσσεια ἄκρα, id eſt, ODYSSEA ſive *Odyſſeum* promontorium; ſive, Latinè ſi loqui malis, *Ulyſſeum promontorium*; ſeu *Ulyſsis promontorium*, quod hodiè vulgari vocabulo dicitur *Capo di Marza*, & item *Capo di Caſtellucio*: namque hoc ultimum eſt, quod in meridiem vergit; Pachyno hinc jam ortum ſpectante. Huic Ulyſſis promontorio ſinus ab occidente adjacet navium capaciſſimus, communibus promontorij cognomentis; idem *porto de Caſtelluccio* nuncupatus. Ad ipſum autem promontorium, *inſignis urbis*, teſte Fazello, *dijecta ambitus mille quingentorum paſſuum exſtant monumenta, arciſque ad extremitatem à mari percuſſa, adiumque veteris architectura in ſubterraneis ſimul exſtantibus locis veſtigia.* Hic idem videtur eſſe locus, qui Ciceroni loco jam dicto corruptè *Ediſſa portus* vocatur, nam Latinos auctoreis Græca locorum

Portus Pachyni.

Odyſſea portus.

Odyſſeum ſive Ulyſſeum promontorium.

Græcorum vocabula plerumque retinuiſſe, vel ſexcentis paſſim documentis patet. Inde autem hic portus nomen accepit, quòd Ulyſſem in longinquâ illâ oberratione huc adpuliſſe fabulati ſunt priſci mortales. In eo portu Ulyſſéi promontorii *fanum* fuit *Hecatæ*, & *Cenotaphium Hecabæ*, ab Ulyſſe exſtructa. *Hecate ſpectrorum eſt cauſa, formidabilis, areos habens pedeis, ſerpentem referens, atque monſtroſa.* Tzetzes *in Lycophronis Alexandra*.

Hecabes templum, & Hecates Cenotaphium.

III. Porrò litus ab Ulyſſéo promontorio ad Camarinam uſque urbem, cujus nomen hodiè in ſpecula manet, deſcribitur Plinio *lib. III cap. VIII*, memoraturque HIRMINIUS amnis, qui haud dubiè is eſt, qui, maximus inter Pachynum & Camarinam, vulgari nunc accolis vocabulo dicitur *Mauli*, & item *Fiume di Raguſa*. At Μοτυχανὸς ſeu Μοτυκανὸς ποταμὸς, MOTYCANUS fluvius, Ptolemæo memoratus, is eſt, qui citra Hirminium vulgò nunc vocatur *Scicali*; tenui alveo: oriturque exiguo ſupra opidum, cui vulgare nunc vocabulum *Modica*, olim autem Ptolemæo in mediterraneis Μότουκα, *Motuca*; aliis verò Μότυκα, *Motyca* dicebatur. quod opidum una cum cognomine opido *Scicali* hic fluvius tranſgreſſus, poſt VII à fonte millia paſſuum mari miſcetur.

Hirminius fluvius.

Motycanus amnis

IV. Poſt Hirminium flumen ſequuntur Καύκανα λιμὴν, id eſt, CAUCANA *portus*, & Βύκρα ἄκρα, hoc eſt, BUCRA *promontorium*. Vocabulum portus pluralis eſſe numeri, τὰ Καύκανα, è Procopii *Vandal. rer. lib. I* diſcimus. *Bucra promontorium* nullum aliud eſſe poteſt, quàm quod unicum in hoc inter Odyſſéum promontorium & Camarinam litore longiùs in mare pro-

Caucana opidum, & portus.

Bucra promontorium.

procurrit, vulgò nunc accolis *Capo di Scarami* & *Scalami*, ſive *di Scarambri* & *Scalambri* dictum. Hinc *Caucana opidum* cum *portu*, quem medium Ptolemæus refert inter Bucram promontorium & Motucanum amnem, haud dubiè eo ſitu fuit, ubi etiamnunc magnæ urbis duorum millium paſſuum tractu ad divi Nicolai uſque fanum veſtigia in litore conſpiciuntur. Incolæ hodiè loca hoc tractu patriâ linguâ *Longobardo*, *Cummo*, atque *Mulinazzo* adpellant.

V. Ad ipſum promontorium Bucram effunditur amniculus, cujus fons IV ferme millia ſupra litus ad vicum, cui vulgaris adpellatio eſt *Santa Cruce*, exoriens, vulgò nunc accolis vocatur *Favara*. DIANÆ dicitur *fons* Solino *cap. XI* & Priſcano. *Dianæ fons.*

VI. Ipſa hinc Καμαρίνα πόλις, CAMARINA *urbs* in ipſo litore edito loco inter duos amneis poſitâ fuit, quorum alter nunc *Fraſcolari*, ſeu *Fraſcolani*, alter *Camarána* vulgò vocatur; compluribus memorata auctoribus: quia & ipſa una ex potentiſſimis celeberrimiſque Siciliæ fuit civitatibus. Erravit Ptolemæus in mediterranea ad X millia paſſuum ab litore eam removens. In litore locarunt Plinius *lib. III cap. VIII* & Scylax Hodiè ex urbe tam celebri nihil reliquum eſt præter nomen & antiquorum mœnium, quorum ambitus ad CIƆ IƆ paſſus patet, & ædificiorum tenues reliquias nam patrum noſtrorum memoriâ, omnia reliqua vetuſtatis monumenta in opidum, cui vulgare nomen *Terra nouva*, XVIII milia paſſuum hinc diſſitum translata ſunt. Turris tamen ſeu ſpecula quadrata, elegantis operis atque eximiæ magnitudinis, è ruinis ejus paullò antè erecta fuit; *Torre di Camarána* etiam *Camarina urbs.*

nunc vulgò nuncupata. A Syracuſanis olim conditam fuiſſe urbem *annis ferme CXXXV poſtquam Syracuſæ conditæ*, auctores ſunt Thucydides *lib. VI*, Marcianus Heracleenſis, ac Strabo *lib. VI.* Syracuſas conditas fuiſſe à Corinthiis, Archiâ duce, Olympiadis XI anno I, ſuprà oſtenſum eſt. Condita igitur *Camarina* fuit circa Olympiadem XLV. Sed anno XLVI poſt, quàm condita fuit, iterum fuiſſe ab iiſdem Syracuſanis everſam, auctor eſt prædictus Marcianus, *in Orbis deſcriptione.* At Scholia *in* Pindari *Olymp. od. V* ita habent: *quum Olymp. XLV primùm eſſet condita* (Camarina) *Olympiade LVII à Syracuſanis everſa eſt: atque iterum Olympiade LXXXII de novo reſtituta.* De ea re Diodorus *lib. XI* ita: *Summum Athenis magiſtratum gerente Euippo, in Siciliâ Camarinam Gelenſes occupantes, de novo agros inter ſe diſtribuerunt.* Factum hoc VII annis poſt Gelonis exceſſum. Sicut *Syracuſæ* à palude *Syraca* nomen acceperunt. Ita auctoribus memoratur Λίμνη Καμαρίνα, id eſt, *palus* ſive *Lacus* CAMARINA; unde urbs denominata: aliter etiam *Camarinam urbem Pſaumidis* vocatam traditur in Pindari Scholiis dicto jam loco. Servius ad *Aeneid. lib. III*, ubi *Camarina* poëtæ memoratur, de palude hâc ita ſcribit: *Palus eſt juxta ejuſdem nominis oppidum. de quâ quodam tempore, quum ſiccata peſtilentiam creaſſet, conſultus Apollo, an eam penitùs exhaurire deberent, reſpondit*: Μὴ κίνει Καμαρίναν· ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων. *Quo contemto, exſiccaverunt paludem: & ſedatâ peſtilentiâ, per eam partem ingreſſis hoſtibus pœnas dederunt.* Idem narrat in eumdem poëtæ locum Pomponius Sabinus. Hinc proverbium illud: *Ne moveas Camarinam*; eſt dictum de iis, qui ſibi ipſi nocent. Palus ea, ſeu veriùs

Camarina palus, ſive Lacus.

lacus

lacus aut *ſtagnum*, in amœniſſimâ planitie ſub ipſis Camarinæ urbis veſtigiis triangulâ ferè ſpecie ſita, hodiéque vulgò accolis vocatur *Lago di Camarána* : ut & amnis medium lacum tranſiens, *Fiume di Camarána*. Olim autem hic dictus fuit Ἵππαρις, HIPPARIS. quod patet ex Pindari dictâ odâ ejuſque Scholiis. Oritur XII circiter millia paſſuum à mari, in medio opidi Yhomiſi foro, fonte adeò uberi ac copioſo, uti ſtatim à teli jactu molis ſufficiat convolvendis. hinc ripas eius frugum ac domeſticarum arborum omnis generis feraciſſimum cingit ſolum. V circiter millia paſſuum à litore prædictum *lacum Camerinam* influit. quem perperam Latini auctores *paludem* vocaſſe videntur; quando non aquæ id pluviæ, ſed indigenæ, fontes numero plures XX efficiunt. quare rectiùs ipſi accolæ Græci λίμνην pariter omnes, id eſt, *lacum*, adpellarunt. *Hipparis amnis.*

VII. Ὑπέρεια HYPERIA Phæacum urbs memoratur Homero *Odyſſ. lib. VI.* De ea Didymus Homeri commentator: *Hyperia. alii Siciliæ ajunt eſſe urbem Camarinam : alii confictum ſic nomen ab eo, quòd ultra nobis cognitam terram ſitus ſit locus. alii inſulam fuiſſe putant prope Cyclopum terram.* Ita quoque Euſtathius. Heſychius: *Hyperia ; Phæacum urbs & fons.* Aut igitur *Hipparis* fluvius ab iſtâ *Hyperia* nomen traxit, aut hæc ex illius vocabulo omnis Homerò conficta eſt. Certè grammatici quidam ex amnis vocabuli ſimilitudine conjectarunt circa Camarinam fuiſſe illam Hyperiam; quum ipſe poëta intellexerit inſulam Cyclopum terræ vicinam. At ὁ Ὤανος ποταμὸς, OANUS *amnis*, Pindaro loco ſuprà ſcripto ad Camarinam memoratus, nullus alius *Hyperia Phæacum ſedes.* *Oanus fluvius.*

aliuſ eſſe poteſt, quàm qui ab orientali urbis latere nunc vulgò *Fraſculári* & *Fraſculani* adpellatur.

CAP. XV.

Gela, fluvius & urbs; quæ anteà Lindii. Geloi Campi. Apollinis ſtatua ingens. Achates & Vagedruſa amnes, Gelonium ſtagnum. Agrigentum urbs; quæ anteà Omphace. Acragas & Hyſa fluvii.

I.

Gela fluvius, & urbs; quæ anteà Lindii.

IN eo litore ὁ Γέλας ποταμὸς, id eſt, GELA *fluvius* & ejuſdem nominis *urbs* memorantur auctoribus quamplurimis. Thucydides *lib. VI* de his ita ſcribit: *Gelam Antiphemus è Rhodo & Entimus è Creta colonos ducentes, communi operâ condiderunt, anno XLV poſt, quàm Syracuſæ conditæ fuêre; impoſito à flumine Gelâ urbi nomine: quum locus, ubi nunc urbs ſita eſt, quique jam anteà communitus erat, Lindii vocaretur.* Nempe ab ipſis conditoribus *Lindiis*; qui cum Antiphemo, coloniæ duce, à *Lindo* Rhodi opido profecti erant. Grammaticorum nugas, qui à ridendi argumento nomen urbi impoſitum volunt, adferre tædet à γελάω, hoc eſt, rideo. illis urbs Gela dicta ſatis ridiculè. Alii flumen nomen habere volunt, ab eo, quod multam glaciem gignat, quæ Opicorum & Siculorum lingua gela dicatur. Herodotus *lib. VII.* Cæterùm opidani Plinio *lib. III cap, VIII* dicuntur *Gelani*: at Ciceroni, *in Verrem lib IV*, *Gelenſes*. Græcis auctoribus omnibus dicuntur Γελῷοι, *Geloi* unde *Geloi campi*: Virgilius *Aeneid. lib. III.* Cæterùm urbs fuit condita, ut ait Thucydides XLV pòſt, quàm Syracuſæ fuêre conditæ; id eſt Olympiadis XXII anno III,

nam

nam Syracuſæ conditæ fuërunt Olymp. xi anno ii. Ab initio autem quum conderetur, dicta fuit οἱ Λίνδιοι, LINDII. quo nomine poſtmodum abjecto, à præterfluente flumine dicta eſt *Gela*. Ipſe *amnis Gela* hodiè vulgò accolis *Fiume di Terranouva* cognominatur, ab opido, quod ab oſtio ejus 1) paſſus in occidentem verſus diſtat. Errarunt, qui eum fluvium voluerunt eſſe Gelam, qui, hujus lateris maximus & totius inſulæ longiſſimus, vulgò nunc vocatur *Salſi*. hic quidpe antiquorum eſt *Himera*. Neque is amnis, qui hodiè vulgari vocabulo dicitur *Drillo*, Gela eſſe poteſt, quòd nimis propè ad Camarinam accedit. Ptolemæo ipſa urbs Gela ad x millia paſſuum à litore remota eſt. Sed ex Diodori *lib. XIII* adparet urbem & ad dextram fuiſſe amnis ripam, & haud procul à mari, atque edito in loco. Atque inter prædictum opidum Terram novam & amnem ei cognominem in edito colle ccc circiter paſſibus ab ipſo opido complura haud ita pridem antiquarum fabricarum conſpiciebantur monumenta. Ipſe Cluverius ait, ſe columnam ibidem erectam vidiſſe Corinthiaci operis & ingentis magnitudinis, cum epiſtylio ampliſſimo. Infra opidum autem prope litus ſuperioribus annis multa numiſmata cum inſcriptione Hieronis ac Minotauri effigie, quæ Cretenſium ſignificabat coloniam, & item phialæ figulinæ vetuſtiſſimi operis repertæ ſunt Quæ antiquæ Gelæ urbis reliquiæ ſunt. Ad hanc quum Dionyſius, quod Diodorus dicto jam loco tradit, cum exercitu rogatu Gelenſium à Syracuſis veniſſet; caſtra ab ea urbis parte, quæ orientem brumalem & mare proſpectat, in litore poſuit; Carthaginienſibus ab alterâ parte, quæ in

O occi-

dentem verſa eſt brumalem, itidem in litore caſtra ſua habentibus. Siculi itaque Dionyſii milites, urbem ad ſiniſtram manum prætergreſſi, deſuper ad Carthaginienſium vallum decurrerunt. Italici verò ſocii, urbe ad dextram relictâ, in litorali parte eadem Carthaginienſium caſtra invaſêre. Jam verò *Gelenſes* ſive GELOI *Campi* Virgilio memorati, ab occidentali urbis parte ſiti ſunt ſpatioſi, atque mirum in modum plani inter Gelam & Nauſriam amneis, III ferè paſſuum millibus à litore remoti: à quo continuo collium jugo arcentur. Sunt autem hi campi frumenti totius inſulæ nobiliſſimi feraciſſimi. Magnitudinem urbis Gelæ indicat poëta, *immanem* adpellans. Hinc Callimachus non πόλιν adpellavit; ſed ἄστυ: quod non niſi in prægrandibus urbibus uſurpatur. Ditionem quoque ejus longè latéque fuiſſe diffuſam, vel inde perſpicitur, quod in mediterraneis *Palicorum lacus* XC tantùm ſtadia, id eſt, XI circiter millia paſſuum ab Gelenſium finibus abſuerint; teſte Calliâ, apud Macrobium, *Saturnal. lib. V, cap. XIIX*; quum ipſi Palici ab oſtio Gelæ amnis ad XLVI millia paſſuum abſint. Atque hinc factum, uti ſuum haberent regem ſive tyrannum Gelenſes; bellaque cum finitimis Syracuſanis gravia gererent. Sed ipſa urbs, poſtquàm annos circiter CCCCVIII ſtetiſſet à *Phintiâ*, Agrigentinorum tyranno, diruta eſt; incolis in novam urbem, quam de ſe *Phintiam* adpellavit, traductis. Strabo *lib. VI.* Extra urbem fuit quondam *Apollinis ſtatua* ærea mirandæ magnitudinis. de qua Diodorus *dicto lib. XIII: Tum Gelam*, inquit, *petens Himilcar, ad ejuſdem nominis amnem caſtra poſuit. Erat Gelenſibus ſtatua quædam extra urbem ærea.*

Geloi campi.

Apollinis ſtatua.

ænea, mira magnitudinis. hanc abreptam Tyrum Pœni miſerunt. Gelenſes autem ipſius dei oraculo quondam dedicarant. Sed Tyrii aliquanto tempore poſt, quum ab Alexandro Macedone obſidione premerentur, contumeliâ ſimulacrum adfecerunt, quaſi pro hoſtibus pugnaret. Poſteaquam verò Alexander urbem cepit; ejuſdem nominis die eâdemque horâ, ut Timæus auctor eſt quâ Carthaginienſes ſacrilegium in Apollinem apud Gelam commiſerant, accidit, ut magnifico ſacrorum munerumque adparatu deo Græci litarent, cujus ſcilicet beneficio urbem expugnaſſent.

II. ACHATES fluvius Silio *lib. XIV*, Vibio, Plinio *lib. XXXVII cap. X* & Solino *cap. XI* memoratus. videtur is eſſe, qui inter Hipparim atque Gelam, hodiè vulgò vocatur Drillo. Achatem gemmam in eo fluvio generari tradunt Vibius, Plinius & Solinus locis jam dictis. *Achates fluvius.*

III. Jam VAGEDRUSA *amnis*, Silio quoque memoratus, is fuerit, qui inter Achatem & Gelam vulgò nunc *Manumuzza* adpellatur. Porrò apud Solinum, *dicto cap. XI*. Ita ſcriptum eſt: *Gelonium ſtagnum tetro odore abigit proximantes. ibi & fontes duo. alterum ſi ſterilis ſumſerit, fœcunda fiet: alterum ſi fœcunda hauſerit, vertitur in ſterilem.* Hodiè neque ſtagnum, neque fontes ejuſmodi ulli in Siciliâ noſcuntur. In Gelenſi fuiſſe agro, ex cognomine ſtagni conjicere datur. *Vagedrusa amnis.* *Gelonium ſtagnum, & duo mirandi fontes.*

IV. Nunc dicenda venit urbs illa celebritate atque opulentiâ ingens, ἡ Ἀκράγας, ACRAGAS Græcis, Latinis AGRIGENTUM dicta. Memoratur auctoribus compluribus. Vulgò nunc vocatur *Gergenti*, & variantibus, more incolarum, vocalibus, *Girgenti*, ac *Giorgenti*. Apud Virgilium *Aeneid. lib. III* & Silium *Acragas ſeu Agrigentum, urbs, quæ anteà Omphace*

lib. XIV legitur *Agragas*. Ipſos ita ſcripſiſſe auctores, non verò *Acragas*, facilè crediderim; quando ab eo demum factum videtur illud Latinorum *Agrigentum*. Opidani inde dicuntur Græcis Ἀκραγαντῖνοι, *Acragantini:* quo etiam Lucretius uſus eſt *lib. I.* cæteris Latinis auctoribus ſunt *Agrigentini. Acragantem condiderunt Gelenſes anno propè CVIII à ſua urbis*, Gelæ *primordio, à flumine denominantes urbem*; ait Thucydides *lib. VI* Gelam Olymp. XXII anno III conditam fuiſſe, ſuprà oſtenſum eſt. Agrigentum igitur conditum fuit Olymp. XLIX. De nomine urbis idem teſtantur Aelianus, *Variar. hiſt. lib. II cap. XXXIII*, Stephani epitomator, Pindarus *Olymp. odâ II*, & auctores alii. Polybius *lib. IX* diſertè teſtatur, *Acragantem* amnem auſtrinũ urbis latus præterfluere; occidenti verò Soli & Africo oppoſitam partem adluere *Hypſam*. Hujus igitur mentem auctoritatemque ſi ſequaris, *Acragas amnis* is erit, qui, ad III fermè millia paſſuum ab ortu urbem præterfluens, vulgò nunc accolis vocatur *Fiume di Gergenti*; &, *Fiume di Santo Biagio* hoc eſt *flumen S. Blaſii*; item, *Fiume di Naro*: quia ab hujus nominis opido profluit. At ὁ Ὕψας ποταμὸς, HYPSAS *fluvius*, ſive, ſi Latino ore Græcum vocabulum formare velis, *Hypſa* fluvius erit ille, qui ab occidentali urbis latere profluit, hodiè vulgò *Fiume Drago* dictus. Rectè itaque Fazellus, *Decad. I lib. VI cap. I* & Arezius *in Chorographia Siciliæ* tradunt, minorem fluvium Dragum, qui olim Hypſa dictus, in majorem S. Blaſii, hoc eſt, Acragantem, defluere, hujuſque oſtio mari adfundi. Ptolemæus igitur erravit in eo, quòd Hypſam hunc Agrigentinum ſuo ſibi ore in mare effundi putavit: quum id de alio Hypſa narretur; de quo inſtà

Acragas amnis.
Hypſa fluvius.

infrà ſuo loco. Cæterò, *Agrigentum munitionum firmitate, urbis pulchritudine & operum magnificentiâ pleriſque præſtat civitatibus; urbs condita à mari ſtadia XVIII omnia habet commoda, quæ ſolet mare adferre. Ambitus verò ipſius tùm naturâ tùm arte egregiè eſt munitus. inædificatus quippe ejus murus eſt in vertice rupis nudi prædurique ſaxi, & quà ſuopte ingenio loci, quà arte & induſtria hominum, prærupta. Cingitur præterea & fluminibus, &c*, ita Polybius dicto jam loco. Sed magnificentiam hujus urbis, ſimul & opulentiam luxumque Agrigentinorum pluribus deſcribit Diodorus *lib. XIII*: ubi *Agrigentini agri felicitatem, & uberrimam fructuum copiam* prædicat, quæ tanta fuerit, ut partem eorum *Carthaginem adſportarint, ex permutatione immenſas opes lucrati. cujus opulantiæ plurima indicia etiam ſuo tempore exſtitiſſe, teſtatur ornatus & ſtructuras templorum*; ac inprimis *Olympii jovis templum, cujus longitudo CCCLX pedum; latitudo LX; & altitudo, extra fundamentum, CXX. Lacum etiam fuiſſe extra urbem manu factum, VII ſtadiorum ambitu, & profunditate XX cubitorum; in quo omnis generis piſces ad publicos conviviorum adparatus habiti. Faſtum & delicias civitatis etiam ſepulcrorum magnificentiam declarare. quorum nonnulla equis, quædam aviculis concinnata. Porrò ditiſſimum omnium Agrigentinorum celebrari* ait *Gelliam. qui compluribus domi ſuæ diverſoriis ad excipiendos hoſpites exſtructis, ad portas janitores conſtituit; quibus imperatum fuerat, ut, quoſcunque vidiſſent advenas, ad hoſpitium invitarent. Quod exemplum etiam aliis imitati, quibus priſco more humaniter & benignè cum hominibus verſari ſtudium fuerit. Contigit aliquando, ut D illuc equites hibernâ tempeſtate à Gelâ illuc diverterent; quos omneis liberaliter*

O 3 *ſuſce-*

ſuſcepit Gellia: & confeſtim ſingulis chlamydeis tunicaſque ex arcis depromptas, diſtribuit. Summa igitur iſta civitatis opulentia effecit ut tanto Agrigentini luxu diffluerent; uſque adeo etiam, ut brevi poſt, licèt exitiali obſidione preſſi, decreto tamen publico ſciſcerent, ne quis in excubiis pernoctantium plus quàm culcitram, periſtroma, gauſape laneum, & duo cervicalia haberet. Diogenes Laërtius *lib. VIII* de Agrigentinorum luxu hoc ipſius Empedoclis Agrigentini adfert dictum: Ἀκραγαντῖνοι τρυφῶσι μὲν, ὡς αὔριον ἀποθανούμενοι. οἰκίας δὲ κατασκευάζονται, ὡς πάντα τὸν χρόνον βιωσόμενοι. id eſt, *Agrigentini deliciis quotidiè ita ſe dedunt, ac ſi craſtino die morituri: domos verò ita extruere, quaſi æternum victuri.* Atque hinc totius inſulæ luxus & magnificentia cognoſci poteſt. quippe ſi hæc fuêre apud Agrigentinos, opibus atque potentiâ à Syracuſanis ſecundos; quid apud ipſos fuiſſe Syracuſanos cenſeas? Templorum etiam nonnulla memorat Cicero *in Verrem lib IV.* Hodiéque templorum veterum ingentes heic atque permultæ reperiuntur reliquię; maximè ab eâ urbis hodiernæ parte, quà ortum ſolis hiberni ſpectat. ubi unius atque alterius templi omnes ferè adhuc conſpiciuntur columnæ, ſuo ordine, quò olim poſitæ fuerunt, erectæ. Atque adeò nullæ per omnem inſulam antiquitates reperiuntur cum hiſce comparandæ. Sed ſingularum ad hanc urbem fabricarum ſitus atque monumenta cui cognoſcere libeat; is adeat hujus urbis deſcriptionem, quam doctiſſimus Fazellus *rerum ſuarum Sicular. decad. I lib. V cap. I inſeruit* accuratiſſimam. Cæterò Diodorus *lib. IV* multò antiquius huic urbi adſcripſit primordium. *Dædalus*, inquit, *apud Cocalum multum temporis tranſegit,*

&

& in eo, qui nunc Agrigentinus dicitur ager, apud Camicum urbem in rupe conſtruxit omnium munitiſſimam, & vi nullâ expugnandam. tam arctum quidpe & flexuoſum eò fecit aditum, ut à trium aut quatuor hominum præſidio defendi poſſit. Ideoque regiam in eâ Cocalus exſtruit; opeiſq; inibi reconditas, per hanc architecti ſolertiam facilè tutas conſervavit. Non ipſam urbem, quanta poſteà longè latéque patuit; ſed arcem tantùm heic intelligere Diodorum, patet ex Polybii *lib. IX Arx*, ait, *urbi, quà ortum Solis æſtivum reſpicit, imminet; & ab externâ parte voragine altâ atque inacceſſâ circumdatur; intra verò muros venienteis ab urbe uno aditu admittit.* Nempe hic eſt ille *arctus atque flexuoſus aditus, qui trium vel quatuor hominum præſidio cuſtodiri* poterat. Ea igitur Agrigentinæ urbis pars, quæ poſtmodùm *arx* adpellata, jam XXV circiter annis ante Trojanum bellum condita fuit; atque antequàm à Græcis occuparetur, adpellata Ὀμφάκη, OMPHACE, quam *Antiphemus is, qui Gelam coloniam deduxit, diripuit, & ſimulacrum à Dædalo fabricatum Gelam deportavit.* Pauſanias *in Arcadicis & Bœoticis*. Hæc Cocali regia à Dædalo exſtructa poſtmodùm illa Agrigentinæ urbis fuit arx. Cæterùm ut Syracuſis nunc ea tantùm veteris urbis pars mœnibus cincta eſt, incoliſque frequentatur, quæ quondam inſula & arx erat; pars ſcilicet univerſæ urbis quinta; eaque omnium reliquarum minima: ſic Agrigenti quoque ea dumtaxat urbis antiquæ portio muris cincta incolitur, quæ olim à Dædalo condita, *Omphace* dicebatur; poſteà verò Agrigento à Gelenſibus condito, *arx* ejus facta eſt. nam olim, quum CC hominum millibus habitaretur, ad ipſos uſque Acragantem Hypſamque amneis pertin-

Omphace oppidum Sicanorum.

ſuſcepit Gellia: & confeſtim ſingulis chlamydeis tunicasque ex arcu depromptas, diſtribuit. *Summa igitur iſta civitatis opulentia effecit ut tanto Agrigentini luxu diffluerent; usque adeo etiam, ut brevi poſt, licèt exitiali obſidione preſſi, decreto tamen publico ſciſcerent, ne quis in excubiis pernoctantium plus quàm culcitram, periſtroma, gauſape laneum, & duo cervicalia haberet.* Diogenes Laërtius *lib. VIII* de Agrigentinorum luxu hoc ipſius Empedoclis Agrigentini adfert dictum: Ἀκραγαντῖνοι τρυφῶσι μὲν, ὡς αὔριον ἀποθανούμενοι. οἰκίας δὲ κατασκευάζονται, ὡς πάντα τὸν χρόνον βιωσόμενοι. id eſt, *Agrigentini deliciis quotidiè ita ſe dedunt, ac ſi craſtinè die morituri: domos verò ita exſtruere, quaſi æternum victuri.* Atque hinc totius inſulæ luxus & magnificentia cognoſci poteſt. quidpe ſi hæc fuêre apud Agrigentinos, opibus atque potentiâ à Syracuſanis ſecundos; quid apud ipſos fuiſſe Syracuſanos cenſeas? Templorum etiam nonnulla memorat Cicero *in Verrem lib IV.* Hodiéque templorum veterum ingentes heic atque permultæ reperiuntur reliquię; maximè ab eâ urbis hodiernæ parte, quà ortum ſolis hiberni ſpectat. ubi unius atque alterius templi omnes ferè adhuc conſpiciuntur columnæ, ſuo ordine, quò olim poſitæ fuerunt, erectæ. Atque adeò nullæ per omnem inſulam antiquitates reperiuntur cum hiſce comparandæ. Sed ſingularum ad hanc urbem fabricarum ſitus atque monumenta cui cognoſcere libeat; is adeat hujus urbis deſcriptionem, quam doctiſſimus Fazellus *rerum ſuarum Sicular. decad. I lib. V cap. I inſeruit* accuratiſſimam. Cæterò Diodorus *lib. IV* multò antiquius huic urbi adſcripſit primordium. *Dædalus*, inquit, *apud Cocalum multum temporis tranſegit,* &

& in eo, qui nunc Agrigentinus dicitur ager, apud Camicum urbem in rupe conſtruxit omnium munitiſſimam, & vi nullâ expugnandam. tam arctum quidpe & flexuoſum eò fecit aditum, ut à trium aut quatuor hominum præſidio defendi poſſit. Ideoque regiam in eâ Cocalus exſtruit; opeiſq; inibi reconditas, per hanc architecti ſolertiam facilè tutas conſervavit. Non ipſam urbem, quanta poſteà longè latéque patuit; ſed arcem tantùm heic intelligere Diodorum, patet ex Polybii *lib. IX Arx*, ait, *urbi, quà ortum Solis aſtivum reſpicit, imminet; & ab externâ parte voragine altâ atque inacceſſâ circumdatur; intra verò muros venienteis ab urbe uno aditu admittit.* Nempe hic eſt ille *arctus atque flexuoſus aditus, qui trium vel quatuor hominum præſidio cuſtodiri* poterat. Ea igitur Agrigentinæ urbis pars, quæ poſtmodùm *arx* adpellata, jam xxv circiter annis ante Trojanum bellum condita fuit; atque antequàm àGræcis occuparetur, adpellata Ὀμφάκη, OMPHACE, quam *Antiphemus is, qui Gelam coloniam deduxit, diripuit, & ſimulacrum à Dædalo fabricatum Gelam deportavit.* Pauſanias *in Arcadicis & Bœoticis*. Hæc Cocali regia à Dædalo exſtructa poſtmodùm illa Agrigentinæ urbis fuit arx. Cæterùm ut Syracuſis nunc ea tantùm veteris urbis pars mœnibus cincta eſt, incoliſque frequentatur, quæ quondam inſula & arx erat; pars ſcilicet univerſæ urbis quinta; eaque omnium reliquarum minima: ſic Agrigenti quoque ea dumtaxat urbis antiquæ portio muris cincta incolitur, quæ olim à Dædalo condita, *Omphace* dicebatur; poſteà verò Agrigento à Gelenſibus condito, *arx* ejus facta eſt. nam olim, quum cc hominum millibus habitaretur, ad ipſos uſque Acragantem Hypſamque amneis pertin-

Omphace oppidum Sicanorum.

Collis Minervæ.

tingebat. In ſummo autem arcis vertice fuit *Minervæ fanum*; unde dictus eſt ὁ Ἀθηναῖος λόφος, *Collis Minervæ.* Polybius & Diodorus *dictis jam locis*. At urbs hæc tam magna, tam potens, tamque magnifica à Carthaginienſibus, duce Himilcare poſt ſeptem menſium obſidionem expugnata ſimul & direpta dirutaque fuit anno quarto Olympiadis XCIII; teſte Diodoro. Quando verò Agrigentini in priſtinam patriam poſtliminio reverterint, nuſquam Diodorus adnotavit. Tamen XL annis poſt jam iterum celebrem, incoliſque frequentem fuiſſe, *ex libro* ejus *XVI* diſcitur. ubi Dion legitur Agrigentinos quoq; ſibi junxiſſe ad pellendum Syracuſis Dionyſium. Quod factum Agathocle ſummum Athenis magiſtratum obtinente. Atque hinc tanta eorum iterum fuit potentia, uti XLIII annis pòſt, ſummum gerente Athenis magiſtratum Nicodoro, adſcitis in ſocietatem Gelenſibus Meſſanenſibuſque, Syracuſanos ab Agathoclis oppreſſione liberare conarentur: ut auctor eſt idem Diodorus *lib. XIX.* & quinque pòſt annis, etiam principatum inſulæ adfectarent, concitatis contra dictum Agathoclem omnibus reliquis civitatibus. Hinc etiam poſtea, bello Punico ſecundo, quum Romanus exercitus, Marcello duce, Syracuſas obſideret, Carthaginienſes Agrigentum, ceu arcem belli, occuparunt; ut auctor eſt Livius *lib. XXIV*: atque inde, etiam captis jam Syracuſis, Romanis nonihil negotii faceſſerunt; ut idem tradit auctor *lib. XXV*. Celebritatem inde perpetuo ſervavit ad poſteriora etiam tempora. Cicero *in Verrem lib. IV*. Et ſub Tiberio imperatore, Strabo *lib. VI.* Et CIↃ circiter annis poſt Tiberium, Conſtantinus *in Themat. orientalis im-*

In imperii lib. II. themate Sicilia. Hodiéque inter celeberrima inſulæ opida meritò computatur, ob civium frequentiam, agrique fertilitatem Τὸ Ἐμπόριον, *Navale*, ſive, ut Ptolemæus vocat, *Emporium Agrigentinorum*, quod circa Hypſam refert Ptolemæus, ad Acragantis fluminis fuit oſtium, *ex quo porticuum ſaxorumque quadratorum veſtigia, ſolùm relicta in litore ſemiobruta, molis inſtar*, ſuâ ætate ſuperfuiſſe teſtatur Fazellus. Locum fuiſſe olim etiam Strabonis tempeſtate celebrem, ex ipſo patet. *Navale Agrigentinorum.*

CAP. XVI.

Himera fluvius. Ecnomus mons. Dædalium caſtellum. Phintia urbs. Phalarium caſtellum.

I.

Ὁ Ἱμέρας ποταμός, HIMERA *amnis* is intelligitur Ptolemæo, qui, omnium totius Siciliæ maximus, vulgò nunc accolis ab rei argumento vocatur *Salſi* hoc eſt *ſalſus*. Atque huc alii etiam graviſſimi conſentiunt auctores. Diodorus *lib. XIX* disertè illum vocat ποταμὸν ἁλυκόν, id eſt, *fluvium ſalſum*: eaſq; porrò addit notas, ex quibus manifeſtè dignoſcitur, Himeram heic intelligi fluvium, ad quem Agathocles à Carthaginienſibus profligatus. Hic quidpe omnium Siciliæ amnium longiſſimus, quum xx circiter millia paſſuum à mari Tuſco fontem habeat, per LXXX millia ad Libycum mare defluens: mediam ferè inſulam dividat; ita, uti pars altera verſus occaſum & Lilybæum Drepanumque, altera verſus ortum & Syracuſas Leontinoſque relinquatur. Hinc Strabo *lib. VI* tradit, *Himeram per mediam fluere Siciliam*, Quo minus *Himera fluvius.*

nùs totam divideret inſulam, xx illa intercedebant millia. At quia alter etiam erat eodem inſulæ tractu fluvius *Himera*, cujus oſtium in Tuſcum exibat æquor (vulgò nunc dicitur Thérmini) error inde natus eſt, uti alii unum hunc eundemq; intelligerent amnem, in diverſas regioneis, diverſaque maria gemino alveo tendentem. Sic enim Solinus *cap. XI*; Mela *lib. II cap. VII*; Vibius; Antigonus *in Mirandis*; & Vitruvius *lib. VIII*. De hoc flumine ita Livius *lib. XXIV*: *Hieronymum legatos Carthaginem miſit ad fœdus cum Annibale faciendum. Pacto convenit, ut, quum Romanos Sicilia expuliſſent, Himera amnis, qui fermè inſulam dividit, finis regni Syracuſani ac Punici imperii eſſet.* Idem tradit Polybius ut *Eclog. legationum* habent. Ad *Himeram* quoque Marcellus Hannonem, Epicyden Mutinemque duces Afros & Syracuſanum prælio vicit. Hæc ultima in Sicilia Marcelli pugna fuit. Livius *lib. XXV*.

Ecnomus mons. II. Ὁ Ἔκνομος λόφος ſive τὸ Ἔκνομον ὄρος, id eſt, ECNOMUS *collis* ſeu *mons*. Diodoro *lib. XIX*, Plutarcho *in Dione*, & Polybio *lib. I* memoratus in dextrâ Himeræ orâ ad oſtium amnis ſitus, is eſt, qui vulgari nunc incolis vocabulo *Monte d' Alicata*, ſive *di Licata*, ob opidum ad radiceis ejus prope dictum amnem ſitum, cognominatur. Ex occidente is in orientem ... millium paſſuum ſpatio juxta mare veluti promontorium protenditur; campum rotundum, cujus diameter totidem millia occupat, à meridie includens. *Phalaridis caſtellum.* *Phalaridis* Agrigentinorum tyranni *caſtellum* in eo quondam fuiſſe, inquè eo *taurum* illum *aneum*: cujus infelix architectus fuit Perillus Athenienſis; auctoribus celebratiſſimum. *Dædalium caſtellum.* *Dædalium* fuiſſe nomen ei *caſtelli*

ſtello, ex Antonini itinerario diſpicitur, quod habuit ab conditore ſuo Dædalo. Situm haud dubié fuit in occidentali montis Ecnomi extremo.

III. Ὁ Φιντία, PHINTIA opidum inter Gelam & Agrigentum eodem fuit ſitu, quo nunc opidum conſpicitur Licáta; portu, ſeu navium ſtatione nobile. ubi lapides quadratos, & id genus alia antiqui operis monumenta effoſſa, ſepulcra quoq; & ciſternas veteris ſtructuræ complureis adparuiſſe ſuâ ætate, item antiquas inſcriptioneis, atq; numiſmata reperta eſſe, teſtatur Fazellus. quarum rerum etiam nunc nonnulla inibi adparent veſtigia. Memoratur Ptolemæo ac Diodoro. cui adpellatur φιντιάς, *Phintias*; unde opidani Phalaridi *in Epiſtolis* ſunt Φιντιεῖς. & Plinio *lib. III cap. VIII Phintienſes*. Phintias tyrannus Agrigentinus urbem hanc condidit, eamque de ſuo nomine adpellavit. muris domibuſque Gelæ deſtructis, populum eò tranſtulit. ut Diodori *Ecloga ex lib. XXII* habent. Factum hoc ſub initium belli Tarentini, quod Pyrrhus in Italiâ contra Romanos ano urbis Romæ CCCCLXXI gerere cœpit; ut ex iiſdem apertè liquet Diodori Eclogis. *Phintia urbs.*

IV. Τὸ Φαλάρειον φρούριον, id eſt, PHALARIUM *caſtellum*, ejuſdem tyranni Phalaridis, quod XL ſtadia, ſeu millia paſſuum V, ab Ecnomo monte & Carthaginienſium caſtris diſſitum tradit fuiſſe Diodorus, in eo ſitum fuit colle, qui V ferè millia ab Licátâ, II verò à Falconarâ caſtello veluti promontorium mari imminet. Atque omne in Camarinam Agrigentumque urbeis litus ita explicatum eſt. *Phalariũ caſtellum*

CAP. XVII.

Sicania poſterior. Heraclea urbs; quæ anteà Minoa; & priùs Macara. Halycus amnis. Camicus, fluvius & opidum; quod poſteà Cena. Allaba fluvius, Caprianus mons. Thermæ colonia; quæ & Aqua Selinuntia, & Aqua Labodæ, ſive Larodæ.

I.

Sicania poſterior. POſt Himeram amnem ſequebatur SICANIA illa poſterior; in quam *Sicani*, antiquiſſimi poſt Cyclopas inſulæ incolæ, pulſi ab Siculis, conceſſerunt; ut cap. II oſtenſum eſt. Equidem Sicaniam illam, non Agrigentinum modo comprehendiſſe agrum ab initio, ſed ad Panormitanum uſque extenſam fuiſſe, diſcimus ex Stephano, Diodori *lib. V & IV*, Dionyſij Halicarnaſſ. *lib. I*. Thucydides *lib. VI* tradit, Hyccaram opidulum eſſe Sicanicum. Id hodiè vulgò vocatur *Muro di Carini*, in ruinis, IX millia paſſuum à Panormo diſſitis. Ab oriente autem Sicaniam illam poſteriorem ad Himeram uſque pertinuiſſe, inde perſpicitur, quòd Dædalus Cocalo Sicanorum regi, arcem Agrigentinæ urbis exſtruxiſſe dicitur Diodoro *lib. IV & XVI*. Ab initio igitur Sicani, ab Siculis ex orientalibus inſulæ partibus pulſi, occidentaleis parteis, extra duos Himeras fluvios incoluerunt. Poſteaquam verò heic quoque Græci Himeram, Aegeſtam, Selinûntem, Agrigentum, & alia opida condiderunt, ipſi paullatim deficientes, tandem intra perexiguos agrorum fineis circa Agrigentinum agrum redacti ſunt: ut ex Stephano liquet.

II. In Sicania hâc poſt Agrigentum ſequebatur haud

haud incelebris quondam urbs Ἡράκλεια, HERACLEA; Μινώα, MINOA antè dicta: & pòſt etiam *Heraclea Minoa* cognominata. Memoratur multis auctoribus. Opidani inde Græcis dicti Ἡρακλεῶται, *Heracleota*, & Ἡρακλεεῖς, quod Latinè formatur *Heracleenſes.* At quia idem urbis nomen Latinis etiam dicitur *Heraclea*; ut eſt apud Ciceronem *in Verr. lib. V:* opidani inde ibidem ſunt *Heraclienſes.* Hæc verò urbs una ex antiquiſſimis totius inſulæ fuit. nam anno ante Trojanum bellum XII Minos Cretenſium rex, Dædalum perſequuturus, in Siciliam claſſe profectus à filiabus Cocali occiditur. poſt cujus mortem pars Cretenſium, qui in Siciliam fuerant traducti, urbem hanc, quæ anteà *Macara* dicta fuerat, novis colonis frequentarunt, eamque de regis nomine Minoam vocarunt. Non igitur de novo tum condita fuit urbs illa à Cretenſibus, ſed novis colonis tantùm aucta. Polybius *lib. I.* Diodorus *lib. IV & XVI.* Heraclides *in libro de Politiis.* At circa Olymp. LXX Doricus coloniam à Lacedæmone in Siciliam deduxit: occupatâque Minoâ urbe, ab Heraclidarum, ſive ab ipſius Herculis nomine eam, mutato priſco vocabulo, dixit *Heracleam.* Diodorus *lib. IV* & Herodotus *lib. V.* A Carthaginienſibus expugnata & diruta fuit XX circiter annis poſt, quum Carthaginienſes, inſtinctu Xerxis Perſarum regis, ingenti ducentarum navium, trecentorumque armatorum millium claſſe Siciliam ad delendos omnes Græcos invaſiſſent: ut tradit Diodorus *lib. IV & XI.* Quando verò iterum fuerit inſtaurata, nuſquam adnotatum invenitur. Primam tamen ejus iterum mentionem faciunt Diodorus *lib. XVI* & Plutarchus *in Dione*: quem ad Minoam,

Heraclea urbs, cognomento Minoa; anteà Macara dicta.

noam, adpuliſſe ſcribunt, *ſummum*, ut ille ait, *Arche-nii magiſtratum gerente Agathocle.* Annus hic fuit IV Olymp: CV: poſtquàm à Carthaginienſibus deſtructa fuit, annus circiter CXXIV. Sed tum opidulum tantùm fuiſſe tradit Plutarchus. Annis circiter XLVIII poſt jam rurſus celebrem fuiſſe urbem, patet ex Diodori *lib. XX*. Memoratur hinc eidem Diodoro *lib. XIX, XVI &* *XXXVI*; Livio verò *lib. XXI*; Ciceroni *in Verrem lib. II & V*; Melæ, *lib. II cap. VII* ac Ptolemæo *in Siciliæ deſcriptione*. Clara fuit Ciceronis ævo urbs, eòque colonia deducta Romanorum conſule P. Popilio Lænate, anno ab urbe condita IↃCXXI. Cicero *dicto lib. II in Verrem.* Cæterùm hæc urbs Heraclea ſita fuit ad Ἁλυκὸν HALYCUM fluvium, qui corruptè aliâs legitur *Lycus*. Salſi eſt ſaporis, & vulgari nunc vocabulo accolis dicitur *Platani*. In eumque etiam defluit fluvius vulgò nunc *Salſo* dictus. quod vocabulum eſt illud Græcorum ἁλυκός. Hic fluvius Halycus terminus Carthaginienſium ditionis fuit in Sicilia. Heraclea tamen, quamvis cis Halicum ſita, in Carthaginienſium nihilo minus fuit ditione; & ad mare Africum urbs eorum extrema fuit; ad Tuſcum vero mare eorundem Carthaginienſium ditionis extrema urbs ad Himeram flumen, fuit *Himera*. Fazellus *Decad. I lib. VI cap. II*. Diodorus *lib. XV, XVI, XXIII, XIX, & XXIV*, Plutarchus *in Timoleonte*.

Halycus amnis.

III. Inter Heracleam & Agrigentum ejuſdem Agrigentini agri *fluvius* fuit Κάμικος, CAMICUS; & ad hunc *opidum* ſive *caſtellum* eodem nomine. Stephani epitomator. Vibius *in Catalogo fluminum*. *Camicus opidum ſeu caſtellum* regia fuit Cocali Sicanorum regis.

Camicus fluvius, & opidum; quod poſteà Cama dictum.

Iis

in quo Minos à *filiabus ejuſdem Cocali occiſus, aſtu calido circumfuſus, ac ſtatim frigefactus.* Tzetza. Herodotus *lib. VII.* Strabo *lib. VI.* Ariſtoteles *Polit. lib. II cap. X.* Inter Halycum & Acragantem amneis nullum aliud heic eſt flumen, niſi quod XVII circiter millia ab hoc, ab illo verò VIII vulgari nunc adpellatione dicitur *Fiume delle Canne.* quod *Camicum* eſſe, ex eo ipſo documento colligitur. Citra hoc mille fermè paſſus, totidemque à mari recedens, opidulum eſt aſpero ac naturâ munito ſitu, quod vulgò incolis nunc vocatur *Siculiana.* Id ex ſitu, antiquum illud eſſe *Camicum opidum* adparet; quod bello deſtructum Fridericus Claromontanus anno Salutis CIↃ CCC L inſtauravit. In Antonini itinerario vocatur *Cena.*

IV. Ex Diodori hiſtoria, quam habet in Eclogis ex libro ejus XXXVI; in narratione belli civilis patet, τὸν ποταμὸν Ἄλβαν, id eſt, ALBAM *fluvium*, ſive, ut Antonini habet itinerarium, Ἄλλαβαν, ALLABAM, ſeu *Alavam*, eſſe eum, qui, X millia paſſuum ab Heracleâ & Halyco amne, vulgari nunc vocabulo dicitur accolis *Macaſoli.* Inter quem & Halycum intus eſt montis jugum, vulgariter incolis *Rifeſio monte* dictum. quod illud eſt Diodori Καπριανὸν ὄρος, id eſt CAPRIANUS *mons.* *Allaba ſive Alba amnis.* *Caprianus mons.*

V. Aquæ LARODÆ, ſive LABODÆ (nam utrum vocabulum rectius ac magis genuinum ſit, incertum eſt) Antonino & Tabulis memoratæ Melæ *lib. II cap. VII*, Plinio *lib. III cap. VIII* dicuntur Θερμαὶ THERMÆ, & huic etiam *colonia.* Philiſto apud Stephanum, & Diodoro *lib. XIX* eſt neutro genere Θερμὰ, *Therma*: ubi ſubintelligenda eſt altera vox ὕδατα. *Thermæ, colonia quæ & Aquæ Selinuntiæ & Aquæ Labodæ, ſive Larodæ.*

quæ

quæ cum illa conjuncta Latinis facit loci nomen A-QUÆ CALIDÆ. Duridi etiam ſingulari numero apud eumdem Stephanum eſt Θερμόν. ubi ſubintelligendum τὸ ὕδωρ: id eſt: *Aqua Calida*. Sed opidani Romanis fuerint *Thermitani*, ut illi ad Tuſcum mare prope Himeram amnem; an verò *Thermenſes*, ad diſcrimen illorum variato vocabulo, incertum habetur. Ut verò Syracuſæ & Camarina à palidibus eorum nominum denominatæ fuerunt; ſic opidum quoq; *Thermæ* ab *aquâ calidâ*, quæ heic eſt, adpellationem accepit. Et XI millium ab Agrigento intervallo, quod habent Tabulæ, & Antoninus, manifeſtè perſpicitur, eaſdem eſſe Aquas calidas, ſive Thermas, quæ nunc ad orientalem viſuntur partem urbis celeberrimæ, cui vulgare nunc vocabulum *Sciacca*. Sed nec aliæ aquæ Calidæ hoc terrarum tractu reperiuntur. At Straboni *lib. VI* dicuntur τὰ Σελινούντια ὕδατα, id eſt AQUÆ SELINUNTIÆ, ſcilicet quia in Selinuntiorum fuêre agro. Cæterò urbs hæc *coloniam* Romanam, quam refert Plinius, quando acceperit, non reperitur.

Dædali antrum ſudatorium, ſeu ſpecus.

VI. Propè dictas Aquas SPECUS eſt, *Dædali*, quod ipſe *Dædalus*, quum apud Cocalum eſſet, *adornavit, in quo vaporem, à ſubterraneo igne exæſtuantem, tam dextrè excepit, ut tenero ſenſim calore ſudor eliciatur, & cum voluptate quadam inibi verſantium, corpora paullatim ſine ulla ferventis moleſtiâ, curentur.* Diodorus *lib. IV.* De hoc ſpecu ſimulque de prædictis aquis, ita ſcribit Fazellus, *Decad. I, lib. V, cap. III*: *A mari quum montem adſcendis, ad jactum fundæ quatuor aquarum meatus, pari inter ſe ſpatio ſejuncti: ſed diverſas propriaſque vires habentes, per occultos naturæ cuniculos, emiſſi, procurrunt.*

Et

Et aliquanto pòſt: *Ab iis aquis montem ſubeunti, medio fermè itinere ſpecus rupi innata, à Taphano Saracenicè dicta dextrorſum obvia eſt: unde voci etiam eminus emiſſæ echo reſponſa expreſſa refert. Sed non procul inde, ad montis latus mare ſpectans, puteus eſt, obliquus & immenſus: unde magnus effertur ſonus: venti ne ſubterranei, an laticis ad ima delabentis, incertum. Ad verticis ſpondam foramen quoque eſt, montis viſcera penetrans; ex quo etiam perpetuus effunditur ſonitus; aquæ ne etiam, an venti, adhuc ignotum. tametſi illius perpetuitas & uniformitas, aquas eſſe delabenteis, indicare videantur. Ad verticis verò angulum, ad meridiem obverſum, & infra ædem ipſam ſacram tria ſunt antra, in vivâ rupe exciſa. quorum unum, quod primum in occurſu eſt, divo Calogero colitur: ob id, quòd ejus corpus ibi tumulatum creditur. proximum nullius rei memoriâ celebratur. poſtremum autem balneum eſt ſudatorium: vetuſtiſſimum quidem, & non modò Siciliâ, ſed totâ Italiâ celeberrimum. in quo abſque calentis aquæ uſu, ſolo vapore perpetuo, ibi genito, calentique, & ad varios morbos pellendos efficaci, ſudoreis ſtatim, quum ingrederis, natura provocat copioſiſſimos, eoſque ſaluberrimos. Habet antrum ſedilia circumquaque manufacta complura; in quibus ſudaturi ægri ſedent; literis quibuſdam, quibus cuique ſedi ſuus morbus, quem ſanabat, ſignificabatur (Phœnicibus ne, an Damaſcenis, quum neque à Græcis neque Hebræis Chaldæiſque legi umquam potuerint, nobis incertum) inſcripta. quarum pleraque vetuſtate corroſa cernuntur. Antrum hoc quum anguſtius eſſet, quàm ut ægrotorum hominum multitudini ſatis faceret; cuneis aliiſq; ferreis inſtrumentis dilatatum eſt; ut adhuc ex multis ſignis conſtat. In eo ad dextram ſpelunca eſt naturâ quoque latiſſima. ad cujus aditus lævam naturalis eſt*

puteus profundiſſimus. quem plures, quòd deſcenſus ejus non præceps adeò, ſed propè placidus ſit, accenſis facibus & funibus directi, auſi ſunt perſcrutari cæterùm quum ad aliquot paſſus deſcendiſſent, ſtillicidiaque calentis aquæ complura ex vivâ rupe uberrimè defluentia, offendiſſent; & in viarum ambageis primum, ac deinde in anguſtias incidiſſent; horrore metuque à progrediendo abducti, ne ſuffocati interirent, ad ſuperna reverſi ſunt.

CAP. XIIX.

Mazara, flumen & caſtellum, ſive, emporium. Selinûs, urbs & amnis; qui Latinis Apiarius. Amnes, Halycus, Isburus, Acithis, Soſius, & Hypſa. Inycum opidum; quòd fortè poſteà Pintia.

I.

Mazara flumen & caſtellum, ſive emporium.

JAm reliquum ab Heracleâ ad Lilybæum uſq; promontorium litus explicandum eſt. Μάζαρας MAZARAS fluvius heic memoratur Ptolemæo. Et *Mazara* pluralis numeri vocabulum, vel etiam, ut Stephanus habet, ſingularis numeri, Græcè Μαζάρη, nunc durat in celebri opido: à quo etiam tertia pars totius inſulæ vulgo *Val di Mazara*, id eſt, *Vallis Mazarenſis*, vocatur. Stephano Μαζάρη, *Mazara* eſt caſtellum Selinuntiatum. unde Gentilitium Μαζαραῖος, *Mazaræus*. At Latino ore rectè formaveris *Mazarenſis*. Opidi vocabulum etiam neutro genere ſingularique numero τὸ Μάζαρον, *Mazarum*, referunt Eclogæ Legationum ex Diodori *lib. XXIII. Fluvius*, qui per ſtagnum maritimum propter occidentale opidi latus in mare effunditur, eidem Diodoro *lib. XIII*, atque Ptolemæo dicitur ὁ Μάζαρος, *Mazaras*, vel, ſi Latino ore formare velis,

Maza-

Mazara. Antiquiſſima Mazaræ Selinuntiorum emporii mentio exſtat dicto Diodori loco; ubi ait, *inter Aegeſtanos & Lilybætanos bellum exortum de agro ad Mazarum fluvium*. quod contigit ſummum magiſtratum Athenis gerente Diocle; anno quarto Olymp. XCII.

II. Trans Mazaram à Lilybæo progredientibus fuiſſe Selinûntem amnem patet ex Diodori *lib. XIII.* Ad eum inter Belícim amnem & Mazaram fuit celeberrima illa & potens quondam inprimis urbs ὁ Σελινόεις, ſive, contracto vocabulo, Σελινοῦς, SELINUS. cujus ingentes etiamnunc exſtant reliquiæ, vulgò *Terra de li Pulci* dictæ. Locum hunc diligenter deſcribit Fazellus *Decad. I. lib. VI, cap. IV.* Hodiè ὁ Σελινοῦς Selinûs amnis vulgari vocabulo vocatur *Madiuni*. cujus fontes, v circiter millia paſſuum à mari, adeò uberes exoriuntur, ut ſtatim convolvendis molis ſufficiant. Ipſe amnis ἀπὸ τοῦ σελίνου, hoc eſt, *ab apio*, quo circumpoſitus ager plurimùm abundat, dictus eſt Σελινόεις, ſive Σελινοῦς, *Selinûs*: & ab *apio* *Apiarius*, Antonino in itinerario. Ab *apio* autem nomen accepiſſe primò amnem; dein ab hoc urbem; ipſi olim teſtati ſunt Selinuntii in nummis ſuis; qui apii folium inſcriptum ferunt: quorum IV refert Golzius in Siciliâ ſuâ. Cæterùm opidani ab Selinûnte dicebantur Σελινούντιοι, *Selinuntii*, & Σελινούσιοι, *Selinuſii*. Illo uſi ſunt Plinius *lib. III cap. VIII*, & Stephanus, cui Selinûs maſculino pariter & feminino genere dicta. Ipſum equidem vocabulum Σελινόεις, & contractè Σελινοῦς, maſculini neceſſaria grammaticorum regulâ erat generis. quòd ſi tamen adjungeretur vox πόλις, dici poterat ἡ Σελινοῦς πόλις, alias ſimpliciter uſurpando urbis nomen forman-

Silinûs urbs & amnis, qui Latinis Apiarius.

dum erat ἡ Σελινῦσα. At in nummis hujus civitatis antiquis ſemper per ω reperitur τῶν Σελινωντίων. Sed de nomine ſatis. Condita fuit Selinûs in Megarenſibus, qui Hyblenſes dicti, miſſo illuc Pammilo, Olympiadis xxxv, anno primo; ut patet ex Thucydidis *lib. VI & VII*; Martiani Heracleenſis, *Orbis circuitu*; Diodori *lib. XIII* & Strabonis *lib. VII.* Deinde Olympiade L, id eſt, annis LX poſtquàm condita fuit urbs, cum Aegeſtanis, finitimis ſuis, inter primas Siciliæ civitateis, potentibus bella geſſiſſe Selinuntios, auctor eſt idem Diodorus *lib. V.* Sed civitatem fuiſſe florentiſſimam, crebraque cum dictis Aegeſtanis habuiſſe bella, ex prædicto Diodori *lib. XIII* & item Thucydidis *lib. VI* eſt diſcere. Ab alterâ parte habuit Agrigentinos finitimos, ad quos, Diodorus dicto *lib. XIII* tradit IICIↃ & IↃC ſalvos evaſiſſe, quum urbs eorum ab Annibale expugnaretur. Eodem autem anno iterum habitari cœpit. *Hermocrates* enim, teſte Diodoro, *Selinûntem occupat, &, parte urbis communitâ, Selinuntios, excidio ſuperſtites, undique convocat.* Hi mox, undecimo anno pòſt, inter florentiſſimas Siciliæ civitateis iterum connumerantur. Dionyſius enim & Selinuntios ad belli ſocietatem contra Carthaginienſeis tum ſibi junxit, teſte Diodoro *lib. XX.* Sed annis CXLI poſtquàm Hermocrate auctore denuò habitari cœpit, ab iiſdem Carthaginienſibus rurſum circumſeſſa fuit Selinus, P. Sempronio Sopho & Ap. Claudio Craſſo Romæ Coſſ. Urbe tum eversâ, civeis Lilybæum tranſtulerunt Carthaginienſes: *Ecloga ex* Diodori *lib. XXIII & XXIV.* Inſtauratam rurſus atq; inhabitatam poſt hanc everſionem fuiſſe, nuſquam reperitur. Strabonis ſanè tempore non incolebatur,

batur; ut ipſe teſtatur *lib. VI.* Porrò apud Virgilium *Æneid. lib. III* Selinûs adpellatur *palmoſa*, à copiâ palmarum; ut tradunt Servius & Pompon. Sabinus. Hodiéque palmas ſilveſtreis ager ejus producit inſigneis.

III. Cæterùm inter Selinûntis ruinas & prædictum amnem, cui vulgare vocabulum eſt *Belíci*, ſtagnum eſt marinum, ex pelagi fluctibus refuſum, *Jalíci* vulgò dictum: æſtivis diebus maximè peſtiferum. De eo ita Diogenes Laërtius, *lib. VIII in vitâ Empedoclis. Quum Selinuntios ex adjacentis fluvii* (meliùs ſtagni) *fœtore peſtis invaſiſſet; adeò, ut & ipſi interirent, & uxores partu periclitarentur, excogitaſſe Empedoclem ajunt, quâ ratione duos quoſdam ex conterminis amnibus proprio ſumtu in flumen* (ſtagnum) *illud immitteret: ut ex commixtione eâ aquæ dulceſcerent.* Sed hi duo amnes in ſtagnum immiſſi fuerunt Selinus & Belícis, Hoc eſt ſtagnum illud quod in Lycophronis Alexandra adpellatur Γονῦσα λίμνη, GONUSA *ſtagnum.* *Gonuſa ſtagnum.*

IV. Flumina inter Agrigentum: & Lilybæum omni numero ſunt x. quorum hæc ſunt ſuo genuino ordine nomina: *Fiume dellé Canne, Plátani, Macaſóli, Fiume di Calta Bellotta, Carabi, Belíci, Madiuni, Fiume delle Arene, Fiume di Mazara, Fiume di Marſalla.* Ex his *Fiume delle Canne* eſt antiquorum Camicus; *Plátani,* Halycus, *Macaſoli*, Alba; *Madiuni*, Selinûs; *Fiume di Mazara*, Mazara Reſtant igitur adhuc v illa alia. quorum equidem numero reſponderent illi v amnes, partim à Ptolemæo, partim à Plinio memorati; Iſburus, Soſſius, Acithius, Atys, & Hypſa: niſi Flumen arenarum antiquorum eſſet alter Ἁλυκὸς ποταμὸς HALYCUS *fluvius:* *Halycus fluvius.*

vius: id eſt, ſi Latinè interpreteris, *Salſus*. unde etiam nunc ſuperiore ſui parte vocatur *Salemi*; eodemque nomine opidum fontibus ejus adpoſitum. quod olim etiam commune fluvii vocabulum habuit *Halycus*, ſive *Halycia*: ut latiùs poſteà docebitur in mediterraneis. Duris enim apud Stephanum ait *Halycum* opidum à flumine habere nomen. Ex reliquis quatuor fluminibus ISBURUS Ptolemæi nullus alius eſſe poteſt, quàm qui vulgò *Fiume di Calta Bellotta* vocatur. Et hic apud Stephanum videtur eſſe *Coſyrus*. At ACITHIS fluvius, qui Plinio adpellatur *Atys*, eſt prædictus amnis *Carabis*. SOSSIUS verò erit is, qui propè Lilybæum promontorium vulgò nunc vocatur *Fiume di Marſalla*; ab opido *Marſalla*; quod antiquum eſt illud Lilybæum opidum. ὁ Ὕψας ποταμὸς, HYPSA *amnis*, vulgò nunc *Belíci* dictus, quia omnium Selinuntii agri erat maximus, ut qui ſupra Corilionem opidum in finibus Panormitanorum exoritur; Selinuntii numen ejus, ſpecioſi pueri formâ expreſſum, numiſmatibus ſuis inſculpſerunt, cum hiſce literis ΥΨΑΣ. quorum nummorum duos refert Goltzius *in Siciliâ ſuâ*. Apud Vibium *in Catalogo fluminum* legendum: *Hypſa*; *ſecundum Inycon urbem Sicaniæ decurrit*. Quippe *Inycum* Cocali Sicanorum regis fuiſſe regiam tradunt Pauſanias *in Achaicis*, & Stephanus. Hæc autem urbs dicta fuit τὸ Ἴνυκον INYCUM, & ἡ Ἴνυξ INYX. Apud Herodotum *lib. VI* utraque formatio legitur. Gentilitium apud Stephanum eſt *Inycinus*; unde & *Inychinum vinum* nobile. Hodiè ad Partanum opidum vinum eſt nobile; quod duo paſſuum millia à dextrâ Hypsâ ſive Belícis ripâ abeſt.

Isburus fluvius.

Carabis atq; Soſſius fluvii

Hypſa amnis.

Inycum ſeu Inyx opidum.

abeſt. Ipſum tamen *Inycum* opidum in lævâ ripâ & prope mare fuiſſe cenſetur; ob vicinitatem Selinûntis ab dextrâ ripâ. Id opidum quando interierit, planè incertum eſt. Ptolomæo inter Isburū & Selinûntem fluvios eſt Πιντία, PINTIA urbs. Eo vocabulo poſteà Inycum adpellatum fuerit, an verò Ptolemæus voluerit *Aquas* ſupra dictas, Græco vocabulo Ὕδατα. hocque poſteà corruptum ſit, ut multa alia in unâ ejus Siciliâ, haud temerè dicendum. Atque hactenus litus inſulæ auſtrinum omne deſcriptum eſt.

Pintia opidum.

PHILIP.

PHILIPPI CLUVERI

SICILIÆ ANTIQUÆ CONTRACTÆ

LIBER SECUNDUS.

Quo Primùm ſeptemtrionale inſulæ litus, dein mediterranea ejus, ac tandem inſulæ adjacentes deſcribuntur.

CAPUT PRIMUM

Lilybæum, promontorium & opidum cum portu. Lilybe puteus. Sibyllæ Cumanæ ſepulcrum. Drepana opidum cum portu; qui & Erycinorum portus. Columbaria inſula. Eryx, mons & opidum. Templum Veneris Erycinæ. Longuri ſinus. Aegithallus, promontorium & caſtellum; quod poſteà Acellus. Motya urbs.

I.

ORientali meridionalique inſulæ lateribus hactenus deſcriptis, reſtat nunc, uti ſeptemtrionale quoque dicatur. Inde mediterranea ejus obeunda. Tandem, universâ inſulâ expoſitâ, minores ei circumjacentes inſulæ pari commentatione illuſtrandæ erunt. Initium igitur ſeptemtrionalis lateris ab hac parte facit τὸ Λιλυβαῖον ἄκρον καὶ [illegible]

id eſt,

id eſt, LILYBÆUM *promontorium* & *opidum*. Promontorium hoc, quod vulgò etiam nunc incolis, decurtato antiquo vocabulo, *Capo di Boéo* dicitur, quamplurimis memoratur auctoribus antiquis. Apud Virgilium *Aeneid. lib. III* ſic habetur: *Et vada dura lego ſaxis Lilybëia cæcis.* Scilicet, quia ipſa ἄκρα, id eſt, *extremitas*, ſive extremus Lilybæi excurſus, planus atque depreſſus, ad III millia paſſuum ſub undis protenditur, trium circiter cubitorum altitudine tectus. Improprię itaq; Latini τὴν ἄκραν hanc ſuâ linguâ vocarunt *promontorium*. *Opidum Lilybæum*, multis etiam memoratur auctoribus. Strabo *lib. VI* teſtatur, ſuâ ætate ejus veſtigia tantùm ſuperfuiſſe. Hodiè in ruinis ejus exſtructa exſtat urbs inter primas Siciliæ celebris, vulgò *Marſalla* dicta. juxta verò antiquæ urbis mœnium, aquæductuum, ædificiorumque conſpiciuntur reliquiæ. *Portum* fuiſſe ad dictum opidum, patet ex A. Hircii *libro de bello Africano*. Item ex Livii *lib. XXV*, Polybii *lib. I & III*, Frontini *Strategem. lib. III cap. X*, *exemplo IX*. Polybius dicto libro I tradit ipſam urbem eſſe *muris egregiè munitam, atque in circuitu latâ foſſâ* & aquis *è mari reſtagnantibus: per quas pateat ad portum introitus, peritiâ uſuq; multo opus habens*. Fazellus *Decad. I, lib. VII, cap. I* teſtatur, portus iſtius *fauces jactis olim in profundum molibus, hodiè nullis navigiis ſubiri poſſe*. *Ecloga legationum ex* Diodori *lib. XXIV* referunt, Romanos, quum Lilybæum obſiderent, aliquoties portus oſtium voluiſſe obſtruere. At ventum ac mare exaſperatum omnia diſſolviſſe; neque eos potuiſſe impedire, quo minùs Carthaginenſes, obſeſſos omni genere bonorum cumularent. Falſum igitur eſt, quod Aretius tradit, eam portus obſtru-

Lilybæum promontorium & opidum.

Portus Lilybætanus.

ſtructionem, quæ hodiè conſpicitur, ab Romanis cum Carthaginenſibus belligerantibus factam eſſe. Neque captâ demum urbe Romani portum obſtruxêre, ut Fazellus vult. Longè enim pòſt, quàm omni Siciliâ pulſi fuêre Pœni, *onerarias complureis* in eodem portu naveis habuiſſe I. Cæſarem teſtatur dicto loco Hirtius. Nulla igitur etiam dum facta ejus fuit obturatio, quæ hodiè conſpicitur. Ipſam urbem à Carthaginienſibus conditam fuiſſe, poſtquam Dionyſius tyrannus Motyam Carthaginienſium expugnaverat, referunt *Eclogæ legat. ex* Diodori *lib. XXII.* Motyam Dionyſium expugnaſſe anno quarto Olympiadis xcv, Lyſiade Athenis ſummum gerente magiſtratum, auctor eſt ipſe Diodorus *lib. XIV.* eodem anno Lilybæum opidum conditum fuerit nec ne, incertum eſt. At idem auctor cum ſemet ipſo minimè convenit. quidpe jam anteà *lib. XI* in rebus geſtis anni tertii Olympiadis LXXXI ita ſcribit: *Athenis ſummum gerente magiſtratum Ariſtone in Siciliâ bellum inter Aegeſtanos & Lilybætanos exortum eſt ſuper agro ad Mazaram flumen ſito.* Tum temporis igitur, ac tam potens, exſtitit Lilybæum opidum. Inter maximas & munitiſſimas urbeis numeratur ab auctore *de Viris illuſtribus*. De tantâ tamen ejus magnitudine meritò quis dubitarit; quando nec Enna nec Drepanum ex maximis inſulæ urbibus fuêre. Munitiſſimam verò exſtitiſſe etiam Diodorus tradidit *in lib. XXXVI*; ut habent *Eclogæ legationum*, quo *urbem* adpellat *inexpugnabilem*. Hinc *decennalem* ejus *obſidionem* memorant eædem Eclogæ *ex lib. XXIV.* Cicero ſuâ ætate *in Verrina V* eam vocat *civitatem ſplendidiſſimam*. Poſterioribus etiam temporibus floruiſſe, adparet ex

Tabu-

Tabulâ itineriâ; ubi primariæ urbis ſignum vocabulo ejus adpoſitum eſt. Ipſum vocabulum Λιλυβαῖον, quod attinet, derivativum eſt. Ejus primitivum legitur in Dionyſii Περιηγητοῦ *deſcriptione Siciliæ*: ubi ipſum promontorium adpellatur Λιλύβη, *Lilybe*, ſive, ſi Romano ori accommodare velis, *Lilyba*; quod vocabulum haud dubiè primitivum illud eſt *putei* nomen: unde poſteà & promontorium & opidum adpellatum eſt derivativo vocabulo Λιλυβαῖον, *Lilybæum*. Hoc vocabulum in Jonicam dialectum reſolutum erat Λιλυβήιον. unde Virgilii *vada Libybeïa*, & Atticâ contractione Λιλυβῆον. Orpheus *in Argonauticis*. Atque hæc antiquiſſima eſt Lilybæi promontorii mentio. vixit quidpe hic Orpheus Crotonienſis circa Olympiaden LV; Piſiſtrato Athenis tyrannidem obtinente; ut auctor eſt Suidas. *Puteus* autem *Lilybe* hodiéque in extremo promontorii in templo, ut creditur, antiquo, divo Joanni Baptiſtæ nunc conſecrato, viſitur. Cæterùm opidani à Lilybæo dicebantur Græcis Λιλυβαῖοι καὶ Λιλυβαῖται, teſte Stephano; id eſt, *Lilybæi & Lilybeatæ*. quorum hoc *Eclogæ* habent *legationum ex* Diodori *lib. XXXVI*; illud ipſe Diodorus *lib. XI.* quamquàm illic diphthongus αι in duas ſyllabas αϊ reſoluta eſt ab editoribus ejus auctoris. Diphthongum fuiſſe olim, vel ex eo patet, quòd inde Latini idem vocabulum ſuâ linguâ dixêre *Lilybætani*; diphthongo Græca αι in Latinam æ conversâ: ut Cicero frequenter habet *in Verrinis*; & lapidis antiqua inſcriptio unde poſteà ab exſcriptoribus apud Ciceronem factum eſt *Lilybetani*; & apud Solinum *Lilybitani*. Nummos tamen duos refert Goltzius cum inſcriptione ΛΙΛΥΒΑΙΤΑΝ, Doricâ

Lilybe puteus.

dialecto, pro Λιλυβαιτῶν. unde rectè feceris Romano ore *Lilybaitani*. Solinus *cap. XI* & Iſidorus *Origin lib. VIII, cap. VIII* memorant *Sibyllæ Cumanæ ſepulcrum* Lilybei. Sed antequam à Lilybæo procedamus, rem huc planè incredibilem, niſi à pluribus ſimul narrata foret, auctoribus, adſcribere licet. Breviſſimus à Lilybæo in Africam trajectus ad Carthaginem eſt, ut Strabo refert, CIↃ IↃ ſtadiorum. tanto intervallo dicitur quidam, Strabo nomine, acie oculorum inſigni præditus, è ſpeculâ quâdam numerum navium Carthagine ſolventium obſervaſſe, ac Lilybætanis nunciaſſe. Strabo *lib. VI.* Aelianus *lib. XI cap. XIII.* Valer. Maximus *lib. I cap. VIII.* Plinius *lib. VII, cap. XXI.* Solinus *cap. VI.* A Lilybæo ad Africæ promontorium, quod Mercurii cognominatur, vulgò nunc *Capo Buono* dictum, ſunt haud amplius C millia paſſuum; licèt Plinius & Ptolemæus plura referant. Hodiéque incolæ hujus opidi adfirmant, è loco edito, cui vulgare vocabulum eſt *Cadidi*, haud longè extra urbem ſito, cœlo ſereno, prædictum Africæ promontorium conſpici. Sed hoc intervallum C dumtaxat eſt millium; Carthaginiſq; locus LXXXV circiter millia inde ultrà ſitus eſt.

Sibyllæ Cumanæ ſepulcrū.

II. Porrò à Lilybæo proximum *opidum cum portu* fuit τὸ Δρέπανον, DREPANUM, ſeu plurali numero *Drepana*, quàm plurimis auctoribus memoratum. Δρέπανον Græcis ſignificat *falcem*. Ut igitur Corcyræ & Meſſana; ſic quoque hoc opidum Drepanum nomen ab curvaturâ, quæ falcis ſpeciem refert; non ab ineptis poëtarum fabulis, ſeu Saturni falce; accepit. Opidum, quod heic loci vulgò vocatur *Trápani*, ex intervallo & nominis ſimilitudine cognoſcitur eſſe antiqua

Drepana ſive Drepanum, opidum cum portu; quis & Erycinorum portus.

tiqua illa *Drepana*. Situm autem eſt in peninſulâ; cujus latus meridionale inſignem cingit *portum*, Polybio *lib. I*, & Virgilio *lib. III* memoratum, maximarum etiam navium capacem. Quare Carthaginienſes plurimùm ſemper adhibuêre ſtudii, ut id opidum cuſtodirent; maximè ob portus illius præſtantiam & commoditatem. Ipſe locus ſeu peninſula, antequàm opidum conderetur *in Eclogis legat. ex* Diodori *lib. XXIII* adpellatur τὸ Δρέπανον, *Drepanum*, ſingulari numero, in ſequenti verò pòſt narratione opidum plurali numero vocatur τὰ Δρέπανα. *Amilcar* autem, ut referunt dictæ Eclogæ, *Carthaginienſis Drepanum communivit, opidumque in eo ſtatuit: translatiſque in id Erycinis, Erycem diruit.* Factum hoc belli Punici primi anno primo; Ap. Claudio Caudice & M. Fulvio Flacco coſſ. Sed antequam opidum heic à dicto Amilcare conderetur, ipſe *portus Drepanus* Erycinorum fuit: quorum opidum in proximo monte Eryce ſitum. unde etiam τῶν Ἐρυκίνων dicitur λιμὴν, id eſt *Erycinorum portus*, Diodoro *lib. XV. & lib XXIV*, ut referunt *Eclogæ legationum*, eumdem portum *Emporium* vocavit *Erycinorum*. Cæterùm Stephani epitomator gentilitium habet Δρεπανεὺς, id eſt, ſi Latino ore formes, *Drepanenſis*. at ipſis Latinis in uſu fuit *Drepanitanus*. Ipſum opidum munitiſſimum fuiſſe, dubitare haud licet, quando contra potentiſſimi hoſtis vim exſtructum fuit ab Amilcare Poſterioribus verò temporibus inter nobilioreis totius inſulæ communeratum fuiſſe urbeis, patet cùm ex auctore *de Viris illuſtribus*, tum ex Tabulâ itinerariâ; ubi primariæ urbis ſigno exhibetur.

Erycinorum portus, & emporium.

III. Urbis Drepani extimæ parti adjacet ἡ Πελιάς

Columbaria inſula. λειάς νῆσ@, id eſt, COLUMBARIA *inſula.* Hanc aggeribus continenti junxit Numerius Fabius Rom. coſ. ut Drepanum faciliùs oppugnaret, quum ibi murus eſſet infirmior. Zonaras, *tomo II.* Inſula hæc exigua ſeu ſcopulus; extremo urbis in mare excurſui ab auſtro objectus, etiam nunc vulgò vocatur *La Columbara.* in quo arx munitiſſima, ac penè inexpugnabilis.

Eryx, mons & opidum; In quo Veneris Erycinæ fanum. IV. Drepano poſt mille circiter paſſuum planitiem imminet ab oriente æſtivo ὁ Ἔρυξ ὄρ@, ERYX *mons.* in quo olim *opidum* eodem nomine, & *Templum Veneris Erycinæ*, omnium totius inſulæ celeberrimum. De his locis Polybius *lib. I* ita ſcribit: *omneis Siciliæ monteis, præter Aetnam, longe ſuperans Eryx. Habet in vertice planitiem, cui immolita eſt Veneris Erycinæ ædes; omnium ſine controverſiâ, quæ totâ inſulâ ſpectantur, & divitiis & reliquo cultu longè clariſſima. Vrbs ſub ipſum verticem poſita eſt: adſcenditurque ad illam longâ admodum & difficili viâ.* Prope ipſum ſummum verticem fuiſſe urbem, adparet ex Diodori *lib. XXIV in Eclogis legat.* Fazellus *Decad. I. lib. VII cap. III* ita: *Mons hic ſolus, ſine alterius cujuſquam montis conſortio perſtans, maris fluctibus, quæ Italiam ſpectat, adluitur: atque altitudine, excepto Aetnâ & Nebrode, omneis Siciliæ monteis ſuperat. potiſſimo anni tempore nube cooperitur. Ideoque tum neque Sole, neque ſereno cælo fruitur. aëris nihilominus tantam habet clementiam, ut ad centum & viginti fermè annorum ætatem* ibi *plurimi incolæ pervenerint. In ejus vertice planities eſt; ubi olim Veneris templum erat. & paullo infra urbs ejuſdem nominis adhuc eſt, difficillimam habens expugnationem. Quæ licet ab editiſſimo monte pendeat; puteos tamen perennis habet plurimos. ſed & unaquaque domus pro ratione ciſter-*

ſternas. Et poſtea: *Steterat autem templum olim in ipſo monte: ubi arx eſt hodiè vaſta & ingens, & in rupe mirè excelſâ & præcipiti, ac amplo vetuſti operis ambitu; & magnâ ſui parte quadratis ex lapidibus ſtructa. in quâ nullum quidem ſacra adis veſtigium in ſuperficie adparet: ſolum dumtaxat arcis excavatum plures & eos maximos ſubter prodit lapideis, quin & foſſores in diverſi coloris lapillulis teſſellatum inciderunt pavimentum: quod Erycini templi monumentum eſſe, non ambigimus. Lapis quoque marmoreus ætate meâ, Latinis his literis inſcriptus, ibi repertus eſt:* DEÆ VENERI ERYCINÆ DICATUM. *Vrbs ipſa, mutato priori nomine, adhuc exſtat, Mons Drepani vulgò adpellata; ob id, quòd Drepano mons ipſe prominet. in archivo autem regio Mons S. Juliani hodiè dicitur.* Vulgari hodiè incolarum linguâ *Trápani del monte* adpellatur. Credit namque imperitum vulgus, hoc eſſe antiquum illud Drepanum. Eſt autem *Eryx* urbs Stephano generis maſculini, ſic dicta ſcribitur ab *Eryce* Veneris atque Butæ Sicanorum regis filio, quem hoſpitum interfectorem Hercules occidit. Stephanus. Hyginus *Mytholog. cap. CCLX*. Diodorus *lib. IV*. Apollonius *Argonaut. lib. IV*. Alii tamen hunc Erycem, non Butæ, ſed Neptuni faciunt filium: Apollodorus *genealog. deorum lib. II*. Iſacius Tzetzes *in Lycophronem*. Servius *ad Aeneid. lib. V*. Hyginus quidem dicto loco tradit, monti ex ſepulturâ Erycis ab Hercule occiſi nomen impoſitum, ac in illo Aeneam Veneris templum conſtituiſſe; in eoque Anchiſen ſepultum. Sed Erycem hunc regem fuiſſe totius Sicaniæ poſterioris, haud obſcurè patet ex eo, quòd Heracleam etiam Agrigentini agri urbem quæ in Erycis olim fuerat ditione, ab Dorico

Lace-

Lacedæmonio colonia deducta fuit; teſtibus Herod. *lib. V* & Diodor *lib. IV*. Hic eodem libro narrat, *Erycem, Veneris & Buta, indigena regis, filium, partem inſula regio cum imperio poſſediſſe, & ſui nominis urbem in edito quodam loco ædificaſſe: in ejuſque arce templum matri condidiſſe. &c.* Ex hoc igitur Diodori loco ſimulque ex ſuprà ſcriptis Polybii verbis patet, urbis quondam Erycis arcem fuiſſe ipſum montis verticem; in quo Veneris templum. Strabo *lib. VI.* De cætero, Diodorus heic quidem ipſum Erycem templi Veneris Erycinæ facit conditorem. at Mela *lib. II cap. VII* atque Hyginus ejus auctorem pronunciant Aeneam, Erycis fratrem uterinum. cum quibus Virgilius quoque *Aeneid. lib. V* & Dionyſius Halicarnaſſ. *lib. I* conſentiunt Quo loco Virgilius innuit urbem Aegeſtam ab Aenæâ conditam, & in Eryce monte templum Veneris Erycinæ. Thucydides nullum Erycis opidi templique Erycinæ Veneris indicat auctorem. antiquiſſimos tamen loci incolas memorat *Elymos. Capto Ilio*, inquit *lib. VI*, *quidam Trojanorum, qui Achaos fugiebant, navibus in Siciliam adpulerunt: & locatis juxta Sicanos ſedibus, in univerſum Elymi adpellati ſunt; urbeſque eorum fuère Eryx atque Egeſta.* At Lycophron ipſum Aegeſtem Erycis opidi facit conditorem. Diodorus *dicto libro IV* ſcribit, Dædalum in Eryce *ſummam rupis arcam mirum in modum ampliaſſe, muro circum præcipitia ducto.* Porrò ab *Eryce* derivativum atq; gentilitium eſt Ἐρυκῖνοι, *Erycini*. Opidum verò poſtmodùm ab Carthaginienſibus dirutum fuit; teſte Diodoro *lib. XXII.* Quod factum ab Amilcare belli Punici primi anno primo. Mox iterum fuiſſe habitatum Erycem, patet ex Eclogis *lib. XXIV*. Factum hoc qui-

quidem eodem Punico bello primo: at quo anno, planè incertum eſt. Poſt hæc iterum fuiſſe incolis quodam modo frequentatum, auctor eſt Strabo *lib. VI.* Fatetur tamen opidum incolarum penuriâ laboraſſe; ipſum templum & ſacrorum corporum, hoc eſt, ſacratarum deæ meretricum, multitudinem defeciſſe. Nempe ἱερόδουλοι iſtæ mulieres, Veneri conſecratæ, quem corpore ſuo quæſtum faciebant, is totus deæ ſacer erat. Patet hoc apertè ex Ciceronis oratione, quæ *Divinatio in Q. Cæcilium* inſcribitur. Fuit Romæ quoq; extra portam Collinam Veneris Erycinæ fanum, cujus ſimulacrum Cl. Marcellus Romam tranſtulit. Strabo dicto loco. Stephani epitomator. Pomponius Sabinus *in dictum Virgilii locum.* Ipſum templum in Eryce monte, vetuſtate conlapſum Tiberius imperator inſtaurare juſſit. Tacitus *Annal lib. IV.* At è diverſo Suetonius Claudio id attribuit *in hujus vitâ.* Demum de hujus loci columbis tradunt Athenæus *lib. IX,* & Aelianus *in Variar. hiſtor. lib. I cap. XV & in Hiſtor. animalium lib. IV cap. II eas certo tempore ex eo loco evaneſcere, Erycinoſque adfirmare, Venerem tum è Sicilia in Africam ſolvere, reliquo verò tempore ingentem earundem avium copiam circa deæ templum abundare.* Verùm de Eryce opido jam ſatis dictum.

V. Iſte Μυχὸς Λογγούρου, id eſt, *Sinus* LONGURI, Lycophroni memoratus, cujus regina dicitur Erycis mater Venus, nullus alius eſſe poteſt, quàm qui ab ſeptemtrionibus ipſo monte Eryce, ab auſtro verò Aegithallo promontorio, quod vulgò incolis eſt *Capo di S. Todaro*, includitur, in quo ipſum opidum Drepanum ſitum eſt. In eo ſinu Virgilius *Aeneid. lib. V* *Longuri ſinus.*

certamen navium ab Aeneâ inſtitutum refert. Ex quo clarè patet, locum iſtorum certaminum fuiſſe ad ipſas Erycis montis radiceis. hinc quidpe ad Lilybæum verſus nulli alii ſternuntur in litore colles. Eſt hodiè ſub Eryce turris in litore, divi Juliani cognominata, à Drepanis mille paullo ampliùs paſſibus diſſita; & exiguo poſt eam haud procul ab litore parvula inſula, ſive ſcopulus, humilis atque depreſſus, cui vulgare vocabulum *Iſola d' Aſinello*; id eſt, *Inſula aſelli*. quæ ex ſitu & formâ adparet eſſe eadem, quam eodem libro ita deſcribit Virgilius: *Eſt procul in pelago ſaxum, ſpumantia contra litora &c.* Ad quæ verba ita Servius & Pomponius Sabinus: *Eſt procul: non nimis longè. nunc procul è propinquo ſignificat & dicitur procul, quaſi præ oculis. Campus: ſaxi latitudo.*

Aegithallus promontoriũ & caſtellum; quod poſteà Acellus.

VI. Porrò ὁ Αἰγίθαλλος ἄκρα, id eſt, AEGITHALLUS *promontorium* & *caſtellum*, poſteà mutato nomine dictus fuit ὁ Ἄκελλος, ACELLUS. Apud Ptolemæum legitur Αἰγίθαρσος, quod vocabulum corruptum eſſe ab genuino Αἰγίθαλλος diſcitur ex Excerptore *legat* ex Diodori *lib. XXIV*; & Zonaræ *Annal. tomo. II.* Hoc autem promontorium inter Lilybæum & Drepana nullum aliud eſſe poteſt, quàm quod unicum hoc tractu conſpicitur, vulgari adpellatione *Capo di ſanto Todaro*, & aliàs *Burrani* dictum. Caſtellum iſtud eædem memorant Eclogæ, dictumque deinde fuiſſe *Acellum* referunt.

Motya oppidum cum portu.

VII. Inter Aegithallum & Lilybæum antiqua fuit Phœnicum Μοτύη πόλις, id eſt, MOTYA *urbs*, unde apud Stephani epitomatorem gentilitium eſt Μοτυαῖος, *Motyæus*, Græcâ ſcilicet formatione. ori verò

Roma-

Romano fuerit *Motyenſis*. Idem Stephanus ex Hecatæo ita fabulatur: *Motya urbs ſic dicta à Motyâ muliere, quæ Herculi indicavit eos, qui boves ejus abegerant*. Thucydides verò *lib. VI* ſcribit *Phœnices Motyam*, & *Solûntem ac Panormũ, finitima Elymis opida, ſedibus ibi poſitis incoluiſſe*. Fuiſſe autem *Motyam* prope Lilybæum patet ex Diodori *lib. XIII* & *XIV*, quo loco teſtatur in inſulâ quâdam Motyam fuiſſe ſitam. *Haud procul*, aït, *ab hoc monte* (Eryce) *ſita erat urbs Motya, colonia Carthaginienſium: quæ præcipuam tunc belli arcem ad invadendam Siciliam præbebat*. Mox: *Sita erat hac urbs in quâdam inſulâ ſex ſtadia* (id eſt, ꟾↃ CCL paſſus) *ab orâ Siciliæ diſtans; multitudine domiciliorum pariterque elegantiâ ac pulcritudine præclarè inſtructa: quod opidani opibus abundarent. Viam autem habebat anguſtam, manu factam, quæ ad litus Siciliæ ferebat. eam tunc Motyenſes diruerunt; ne hoſti per eam acceſſus præberetur &c.* In reliquis Motyæ urbis obſidio & expugnatio, à Dionyſio Syracuſano facta, porrò deſcribitur. Eſt hodiè inſula, ſolo humili atque depreſſo, VI circiter ſtadia ab continente Siciliæ, II ab Aegithallo promontorio paſſuum millia, VII ab Lilybæo diſſita, vulgari nunc vocabulo *Iſola di Santo Pantaleone* dicta: in quam unam quùm omnes hiſtoriæ congruant, nullum dubium eſſe poteſt, quin hæc illa ſit, quæ olim Motyam Carthaginienſium urbem ſuſtinuit. Inter hanc verò & prædictum Aegithallum promontorium fuit Diodoro *dicto lib. XIV* memoratus *Motyenſium portus*; mole haud dubiè ab inſulâ verſus promontorium productâ incluſus. de quo etiam ſcribit Polyænus, *Strategem. lib. V*. Cæterùm *ortum Motyæ* quod attinet; ex Diodori *lib. V & XIV*; item ex Pauſaniæ *in*

Portus Motyenſium.

Phocicis & *Eliacis*; ac Thucydidis *lib. VI* narratione colligere datur, Olympiade L Cnidios, Græcam ex Cariâ gentem, in Siciliâ apud Lilybæum promontorium condidiſſe urbem Motyam. quam mox, pulſis conditoribus, communi ope atque expeditione occuparunt & unà incoluerunt Phœnices cum Carthaginienſibus. Per Afros enim intellexit Pauſanias Carthaginenſeis, per Phœnicas verò eos, qui ante Carthaginienſium in Siciliam tranſitum, è Phœnicia à Tyro profecti oram inſulæ maritimam occupaverant. Cæterò jam nullam exſtitiſſe Diodori ætate Motyam adparet ex his Verbis: Αὕτη δ' ἡ πόλις ἦν ἐπί τινος νήσου κειμένη, hoc eſt, *Sita ERAT hæc urbs in quâdam inſulâ &c.* Et verbo εἶχε quod ſequitur in narratione *lib. XIV.* Quando & quo caſu tandem omnis eſſe deſierit, nullibi adnotatum reperitur. Propinqui tamen opidi Lilybæi originem atq; incrementum illius interitum fuiſſe, haud obſcurè oſtendit idem Diodorus *lib. XXII*: ubi *Ecloga legationum* ex eo libro ita referunt; *Lilybæum* opidum *à Carthaginienſibus conditum, poſtquàm Dionyſius tyrannus Motyam Carthaginienſium expugnaverat. congregatos namque, quos ex illa reliquos fecerat excidium, Lilybæi locaverunt.* Hactenus de Motyâ ſatis.

CAP. II.

Aegeſta ſive Egeſta urbs; quæ poſteà Segeſta.

Segeſtanorum emporium. Aquæ Segeſtanæ; quæ & Pincianæ. Amnes, Scamander, Simoïs, Thermeſſus, Porpax, Crimiſus. Bathus, ſive latis. opida, Parthenicum, Cetaria, Hyccara, Aquæ Perticianenſes.

I.

ULtra Drepana & Erycem fuit antiqua in primis celebriſque ac potens urbs, Ἔγεστα & Αἴγεστα dicta; id eſt, EGESTA atque ÆGESTA: eadem nonnullis *Aceſta*, & Latinis tantùm auctoribus SEGESTA vocitata. Αἴγεστα dicta fuit pleriſq; ſcriptoribus Græcis. ſed antiquior formatio videtur fuiſſe Ἔγεστα: quod Thucydides *lib. VI*; Plinius *lib. III cap. VIII*, atque Stephanus, nummuſque antiquus referunt. ex quo poſteriori tempore Romanis formatum *Segeſta*. Opidani inde ſunt Thucydidi, Stephano, ac nummo Ἐγεσταῖοι, *Egeſtai*; id eſt; ſi Romano ore formes, *Egeſtani*: unde Diodoro etiam *lib. IV* ſunt Ἐγεσταῖα λουτρά, id eſt, *Egeſtaa* ſive *Egeſtana balnea*. Reliquis auctoribus Græcis ſunt Αἰγεσταῖοι, *Aegeſtai*; id eſt, Latino ori *Aegeſtani*. Straboni tamen *lib. VI* eſt Αἰγεστέων ἐμπορεῖον, id eſt, ſi Latinè formes, *Aegeſtenſium emporium*. Apud unum equidem Ciceronem *in Verrinâ III* ſunt *Segeſtenes*. at eidem *in eâdem actione* anteà ac poſteà, item *action.* II, IV, & V, conſtanter dicuntur *Segeſtani*: ut & Plinio *lib. III cap. VIII*, & Tacito *Annal. lib. IV*, ac Solino *cap. XI*: unde etiam Ptolemæo, qui in Romanorum provinciis Latinis ut plurimùm utitur formationibus, Σεγεσταν ῶν eſt ἐμπόριον, id eſt, *Segeſtanorum emporium*. Plinio, eodem loco,

Aegeſta ſive Egeſta urbs; quæ poſteà Segeſta.

Græcâ formatione dicuntur *Aceſtæi*: qui Pomp. Sabino, *ad Aeneid. lib I* Latinè *Aceſtani*; ab opidi ſcilicet nomine, quod *Aceſta* formatur Virgilio *Aeneid. lib. V* & Silio *lib. XIV*. Verùm variatio hæc vocabuli tam multiplex ex ipſius conditoris nomine multifariam variato originem habuit. nam *Aceſtes* dicitur Virgilio Aeneid. *lib. I & V*, ac Silio *lib. XIV*; Αἰγέστης, *Aegeſtes*, Iſacio Tzetzæ *ad Lycophronem*; & Αἴγεστος, *Aegeſtus*, Dionyſio *lib. I*; Ἔγεστος, *Egeſtus*, ſive Ἐγέστης, *Egeſtes*, Stephano. Ab hujus vocabulo dicta urbs *Egeſta* quomodo tandem vocata ſit Latinis *Segeſta*; oſtendit Pompeius Feſtus, *Segeſta*, inquit, *quæ nunc adpellatur, opidum in Siciliâ eſt. quod creditur Aeneas condidiſſe, præpoſito ibi Egeſto; qui eam Egeſtam nominavit. ſed præpoſita eſt ei S. Litera, ne obſceno nomine adpellaretur: ut factum eſt in Malevento; quod Beneventum dictum eſt: & in Epidamno;* quod *uſurparunt Dyrrachium*. Thucydides, antiquiſſimus rerum auctor, de urbis origine ita ſcribit *lib. VI*: *Ilio capto, quidam Trojanorum, Achæos fugienteis, navibus in Siciliam adpulerunt. locatiſque juxta Sicanos ſedibus, in univerſum uno nomine Elymi adpellati ſunt. urbeſque eorum fuêre Eryx & Egeſta. His mox alii coloni acceſſerunt, Phocenſium nonnulli: eorum ſcilicet, qui tunc ab Troia in Africam primùm tempeſtate delati, mox inde in Siciliam tranſmiſere.* Thucydides heic disertè *Phocenſeis* ait fuiſſe, quos alii auctores Trojanos ducemque eorum Aeneam faciunt. Atque hoc ſanè multò credibilius, quàm quòd de Trojanâ muliere *Egeſta*, quæ in Siciliam profuga edidiſſet *Aegeſtum* ſeu *Aceſten* narrant Servius *ad Aeneid. lib. V* Dionyſius Halicarn. *lib. I*, qui addit, Trojanas muliereis diuturnæ navigationis pertæſas

tæſas aliquot naveis, poſtquàm Aeneas ad Aegeſtum & Elymum in hæc perveniſſet cum claſſe loca; accendiſſe; atque ita Aeneam neceſſitate coactum turbam heic reliquiſſe, quam poſt exuſtas ſuas reliquæ naves capere non potuiſſent; vel etiam, quod ipſe conjecit Dionyſius, ſponte illic quoſdam reliquiſſe è ſuo comitatu Aeneam. quid enim ille partem claſſis ſuæ in medio itineris curſu relinqueret, novas ſedeis quærens: quas non niſi vi armiſque ſeſe obtenturum ſperare poterat. Egeſtem urbis Egeſtæ conditorem, quamvis non memorat Thucydides: eumdem tamen fuiſſe non negat. *Sed templum Aeneæ* apud Aegeſtanos fuiſſe docet Dionyſius, *in memoriam ſervatori ſuo dicatum ab iis, qui è claſſe illic relicti erant.* Potuit quidpe iſtorum Trojanorum, qui cum Elymo & Aegeſto in Siciliam profecti, ſalutis ac fugæ auctor fuiſſe Aeneas, licèt ipſe in Siciliam non pervenerit. Sic enim Livius initio hiſtoriarum ſuarum: *Jam primùm omnium ſatis conſtat, Trojâ captâ, in cæteros ſævitum eſſe Trajanos: duobus Aeneâ, Antenoreque & vetuſti jure hoſpitii, & quia pacis reddendæque Helenæ ſemper auctores fuerant, omne jus belli Achivos. abſtinuiſſe:* Cum Aeneâ igitur potuerunt evaſiſſe Elymus Aegeſtuſque: qui, mox ab ejus claſſe ſeparati, in Siciliam adpulerunt; ibique opido de Aegeſti nomine condito, Aram *Servatori Aeneæ* ſtatuerunt. Erycis verò conditor quàm varius atque diverſus etiam antiquiſſimis mortalibus creditus ſit, ſuprà perſpectum eſt. Sanè ſi quid vetuſtis narrationibus de Trojanâ expeditione credendum, nihil probabilius eſt, quàm, uti junctim Elymus & Aegeſtus ex unâ Trojâ in Siciliam pervenerunt, ſic eos ſimul junctis

ctis conſilio & ope condidiſſe urbeis treis, *Aegeſtam*, *Erycem*, atque *Entellam*. Ita verò nominis dignitatem inter ſe partitos eſſe, uti omneis ab ipſis huc deducti Trojani ex Elymi nomine dicerentur *Elymi*: ſedes verò utriuſque ducis ab Aegeſti nomine *Aegeſta*, ſive, ut variant auctores, *Egeſta*, & *Aceſta*. Hinc eſt, quod antiquus poëta Lycophron unum Aegeſtum vocat *trium fundatorem conditoremque locorum*, quorum nomina commentator ejus refert, *Aegeſtam*, *Erycem*, & *Entallam*: ex quibus ipſe poëta nominat *Aegeſtam*: ſcilicet, quia hæc caput erat reliquarum; & ſedes ipſius ducis; qui unà ſecum adduxerat in eamdem ſedem ſpurium Anchiſæ filium Elymum. Hinc item eſt, quod è diverſo trium dictarum urbium origo uni adſcribitur Elymo ab Servio & Pomponio Sabino: qui id haud dubiè & ipſi ex antiquiſſimorum quorundam ſcriptorum habuêre monumentis, nam Thucydides quoque unum dumtaxat memorat Elymum, ducem eorum Trojanorum, qui, in univerſum Elymi dicti, Erycem & Egeſtam incoluêre urbeis. Erycem ſub Aegeſti fuiſſe ditione clarè innuit Virgilius *Aeneid. lib. V.* Sed de conditoribus Aegeſtæ ſat dictum. Nunc ſitus quoque ejus aperiendus: Eum ex auctoribus antiquis ita inveſtigat Fazellus, *Decad. I, lib. VII, cap. III. A promontorio S. Viti ſuccedit Scupellus, piratarum ſtatio. Emporium Segeſtanum ad paſſuum millia V ſequitur, quod paſſuum millia XXXII à Panormo diſtare, lib. VI ſcribit Strabo, cujus minima adparent veſtigia. Non procul inde Caſtrum ad mare, opidulum frumentique emporium, diſtat: à quo ſinus ingens hoc tempore nomen ſuſcipit*, (Golfo di caſtel à mare vulgò dictus) *Criniſius deinde fluvius eſt* (rectiùs Scamander.)

dce.) *qui à S. Bartholomæo, ab ædicula ejuſdem nominis, nunc adpellatur. Oritur à duobus capitibus, quorum unum ſupra Calata ſimum ſurgit; alterum à Stricto ſoricis & à planitie Habita. ex quibus delapſus, Segeſtam, quam ad lævam relinquit, præterlabitur: ubi Frigidus vocatur. Augetur deinde, primum ex balneorum Segeſtanorum aquis, & mox Herbeſi æſtuantis fontis (qui, Gurgus hodiè nominatus, fluviolum, Calidum adpellatum, ſtatim facit, & molas convolvit) congreſſum admittit. & ſic auctus in mare erumpit.* Et ſequenti capite: *Imminet Crimiſi* (Scamandri) *oſtio, & huic oræ ad meridiem paſſuum millibus V Segeſta, urbs vetuſta, in colle undique prærupto jacens, Barbara vulgò hodiè dicta. id quod liquido oſtendunt ſulphurea aqua vicina Segeſtana à Strabone adpellata; Herbeſus fons propinquus, Segeſtanis ortus agris Solino; Crimiſius* (Scamander) *fluvius; emporium ad oram ſitum, Segeſtanorum: ſtupenda præterea vetuſtiſſimi operis ruinæ. huc accedit, quod Ptolemæus mediterraneam Segeſtam hoc loci ponit.* Et deinde: *Habet adhuc antiquitatis monumenta, viſu digniſſima. urbem enim, quæ adſcenſum habet non difficilem, licèt anguſtum & arte elaboratum, ingredientibus ſtatim theatrum occurrit ſemidirutum. fanum quoque intra mœnia, priſci operis monumentum, quadratis ex lapidibus, teſtudinatum ac integrum propè ſupereſt: quod in divæ Mariæ cultum tranſabiit. cæteraque urbis omnia magnis lapidibus proſtrata, ac ciſternæ plurimæ adhuc in dirutis domibus adſectæ conſpiciuntur. Sub urbis verò mœnibus dextrorſum, antequam urbem adſcendas, templum eſt maximum, nulla penè ex parte violatum, tredecim utrimque ſublimibus columnis ſuffultum; in quo nihil præter tectum deſideratur. Numiſmata etiam in urbe paſſim à foſſoribus fabriſque cæmentariis ſæpenumerò ex ære & ar-*

gento reperiuntur, Græcâ cum inſcriptione ΣΕΓΕΣΤΑΝΩΝ. *Scaturigines aquarum ſunt in his agris ſulphureæ, contra varios morbos vim ſecum adferentes. Abſunt ab urbe ad aquilonem, mare verſus, paſſus circiter mille, balneæ: de quibus lib. VI in hunc modum Strabo: Calidarum aquarum ſcaturigines habet Sicilia multis in locis. è quibus Selinuntiæ & ad Himeram ſalſæ ſunt; Segeſtanæ verò potabiles. Quod uſu etiam experti ſumus. aquæ etiam hæ, licèt calidiſſimæ ſint & ſulphureæ; quia tamen ſalis mineram non tranſeunt, ſicut Selinuntiæ & Himerenſes, ſi refrixerint, potabiles ſunt. Sub his ad jactum funda ingens lacus calidus eſt ſulphureus: qui ſubitâ eructatione æſtuans ac fervens, Herbeſus Scimio, à nobis Gurgus hodiè adpellatur.* Non lacus equidem hic ingens, ſed fons magnus eſt. lacum ſi adpellare libeat, exigui epitheton ei addendum erit. Hæc igitur ſigna tam clara atque manifeſta, dictas ruinas, quæ hoc tempore imminutæ ſunt, antiquæ urbis Segeſtæ eſſe reliquias, oſtendunt. His jam adde & Itinerariorum indicium: à Panormo enim ad dictas uſque ruinas ſive ad aquas calidas hodiéq; numerantur millia paſſuum XXXVI: inde vero Drepanum XXIV. Ab opidulo autem ſive emporio, quod vulgari nunc adpellatione eſt *Caſtel à mare*, ad Panormum XV circiter ſunt millia, quæ Strabo tradit. AEGESTENSIUM igitur ſive SEGESTANORUM EMPORIUM creditur eſſe prædictum *Caſtellum ad mare*; quia hoc Segeſtanorum flumini proximum. Fazellus quidem id emporium longiùs à fluminis oſtio in locum removit, ubi minima adparebant veſtigia. Cæterò, quum prædictæ ruinæ haud perinde magno ſpatio ſparſæ jaceant in dicto colle ambitu: ipſa vero Segeſta, urbs quondam fuit, ut ex Thucydi-

Emporiū Segeſtanorum.

dis

dis & Diodori pater hiſtoriis, opulenta ac potens; &, totius Elymorum gentis caput: facilè hinc conjicitur, arcis tantùm Segeſtanæ urbis eas eſſe reliquias; ipſam autem urbem ad dictas uſque aquas calidas pertigiſſe. quod etiam Plinius Solinuſque adfirmare videntur: quorum ille dictas aquas *in Egeſtâ*, hic verò Herbeſum fontem *apud Segeſtanos*, non *in Segeſtanis*, ut citat Fazellus, *agris*, fuiſſe tradunt. Atque huc etiam facere videntur hiſtoriæ Thucydidis *lib. VI* & Diodori *lib. XIII*. In lævâ tamen tantùm conſtitiſſe ripâ Aegeſtam, ex ejuſdem Diodori *lib. XX* colligitur. *Agathocles, in graviſſimas urbem calamitateis demerſit. nam inſidias ſibi ſtructas prætexens pauperrimum quemque, extra opidum productum, apud Scamandrum amnem mactavit. qui majoreis verò poſſidere videbantur faculteteis, hos tormentorum cruciatibus fateri coegit, quantum quiſque pecuniarum haberet.* Hic ſcilicet ille eſt Σκάμανδρος ποταμὸς, SCAMANDER *fluvius*, qui lævâ ſuâ ripâ dictas Segeſtæ ruinas & calidas aquas præterlabens, vulgò nunc ſuperiore ſui parte S. *Bartholomæi*, inferiore autem *Frigidus* vocatur: quem falso hactenus omnes noſtri ſeculi ſcriptores interpretati ſunt Crimiſum. Strabo *lib. XIII*: *Quidam verò ajunt ad Aegeſtam Siciliæ trajeciſſe Aeneam cum Elymo Trojano; & occupaſſe Erycem Lilybæumq; amneſque apud Aegeſtam denominaſſe Scamandrum & Simoënta.* Nempe ab eorumdem nominum fluminibus in priſtinâ patriâ Troade. ſic enim eodem libro anteà: *Amnes Scamander & Simoïs paullo ante Ilium, quod nunc eſt, confluunt: atque inde apud Sigeum in mare effunduntur.* Hinc etiam Siciliæ Σιμόεις ποταμὸς, SIMOIS *fluvius*, nullus alius eſt exiſtimandus, quàm qui, ab ſuprà me-

Scamander fluvius; qui & Frigidus.

Simoïs amnis.

morato Stricto ſoricis opido profluens, apud Segeſtam dextræ Frigidi amnis ripæ confunditur. Hinc illud mulierum Trojanarum apud Virgilium *Æneid. lib. V : nuſquam Hectoreos amnes Xanthum & Simoënta videbo?* Nempe *Scamander* idem erat & *Xanthus*. Vibius *in Catalogo fluminum*. Plutarchus *de Fluminibus*. Ælianus *in Hiſtoria animal. lib. VIII, cap. XXI.*

Thermeſſus fluvius. II. Θερμησσὸς, THERMESSUS fluvius ab aquarum fervore dictus ad Segeſtam memoratur Æliano *Var. hiſt. lib. II cap. XXXIII*, cui dicitur Τελμισσὸς, *Telmiſſus*. Sic ſcilicet Piſidiæ olim inſignis urbs apud Strabonem *lib. XII* Τερμεσσὸς, *lib. XIII* Τερμησσὸς, *lib. XIV* Τερμισσὸς· & hoc etiam modo apud Stephani epitomatorem. apud Diodorum verò unico σ ter Τερμησὸς. apud Ptolemæum in nonnullis exemplaribus, Τελμισσός. apud Livium *lib. XXXVII Telmeſſus*, *libro vero XXXVIII Termeſſus*. quum verum germanumque ejus vocabulum ab initio fuerit Θερμησσός, *Thermeſſus*. unde *Thermenſes majores Piſidæ* ſæpiùs nominantur in antiquiſſimâ tabulâ æneâ, cujus typum refert Gruterus *in opere Inſcriptionum antiquarum*. Id vocabulum poſtmodò factum Τερμησσὸς, *Termeſſus*. quo nomine etiam fluvius apud Bœotiæ montem Heliconem memoratur Orpheo *in Argonauticis*, ac Pauſaniæ *in Bœoticis*. Ad eumdem igitur modum Siciliæ ille *Calidus fluvius*, Græcis Θερμησσὸς dictus, ac Θερμησσὸς : mox factus eſt Τερμησσός, ac Τερμησσός· poſtea Τερμισσός· & tandem Τελμησσὸς ac Τελμισσός. Vnde Latinè etiam ſcriptum vocabulum primo fuit *Thermeſſus*. ex quo quum deinde fieret *Thermeſus* & *Thelmeſus*; tandem, extritâ primâ literâ T & vitiato m in b factum eſt *Herbeſus* apud Solinum

cap.

cap XI, & *Helleſus*. Occaſionem variandi iſta duo in Siciliâ & Piſidiâ vocabula exſcriptoribus præbuiſſe videtur conſimile vocabulum in opido maritimo Lyciæ; quod Ptolemæo Græcis literis ſcribitur Τελμησσὸς, Plinio autem *lib. V cap. XXVII*, unà cum amne ter memoratur *Telmeſſus*. Cæterùm hic apud Segeſtam Thermeſſus in medio flumine ſubita exæſtuatione fervere ſcribitur à Solino dicto loco; unde haud dubiè illi nomen.

Porpax amnis.

III. At ὁ Πόρπαξ, PORPAX, qui fuerit ille Aeliani in iiſdem Aegeſtanorum agris, dicto jam loco memoratus *fluvius*, minimè liquet. quamquàm Fazellus ipſas cum interpretatur calidas aquas; quæ, in eumdem cum Termeſſo defluentes Scamandrum, olim dicebantur Αἰγεσταῖα ὕδατα, id eſt, *Aegeſtana ſive Segeſtana aquæ*. Eædem unde poſteà *Pinciæ* dictæ ſint, incertum eſt. Cæterùm urbs ipſa Segeſta quum è florentiſſimis Siciliæ urbibus ſemper una fuiſſet, multaque bella cum finitimis Selinuntiis, potente itidem civitate, geſſiſſet; Agathocles tandem, Syracuſanorum tyrannus, omneis eius incolas excidit; noviſque cultoribus contributis, novum etiam nomen ferre eam voluit; adpellavitque *Dicæopolin*, ac transfugis habitandam conceſſit. Factum hoc Olympiadis CXIIX anno II, Athenis ſummum gerente magiſtratum Anaxicrate. Sed poſt Agathoclem Dicæopolis novo vocabulo abiecto antiquum nomen iterum obtinuit. Eclogæ enim *legat.* ex Diodori *lib XXIII in rebus geſtis belli Punici primi* referunt Aegeſtam opidum à Romanis obſeſſum: & Cicero *in Verrinâ III* inter *civitates ſine fœdere immuneis ac liberas Segeſtam* connumerat. Verùm longè

Segeſtanæ aquæ, quæ & Pinciæ.

Segeſta, deinde Dicæopolis dicta.

ante Agathoclis tempeſtatem Egeſtam urbem à Carthaginienſibus fuiſſe deletam adparet ex Cicerone *Verrinâ IV*. Quando verò tandem omnis interierit incertum eſt.

Crimiſus amnis.

IV. Ὁ Κριμισὸς ποταμὸς, CRIMISUS *amnis*, licèt paullo remotior ab Segeſtâ & orâ maritimâ in mediterraneis fluat; tamen, quia crebra ejus in hiſtoriâ dictæ urbis facta eſt mentio: unde etiam ab omnibus hactenus pro eo flumine, quod Segeſtam prælabitur, habitus eſt. Quare & ipſe hoc loco indicandus. Sed nomen ejus variè in variis variorum auctorum exemplaribus conſcriptum reperitur. In unius Virgilii ejuſque commentatorum exemplaribus nunc *Crimiſus*, nunc *Crimniſus*, & aliàs *Crimiſus* legitur. Apud Vibium legitur *Crumiſos*. Apud Hyginum *cap. CCLXXIV*, eſt *Crimiſus*. Cornelius Nepos, *in vitâ Timoleontis*, habet *Crimiſum & Chryniſſum flumen*. quod apud Plutarchum *in eodem Timoleonte* eſt Κριμησὸς, *Crimeſus*: & apud Diodorum *lib. XIX* Κρημισσὸς, *Cremiſſus*. Apud Lycophronem verò Κριμισσὸς, *Crimiſſus*. Verùm ex cunctis colligitur, verum genuinumque fluvii nomen fuiſſe ὁ Κριμισὸς, *Crimiſus*, ut habet Dionyſius Halicarnaſſenſis *lib. I*. quod poſteà poëtæ fecerunt Κριμισσὸν, *Crimiſſum*. Sic & urbs in Italiâ Straboni *lib. VI* & Stephano narratur Κρίμισα, *Crimiſa*; quæ eadem Κρίμισσα, *Crimiſſa*, Lycophroni, & Scholiaſtæ ejus Iſacio; à Philoctete ad *Crimiſum* ſeu *Crimiſſum promontorium* in Crotonienſi agro condita. Strabo dicto libro ait, Philocteten miſiſſe quoſdam cum Aegeſto Trojano in Sicilam, qui Aegeſtam urbem illic condiderunt. Hoc ſi verum; certè nomen promontorii atque opidi quod in Italiâ reliquerat, in Sici-

Siciliam detulit Aegeſtus; fluminique ſuæ illic ditionis maximo impoſuit. ſin falſum; omnis iſta fabula ex duûm diverſorum locorum uno eodemque nomine contexta eſt. Verùm de nomine ſatis. Nunc ſitus amnis indicandus. Ex Plutarchi *in vitâ Timoleontis* & Diodori *lib. XVI* narrationibus, quibus Carthaginienſes à Timoleonte referuntur ad Crimiſum flumen victi, clare patet, hunc *Crimiſum* fuiſſe unum ex majoribus Siciliæ amnibus, inter Lilybæum & Agrigentinum agrum. quæ loca quum diſertè ab dictis auctoribus nominentur, miretur quis, quibus rationibus omnes pariter hujus ſeculi Siciliæ ſcriptores inducti, Crimiſum eum interpretati ſint amnem; qui, apud Segeſtam fluens, vulgò nunc *Frigidus* adpellatur, olim autem accolis vocabatur *Scamander*. Certè ex Plutarchi & Diodori hiſtoriâ, Crimiſus nullus alius eſſe poteſt amnis, quàm qui in Panormitano agro ad opidulum Caſale Græcorum exorſus, primùm inter opida Scalam Curiæ, & Buſamarium, mox propter Jatum & Petram longam opida arcemque Calatraſim, & Entellam, qui hodiéque ita vocatur, montem veteriſque. Entellæ urbis ruinas defluens, tandem in dextram Hypſæ amnis ripam in Selinuntiorum agro effunditur, vulgari nunc & communi cum ipſo Hypsâ nomine *Belici* dictus; &, ad diſcrimen illius, interdum Belicis dexter cognominatus. Diodorus tradit, Timoleontem Entellam Carthaginienſis ditionis opidum eâ expeditione occupaſſe. Id haud dubie Carthaginienſes, cùm auctis copiis à Lilybæo profecti, recuperare voluerunt. eò quum iter intenderent; Timoleon contra eodem & ſuas movit copias, deprehenſoſque

ſoſque Carthaginienſeis in Crimiſo fluvio, prælio fudit atque fugavit. Sed & hoc documentum accedit, quòd hoc tractu inter Entellam & Selinûntem urbeis tantâ copiâ, etiam tunc antiquis temporibus creverit σέλινον, id eſt, *apium*, uti etiam flumen inde atq; urbs nomen acceperint Σελινοῦς, *Selinûs*; ut ſuprà intellectum. Quòd igitur veteres auctores in Aegeſtæ hiſtoriâ Crimiſum amnem memorarunt; id nullo modo ad unam Segeſtam urbem ejuſque flumen trahendum eſt: ſed ad omnem illum agrorum tractum, qui ab Entella hinc ad Lilybæum & Drepana, illinc ad Segeſtam protenditur. quem ille nobilis Trojanus, ſive Crimiſus alio nomine cum Phœnodamantis filiabus à Trojâ in has inſulæ oras profectus, incoluit, antequam Aegeſtus cum Elymo treis prædictas in eo urbeis conderet, Servius *in Aeneid. lib. 1.* Lycophron *in Alexandrâ*, Tzetzes. Dionyſius Halicarnaſſenſis *lib. 1.*

Bathys ſive Jatis amnis. V. ὁ Βαθὺς ποταμὸς, BATHYS *amnis* extra controverſiam is eſt, qui in litore ab Segeſta ad Panormum vulgari nunc vocabulo accolis dicitur *Jati*. Nomen illud Græcum Βαθὺς, quod *profundum* Latinè notat, a re ipsâ inditum ei eſſe poterat: quia altis & abruptis in ſaxeo ſolo eſt ripis. Verùm mirum tamen fuerit, ni verum ejus olim nomen fuerit idem quod etiamnunc obtinet, Ἰάτις JATIS, ſive Ἰάθις *Jathis*: quandoquidem ab monte profluit. cui unà cum ſuperſtructo opido vocabulum etiamnunc eſt *Jati*: quod opidum apud Stephanum dicitur Ἰεταὶ, & Silio Latino ore *Jetas*.

Cetaria opidum. VI. Τὰ Κητάρια πόλις, CETARIA *opidum* inter Segeſtanorum emporium & promontorium S. Viti fuit, ubi antiqui opidi quædam veſtigia cum ſpeculâ vulgò

vulgò nunc incolis dicuntur *Scupello*. heic quidpe hodiéque τὰ κήτη, *cete*, ſive *thunni*, magnâ capiuntur copiâ, ac ſale condiuntur. unde olim loco nomen à Romanis Latinâ linguâ impoſitum. *Cetaria* enim, ſive *Cetaria*, dicebantur illis lacus ſive ſtagna marina, in quibus τὰ κήτη, id eſt, omnis generis majores piſces marini, maximè verò thunni capiebantur, juxtâque ſaliebantur. Horatius, *Satyra V, libri II.*

VII. Inter Bathyn fluvium & Panormum fuit PARTHENICUM opidum eo ſitu, ubi antiqui cujuſdam opidi ruinæ conſpiciuntur, quæ vulgò nunc dicuntur *Palamita*. Erravit igitur Fazellus *Elymam* urbem heic ſtatuens *Decad. I lib. VII cap. V.* Ex ſitu enim & intervallo, quod habet Itinerarium Antonini colligitur, antiquum heic fuiſſe Parthenicum. Ager ſanè circa Palamitam etiamnunc vocatur *Parthenicus*; & opidulum in eo vulgò *Sala di Partenico*, in ipsâ viâ ſitum, qua Panormum itur à Drepanis. *Parthenicum opidum.*

VIII. Τὰ Ὕκκαρα, HYCCARA, ſive ſingulari numero τὸ Ὕκκαρον πολισμάτιον, *Hyccarum opidulum* poſt Parthenicum in eodem litore ad paſſuum millia XII ſitum, defecit. Perſeverat autem priſci nominis veſtigium, & locus ille *Murus Carinis* adpellatur. vulgò *Muro di Carini*: quod haud dubiè anteà dicebatur *Muro d' Iccarini*; id eſt, *Murus Hyccarinorum*. Athenæus *lib. VII ex Timæo* refert, primos mortalium, qui in eum locum venerint, piſceis *reperiſſe hyccas* nomine; eoſque prægrandeis. quod auguriũ & omen ſequutos, locum nominaſſe *Hyccarum*. Apud Stephani epitomatorem gentilitium inde eſt Ὑκκαρεὺς, *Hyccarenſis*; & poſſeſſivum Ὑκκαρικὸς, Hyccaricus. Memoratur hoc opidum *Hyccara opidulum*

V Thu-

Thucydidi quoque *lib. VI* Diodoro *lib. XIII*, & Plutarcho *in Alcibiade* & *Niciâ*; quo loco tradit in eo opido Laidem tum virginem ab Athenienſibus captam, ſub haſtâ venditam, ac deportatam fuiſſe in Peloponneſum. Ejus mater Timandra cadaver Alcibiadis cremavit. Plutarchus *in Alcibiade.*

Aquæ Perticianenſes. IX. *Aquæ Perticianenſes*, Antonino memoratæ, ubinam fuerint, incertum eſt. Fortè fuerint ad ſuprà dictum *promontorium S. Viti*, quod, teſte Fazello *Decad. I. lib. VII cap. III. puteos exhibet perennes; & inter duos angulos in mare procurrentes ſtationem habet navium capaciſſimam. cui à litore D paſſus recedens incubat rupes quadam, à reliquo monte divulſa, Conterranea adpellata. quam urbem olim fuiſſe & terra motu disjectam, nulla auctoritate nulloque ſigno vulgus prædicat.*

CAP. III.

Panormus urbs cum portu. Ercta mons & caſtellum. Orethus & Eleutherus amnes. Solûs opidum. Himera urbs & ejuſdem nominis fluvius. Thermæ urbs, ſive Aquæ Himerenſes, Minervius ager.

I.

Panorm9 urbs. IPſa hinc *urbs* ὁ Πάνορμος, PANORMUS, multis auctoribus memorata, vulgò nunc incolis dicitur *Palermo*; omnium totius Siciliæ maxima ac ſplendidiſſima; regni caput, ac ſedes præſidis, quem Hiſpaniarum rex huc, cum titulo viceregis mittit. Antiquum ejus vocabulum compoſitum eſt ex duabus vocibus, πάνυ & ὅρμος. quorum illud *omnino*, hoc *navium adpulſum* ſive *ſtationem* ſignificat: quaſi dicas, *eximium portum.*

quod

quod Diodorus etiam *lib. XXII*, ut referunt Eclogæ, teſtatur. Poſterioris ævi grammatici & veterum Latinorum auctorum exſcriptores Græco huic vocabulo adſpirationem interpoſuerunt; licèt eam Græcâ linguâ non admittat, & ſcripſerunt *Panhormus*. Sic Vibius *in Catalogo fluminum*, Plinius *lib. III cap. VIII*; & *lib. IV cap. V* & *XII*. Cæterò notandum, vocem hanc Græcam maſculini eſſe generis, quia adjiciebatur ſubſtantivo vocabulo ὁ λιμὴν, *portus*. Homerus *Odyſſ. lib. XIII*; Euſtathius. Apollonius *in Argonaut. lib. I.* At Plinius id urbis vocabulum neutro formavit genere *Panormum*. Et Fazellus *Decad. I, lib. VII cap. I.* tradit, in lapide antiquo Adriano Cæſari dicato legi: RESPUBLICA PANORMII: & hinc conſtare ait, hanc urbem apud veteres *Panormium*, & gentiles *Panormienſes* adpellatos fuiſſe. Sed pleraque deſinentia in *ium*, faciebant gentilitia in *ini*. Ad eumdem igitur modum à Panormio quoque dici poterant *Panormini*. Apud Stephanum *inquilini* dicuntur Πανορμηνοὶ, *Panormini*, *natus verò in Sicilia opidanus*, Πανορμίτης, *Panormita*. *dicitur etiam* Πανορμεὺς, *Panormenſis*. At hoc fortè à neutrius generis vocabulo *Panormum*. Illud verò Græcorum Πανορμῖται Latinis formabatur *Panormitani*; teſte Cicerone *in Verrinis* II, III, IV & V: & item inſcriptionibus antiquis. Pervetuſtam eſſe urbem diſcimus ex Thucydidis *lib. VI*; ubi *Phœnices* ſcribuntur *occupatas Siciliæ extremas ad mare parteis habitaſſe: negotiandi cum Siculis causâ. At poſtquàm Græci permulti illuc trajecerint, relictis plerisque, Motyam, Soluntem ac Panormum unà incoluiſſe*; junctâ cum *Elymis ſocietate*. Factum hoc communi ope à Phœnicibus ſimul Sicilienſibus & Pœnis Carthagini-

enſibus, circa Olymp. L. At quia vox iſta Thucydidis *συνοικίζειν* admodum eſt anceps; quidpe quæ & *condere de novo urbem*, & *jam anteà conditam novis frequentare incolis*, ſignificet: quæritur, utrum horum tunc à Phœnicibus atque Carthaginienſibus factum ſit. Græca quum ſint Πάνορμος & Σολόεις vocabula, à Græcis fuiſſe conditas eas urbeis ſuſpicari pronum erat. Motyam à Cnidiis Græcis Olympiade L fuiſſe conditam, moxque eam Phœnices cum Carthaginienſibus, pulſis primis conditoribus atque incolis, occupaſſe, libri hujus ſecundi cap. I oſtenſum eſt. Ex hoc igitur argumento quid vetat colligere; *Panormum* quoque ac Solûntem à Græcis, non à Phœnicibus, primum ortum nomenque accepiſſe? Cur autem inter Græcas colonias prædictæ tres urbes à nemine veterum auctorum connumeratæ fuerint, cauſa in unius Motyæ hiſtoriâ ſatis perſpicitur. Nimirum ab Olympiade XI, quo tempore primi Græcorum in Siciliam trajecerunt ad Olympiadem uſque L, bellum inter Phœnices, extremas tunc inſulæ oras tenenteis, ac Græcos perpetuum fuit, pellentibus his illos ex dictis maritimis locis, coloniaſque in iis alias ſubinde atque alias condentibus; donec ad extimam uſque inſulæ verſus occaſum Solis & Carthagini proximam partem perventum eſt. tum Carthaginienſes, ſimul in auxilium à conſanguineis Phœnicibus vocati, ſimul ſuæ jam metuentes ex vicinitate locorum urbi, ſummis viribus in inſulam trajecerunt; conjunctiſque cum illis copiis, quum aliis locis nequirent, extremis iſtis Motyâ, Panormo & Solûnte, nuperimè conditis urbibus, Græcos ejecerunt; auxiliantibus ipſis etiam Elymis ſive Aegeſtanis: occupa-

cupatas verò urbeis novis incolis frequentarunt, firmiuſque communiverunt. Marcianus Heracleenſis *in circuitu Orbis*. Pauſanias *in Eliacis* & *Phocicis*. Diodorus *lib. IV* & *V* Herodotus *lib. V*. Celebrem exinde ſemper fuiſſe ſub Carthaginienſium ditione urbem juxta, ac portum, ex Diodori hiſtoriis, quæ ſunt *lib. XI, XIII, XIV, XXII, & XXIII* perſpicitur. Polybius etiam *lib. I in hiſtoriâ belli Punici* ſcribit Panormum à Romanis occupatum; memoratque parteis urbis *Neapolin*; id eſt *Novam urbem*; & *Palaam*, id eſt *Veterem*. Strabo *lib. VI* teſtatur Panormum ſuâ ætate habuiſſe Romanorum *coloniam*. Cicero eam *in Verrinâ III* numerat inter *civitateis ſine fœdere immuneis ac liberas*.

II. Portui Panormitano ab occaſu ſolis mons imminet, cui caſtellum quondam ſuperſtructum ἡ Εἱρκτὴ Polybio *lib. I*, & Diodoro ἡ Ἑρκτὴ, ERCTA, huic etiam in plurali numero αἱ Ἑρκταὶ, *Ercta*, dicitur. Latinè idem vocabulum verteris *Carcer* & *Carceres*. Situs hujus loci egregiè atque eleganter deſcribitur à Polybio, *lib. I*, quo tradit, *Amilcarem, cognomine Barcam* heic *caſtra poſuiſſe, ac ex eis, licèt nullam haberet urbem ſociam, Romanos terra & mari impugnaſſe, trium fermè annorum ſpatio*. Eſt autem mons is excelſus, mille paſſus ab urbe diſtans, qui vulgari nunc incolis vocabulo adpellatur *Monte Pelegrino*; nulli alii monti junctus: aditum unicum habet commodum, qua Panormum ortumque hiberni Solis ſpectat: quem duo vel tres homines cuſtodire poſſunt. Tumulus in mediâ ejus planitie poſitus ſpeculam ſuſtinet, ex quâ ſublati ignes piratarum hoſtiumque adventum Panormitanis prænunciant. Pyrrhus in Siciliâ bellum gerens & Panor- *Ercta caſtellum.*

mum vi cepit, & *munitionem Erctarum occupavit*. Diodorus *lib. XXII*. Sed à Romanis caſtellum hoc expugnari non potuit. Idem Diodorus *lib. XXIII*.

Orethus fluvius. III. Porrò urbem ab ortu Solis præfluit ORETHUS amnis. vulgò hodiè incolis vocatur *L' Amiraglio fiume*. Meminére ejus Polybius *lib. I*; ſed ſine nomine; Diodorus *lib. XXIII*, *ut referunt Ecloga*; & Vibius *in Catalogo fluminum*. Anguſtiæ ſeu fauces, quas heic memorat Diodorus, ſunt, per quas è Selinûntio agro juxta Crimiſum amnem, ſive Belícem dextrum, per opidulum Græcorum Caſale adventantes, ad cœnobium divæ Mariæ de Gratiis, haud procul à dextrâ Orethi ripâ ſitum, tranſeunt.

Eleutherus amnis IV. Ultra Orethum proximus ſequitur Ἐλεύθερος ποταμὸς, ELEUTHERUS *amnis*, uni Ptolemæo memoratus. Intervallum inter Panormum & oſtium Eleutheri ille facit VI circiter millium paſſuum. tantundem fermè hodiè deprehenditur eſſe inter urbem & oſtium amnis, cui vulgare nunc vocabulum *Bataria fiume*.

Solûs, ſive Solentum opidum. V. Inter Eleutherum amnem & Thermas Himerenſeis, in dextro latere promontorii, cui vulgaris adpellatio *Monte Cerbino*, eſt etiamnunc caſtellum cum emporio frumentario, vulgò incolis *Sólanto* dictum: quod olim Græcis fuit Σολόεις, SOLOIS; & contractè Σολοῦς SOLUS: Romano ori *Soluntum & Solentum*. *De Solûnte* ita tradit Fazellus *Decad. I lib. VIII*. *Mons Gerbinus, à Panormo paſſuum millia XII diſtans, ſequitur; quem mare adlambit: & mons alius, undique præciſus, ei contiguus. ad cujus verticem Soloëntum, urbs vetuſtiſſima, hodiè prorſus jacens cernitur. cujus mœnia, circumquaque jacentia, ac*

tem-

templorum ædiumque privatorum veſtigia, columna præterea proſtrata, ac ciſternæ, quæ hucuſque viſuntur, ejus præteritam oſtendunt claritatem. Erat autem ambitus paſſuum ſupra mille, & naturali ſitu communita, unicum habens aditum & adſcenſu perdifficilem. Subeſt ei ejuſdem nominis hodiè arx, frumenti emporium, portum habens navium capaciſſimum: ubi & thynnorum præclarus eſt piſcatus. Inde olim opidani Græcis dicebantur Σολȣ̃ντιοι, *Solûntii*, & Σολȣντῖνοι, *Soluntini*. Antiquus nummus habet ΣΟΛΟΝΤΙΝΩΝ, id eſt, *Solontinorum*. Romano ore rectè dicentur *Solûntini*, à Solûnte, ſive *Solunto*; & à *Solento*, *Solentini*. At *Soleentinum*, ut formavit vocabulum Fazellus, nuſpiam apud Latinos ſcriptoreis reperitur. De antiquis hujus opidi incolis modò dictum eſt, hoc capite ſ. 1, in deſcriptione *Panormi*. Hecatæus apud quem, auctore Stephano, vetuſtiſſima Solûntis eſt mentio, vixit, teſte Suida, ſub Dario, Hyſtaſpis filio; qui imperium Perſarum ſuſcepit anno IV Olymp. LXIV; regnavitq; annos XXXVI. Μυθολόγοι quidam poſteà originem urbis Herculeis fabulis adſcripſerunt: vocatamque tradiderunt à quodam Solûnte, qui quod malè tractaſſet peregrinos, ab Hercule interfectus: ita Stephanus. Sed etymologia vocabuli Σολόεις, ſive Σολȣ̃ς, licet ſit Græca; tamen unde id ſic dictum fuerit, haud facilè diſpicitur. eaque ipſa cauſa fuit, cui eam ex fabulis grammatici μυθολόγοι derivare conati ſint.

VI. Sequitur à Solûnto poſt XII millia paſſuum ὁ Ἱμέρας ποταμός, HIMERA *fluvius*: ad cujus oſtium olim in lævâ ripâ fuit Ἱμέρα πόλις, HIMERA *urbs*; poſteà verò, Himerâ deſtructâ, haud procul à dextrâ ripâ alia fuit *urbs*, θερμὰ ὕδατα, cognomento Ἱμεραῖα, id eſt, *Himera flumen & opidum; quod poſteà Ther-*

Aquæ

maeHimerenſes. *Aquæ calidæ Himerenſes*, ſive θερμαὶ Ἱμεραῖαι, *Thermæ Himerenſes* dicta. quæ urbs hodiéque in primis Siculorum urbium ſplendida & incolis frequens, *Termini* vulgò vocatur. unde & *Himera fluvius* cognominatur nunc *Fiume di Termini*. Eſt autem hic fluvius totius hujus litoris fermè maximus, & ſolus *in mediâ admodum inſulâ*, ut Mela *lib. II cap. VII* teſtatur, quà ea inter ſeptemtrioneis & auſtrum panditur, inter duo opida *Prizzi* & *Camarata* exoritur. Exiſtimarunt autem auctores antiqui Himeram fluvium ex uno fonte in duos ſcindi alveos; naturamque ſuam ita immutare, ut alter fiat ſalſus, qui in meridiem & Lybicum mare fluit; alter verò dulcis, qui apud Thermitanam urbem in Tuſcum æquor effunditur. Ita Vibius. Mela. Silius *lib XIV*, Antigonus *in Mirandis*. Solinus *cap. XI*. Vitruvius *lib. VIII cap. III*. Verùm non uno eodemque fonte exoriri prædictos duos amneis Himeras, ſed duobus diverſiſſimis longéque inter ſe remotis *lib. I cap. XVI* oſtenſum eſt. Et quidem alter fluvius, qui in auſtrum fluit ſalſus eſt: hic vero, qui in ſeptemtrioneis ſe exonerat, mirum in modum dulcis. *Himeram* urbem in ipſo litore fuiſſe, etiam teſtatur Diodorus *lib. XI*, quo Himeram ab Amilcare obſeſſam ſcribit. ex eodem loco quoq; patet, in ſiniſtrâ amnis ripâ fuiſſe urbem, quum ab occaſu eam caſtris circumdederit Amilcar. A quibus condita fuerit Himera urbs, oſtendunt Thucydides atque Strabo. Hujus verba *lib. VI* hæc ſunt: *Himeram condiderunt Zanclani, qui Mylas incolebant*. Thucydidis hæc ſunt *lib. VI*: *Himera quoque Zancles colonia eſt, ab Euclide, Simo, ac Sacone deducta, in quam plurimi quidem venére Chalcidenſes; ſed habitarunt tamen etiam cum*

ipſis

ipſis Syracuſani exſules, à contrariâ factione ſuperati, quibus nomen Myletidæ. Atque apud hos loquela quidem obtinuit quædam inter Chalcidicam & Doricam media; leges verò Chalcidenſes. Zanclanos Chalcidenſium ex Eubœâ inſulâ fuiſſe colonos, ſuprà *lib. I, cap. VI*, oſtenſum eſt. Cæterùm in eo diſſenſiſſe inter ſe duo iſti auctores videntur, quòd Strabo ab iis Zanclanis Himeram conditam tradit, qui Mylas, XXIV millia paſſuum à Zanclâ poſitum opidum, incolebant, Zanclorum ſcilicet coloni; Thucydides verò non à Mylis, ſed ab ipſa Zanclâ Himeræ conditores deducit: quibus poſteà novos colonos ſuperinducit Myletidas, Syracuſanorum exules. Et Diodorus quidem *lib. XI* Dores in Himerenſium urbe, tum magnâ ex parte deſolatâ, collocatos tradit è Therone, Agrigentinorum tyranno, Olymp. LXXVI; ſed unde eos deduxerit, non addit. Cum Strabone tamen ſentire videtur Marcianus Heracleenſis *in Orbis circuitu*. Unam fuiſſe ex celeberrimis florentiſſimiſq; Siciliæ urbibus, patet ex prædicto Thucydidis *lib. VI*. Tum enim Athenienſium claſſi auſi ſunt reſiſtere. Factum hoc eſſe Olymp. XCI anno II, teſtis eſt Diodorus *lib. XIII*. At illa Amilcaris verſus Himeram expeditio LXV annis antiquior eſt: ut quæ in primum Olympiadis LXXV incidit annum. Itaque etiam Thucydides *lib. VII* inter potentiſſimas Siciliæ civitateis connumerat Himerenſes. *Ab alterâ*, inquit, *inſulæ parte, quæ ad mare Tuſcum pertinet, uni Himerenſes, qui ſoli è Græcis illic habitant, auxilio fuère Syracuſanis*, adverſus Athenienſeis. Idem quoque tradit Diodorus *lib. XIII*. Hinc Cicero, *in Verrina II. Himeram* vocat *opidum* quondam inprimis Siciliæ *clarum* & *ornatum*. Hinc etiam Pindaro

X *Olymp.*

Olymp. od. XII adpellatur *Himera potens*. Cæterùm de fortunâ hujus tradit Diodorus *lib. XI*, Olymp LXXVI Theronem civitatis principem compluréis civeis, quum urbis deditionem Hieroni detuliſſent, occidiſſe; ac in eam per cladem hanc bonâ ex parte deſolatam Doreis & alios collocaſſe. Hinc ita pergit: *Hi per annos LVIII præclarè inter ſe rempublicam adminiſtrarunt, tum verò urbs à Carthaginienſibus ſubacta atque exciſa, ad noſtram uſque tempeſtatem cultoribus vacua permanſit.* Obſidionem everſionemque urbis ab Annibale, Carthaginienſium duce, factam, prolixâ recenſet narratione *lib. XIII*; unde hæc retuliſſe ſufficiet: *Annibal templa deûm exſpoliat: &, abſtractis inde ſupplicibus, qui eò confugerant, incendio populatur. ipſam denique urbem ſolo æquat, per CCXL annos habitatam.* Factum hoc anno IV Olymp. XCII, Diocle ſummum Athenis gerente magiſtratum. Hinc igitur colligitur, conditam fuiſſe urbem Olympiadis XXXII anno IV; annis LXXXVII poſt, quàm primi Græcorum in Siciliam traiecerunt: quos huc trajeciſſe Olymp. XI anno primo ſuprà *lib. I cap. II*, oſtenſum. Idem Himeræ excidium, novæque exinde urbis *Thermarum Himerenſium* ortum memorat Cicero *in Verrinâ II*. Biennio pôſt, quàm everſa fuit Himera, conditam fuiſſe ab iiſdem Carthaginienſibus *Thermarum urbem*, auctor eſt Diodorus *lib. XIII*. Himerenſium quoque, qui excidio urbis ſuæ ſuperſtites erant, eodem fuiſſe collocatos, teſtis eſt luculentiſſimo de Scipionis facto documento Cicero *dicto jam loco*. Sed & ipſe Diodorus poſteà *lib. XIV*, Thermarum incolas adpellat *Himerenſeis*. Quum igitur Himilco, Carthaginienſium dux, amicitiam Hime-

merenſium, ut hic tradit Diodorus, perierit, patet ex eo maximam Thermis incolentium partem non Pœnos nec Afros, ſed priſcos fuiſſe Himeræ cultores. Factum hoc anno XI pôſt, quàm Thermæ conditæ; id eſt, Phormione Athenis ſummum gerente magiſtratum. Cæterùm apud Diodorum *lib. XIII* ubi legitur vox θερμὰ, ſubintelligenda eſt altera vox ὕδατα, ſive λȣτρά. id eſt, *Aqua calida*, ſeu *balnea calida*. At, quia Latinis vox aquæ erat feminini generis; Græcam etiam vocem neutri generis τὰ θέρμα, in femininum converterunt *Therma*. Apud Ptolemæum ſunt θερμαὶ Ἱμεραῖαι, id eſt, *Thermæ Himerenſes*. Apud Stephani epitomatorem inde gentilitium eſt θερμαῖος, *Thermæus*. Sed Latinis auctoribus, Ciceroni *in Verrinis* haud ſemel, & Vibio *in Catalogo fluminum* dicuntur *Thermitani*. θερμαῖοι autem faciebat Latinis *Thermenſes*. Celebrem hanc quoq; fuiſſe urbem ex Ciceronis *Verrinâ II* perſpicitur. His ex ſenatuſconſulto à Romanis conceſſum, *ut cives inter ſe ſuis legibus agerent*. Factam poſteà *Coloniam* Romanorum teſtatur tabula marmorea Poſterioribus etiam temporibus nobilem in primis Siciliæ fuiſſe urbem Thermas Himerenſeis, Tabula teſtatur itineraria, primariæ urbis ſigno eam referens. Cæterùm *Himerenſium aquarum* antiquiſſima memoria ad Herculis uſque fabulas relata fuit ab vetuſtiſſimis ſcriptoribus. *Calidas à nymphis balneas fabulantur apertas fuiſſe; quibus contractam ex itinere laſſitudinem adlevaret* Hercules. *Bina quùm ſint; altera Himerenſes, Egeſtana altera, à ſuis locis dicta ſunt*. Diodorus *lib. IV. Et lib. V* porro tradit, *in gratiam Minervæ nymphas hos calidarum aquarum fonteis ſub Herculis adventum aperuiſſe; urbem* *Himerenſes aquæ.*

quoque cum agro, qui adhuc Athenai nomine celebris, incolas conſecraſſe. Ipſa ſcilicet Ἱμέρα Minervæ ab incolis fuit conſecrata, agrum circumjacentem intellexit Diodorus τὸ Ἀθηναῖον. dictum fuiſſe incolis, id eſt, *Athaneum*; ſive, ſi Latinè vertas, *Minervale*. Pindarus *Olymp. odâ XII* earundem à nymphis apertarum aquarum meminit.

CAP. IV.

Cephaloedis ſive Cephaloedium opidum. Monalus amnis. Haleſa ſive Alæſa urbs. Haleſus ſive Alæſus fluvius. Fons Alaſini agri mirandus: Ipyrrha fons. Opida Calacta & Aluntium. Chyda flumen.

I.

Cephalœdis opidũ. POſt Thermas Himerenſeis proximè nominatur opidum Κεφαλοιδὶς, CEPHALOEDIS, ſive Κεφαλοίδιον, *Cephalœdium*, vulgò nunc etiam *Cifalu* incolis dictum. Memoratur Ptolemæo; Plinio *lib. III cap. VIII*; Straboni *lib. VI*, & Tabulis. De veteris opidi ſitu ita tradit Fazellus *Decad. I, lib. IX, cap. III: Cephalœdis urbs vetuſta nomen à κεφαλὴ, quod caput eſt Latinis, nacta eſt, vel ob id, quod ad verticem præruptæ rupis, ac promontorii ſpeciē habentis, condita fuit: ubi adhuc arx eſt naturâ munitiſſima; & urbs ipſa jacens ambitus mille fermè paſſuum: ubi quoque & templi ingentis diruti, Doricâ formâ olim conditi, clara viſuntur monumenta.* Et mox: *Sed quum demum exile ſanè eſſet opidulum, ruiniſque adfectum, & adſcenſu perdifficile; à Rogerio rege ad angulum rupis tranſlatum eſt.* Silio Italico *lib. XIV* litus ad hoc opidum Græcâ formatione dicitur Κεφαλοιδιὰς, *Cephalœdias ora.* Quæ ita interpretatur Fazellus prædicto loco: *Campi Cepha-*

Cephalæditani marinis fluctibus ſuperfunduntur; quorum agros cete piſces paſcunt. delphini namque etiam hâc ætate, tempeſtatibus & fluctibus ejecti marinis, ſæpenumero ad litus in ſalo relinquuntur. Cephaloeditana quoque ora thynnorum capturâ eſt celebris: Cetaria igitur heic innuere videtur poëta, qualia ſuprà cap. II ad Cetaria opidum deſcripta. Cæterùm vetuſtiſſima hujus opidi mentio exſtat apud Diodorum *lib. XIII*, ubi *Himilco* dicitur *cum Himerenſibus & Cephaloedium habitantibus caſtellum amicitiam iniiſſe.* Factum hoc Phormione Athenis ſummum magiſtratum gerente, anno primo Olymp. XCVI. Alicujus fuiſſe momenti opidum patet ex eiuſdem Diodori hiſtoriis eodem libro: ubi leguntur *Meſſanenſes Cephaloedium per proditionem cepiſſe.* lib. XX *Agathocles id expugnaſſe.* Ex lib. XXIII *Ecloga: Romani quoq; illud proditione occupaſſe.* Cicero etiam *in Verrinâ III* inter haud obſcuras civitatateis Cephalœditanam connumerat.

II. Hinc porrò ſequitur ὁ Μόναλος ποταμός, MONALUS *amnis*, uni Ptolemæo memoratus. In tabulâ medio fermè itinere eum ponit inter Cephalœdim & Alæſam opida. ex quo ſitu is deprehenditur eſſe fluvius, qui vulgò nunc accolis vocatur *Pollina.* *Monalus amnis.*

III. Vocabulum ejus urbis variè apud auctoreis ſcriptum reperitur. nam Phalaridi, Ptolemæo ac Straboni *lib. VI* eſt Ἄλαισα, ALÆSA; Diodoro autem *lib. XIV* Ἄλεσα, & ita Antonino, *Aleſa*; Ciceroni & Tabulæ itinerariæ *Haleſa.* unde etiam opidani ſunt eidem Ciceroni ac Plinio *Haleſini.* Et inſcriptioni antiquæ ſæpius repetitur ὁ Ἄλαισος ποταμός, *Alæſus* fluvius: qui apud Columellam *de Re ruſt. lib. X* legitur *Haleſus.* Prima germanaque ſcriptura fuit Ἄλαισα· ut tres prædicti *Haleſa ſive Alæſa urbs.* *Haleſus ſive Alæſus fluvius.*

habent auctores, & locupletiſſimus omnium teſtis, lapis marmoreus. unde opidani rectè dicuntur Ἀλαισῖνοι, *Alaſini*; qui apud Diodorum ſunt Ἀλεσῖνοι, *Aleſini*: ſed *in Excerptis legationum ex lib. XXIII* rectiùs Ἀλαισῖνοι. Oram hanc ita deſcribit Fazellus *Decad. I, lib. IX, cap.* IV. *Monalo fluvio ad mille paſſus, & poſt Cephaloedim ad XIIX paſſuum millia, Tuſa arx recens ſuccedit. cui intus in colle imminenti, ad paſſuum millia III, ejuſdem nominis opidum incubat. Sed ad oram poſt arcem Tuſam ad jactum fundæ, torrens ejuſdem adpellationis ſequitur. quo trajecto ad paſſus Iͻ in litore mirâ diruti cujuſdam ædificii veſtigia occurrunt; quæ ab accolis Balnea vocantur. ibique uſque ad collis prominentis verticem, ubi arx proſtrata cernitur, continuatæ per paſſus ſupra mille jacentis urbis exſtant monumenta; adiumque permagnæ ruinæ, ac diſjecta ingentium lapidum moles, & marmora quædam Cæſaris Auguſti titulo, pleraque Græcis characteribus inſcripta, paſſim reperiuntur. In urbis medio ædes ſacra, divæ Mariæ cognomento à Palatiis dicata, & monaſterium ordinis S. Benedicti illi conjunctum exſtat. Supra urbem ad paſſuum millia III, meridiem verſus, in collibus fons eſt ingens, Aqua civitatis adhuc vulgò adpellata. unde aquæ ductibus cæmentitiis miris, (quorum quidam integri, plerique diſjecti, ſed & multi obruti) & fiſtulis lateritiis aquæ ad arcem ipſam primùm, deinde ad urbem ſubjacentem & illius regionem, ac demum ad ipſas balneas in litore deducebantur. eratque ea urbs ambitus, ut adparet, duorum, & eo amplius paſſuum millium.* Et mox: *Tabula quædam marmorea vetuſtiſsima inter cadavera hujus urbis reperta, in qua ſæpe de fluvio Aleſo fit mentio.* Et paullo poſt: *Poſt hanc urbem proſtratam, ad jactum lapidis, oſtium fluvii Pettinéi ſequitur; qui Aleſus in tabulâ marmo-*

moreâ vocatur. à quo, ſi hac urbs Aleſa eſt, non en, veluti & plureis alias, à proximis fluviis, adeptam fuiſſe, arbitrandum eſt. Hæc quidem Fazellus: at ut ex ſequentibus adparet, credidit ille potiùs Caroniam eſſe Aleſam, quàm rudera illa apud Pettinéum amnem. Ex intervallo tamen XVIII millium, quæ ſunt, ut Tabulæ referunt, inter Cephalœdium & dicta antiquæ urbis apud Tuſam rudera, ſimulque ex tabulâ illâ marmoreâ, *Alaſi* nomen ferente, quæ heic reperta eſt, planè, has ipſas eſſe veteris *Alaſa* urbis reliquias judicandum eſt. Cæterùm hanc urbem conditam ab Archonide, Herbitenſium præfecto anno ſecundo Olymp. XCIV, Athenis Euclide ſummum gerente magiſtratum, refert Diodorus *lib. XIV.* In *colle, à mari VIII ſtadia*, id eſt mille paſſus diſſito, exſtructam primò fuiſſe ab Archonide urbem ait; poſteà verò ſucceſſu temporis plurimùm incrementi accepiſſe. huc jam confer illa Fazelli verba: *In litore mira diruti cujuſdam ædificii veſtigia occurrunt*; quæ ab *accolis Balnea vocantur. Ibique uſque ad collis prominentis verticem, ubi arx proſtrata cernitur, continuata per paſſus ſuprà mille jacentis urbis exſtant monumenta* Hic ſcilicet ille collis eſt, in quo prima urbis Aleſæ jecit fundamenta Archonides. In prædictâ autem tabulâ marmoreâ memoratur etiam *Balnei defluvium*: & item *Apollinis templum*. *Portum* etiam habuiſſe olim in litore conſtructum, Cicero eſt teſtis in Verrinâ III Magnam ſatis ac celebrem fuiſſe urbem cùm Diodorus, tùm ipſa ejus rudera hoc noſtro ævo à dicto colle ad mare uſque per mille ampliùs paſſus ſparſa, diſertè teſtantur. Huc accedit & Ciceronis auctoritas, qui eam inter haud poſtremas inſulæ urbeis connume-

numerat; *in Verrina II:* & *Actione IV.* Sed omnium diſertiſſimè *Actione III: Siciliæ civitates multæ ſunt ornatæ atque honeſtæ: ex quibus in primis numeranda eſt civitas Haleſina. nullam enim reperietis aut officiis fideliorem, aut copiis locupletiorem, aut auctoritate graviorem.* Hinc etiam *Famil. lib. XIII epiſt. XXXII, Haleſinam civitatem adpellat lautam ac nobilem.* Diodorus loco jam dicto ait Romanos Alæſinis dediſſe *immunitatem.* Idem teſtatur Cicero *in Verrinâ III.*

Fons Alæſini agri mirandus.

IV. Apud Solinum *cap. XI in deſcriptione Siciliæ* ita ſcriptum eſt: *Jn Haleſina regione fons, alias quietus & tranquillus, quum ſiletur: ſi inſonent tibiæ, exſultabundus ad cantus elevatur; &, quaſi miretur dulcedinem vocis, ultra margines intumeſcit.* Idem tradit Dionyſii, Orbis terrarum deſcriptoris interpres. Haud dubiè hæc natura fontis jam deſiit; quando talis nullibi reperitur. In dictæ tabulæ marmoreæ inſcriptione Ἴπυῤῥα κρᾶνα ter quaterve memoratur, id eſt, *Jpyrrha fons.* Is ne ille fuerit Solino ac Dionyſii interpreti celebratus, planè incertum eſt.

Calacta opidum.

V. Ultra Alæſam fuit *opidum*, quod à loco, in quo ſitum, Græcis dicebatur Καλὴ ἀκτὴ, & contractè Καλακτὴ, CALACTE, id eſt, *Pulcrum litus.* Romanis uſurpatum fuit *Calacta*; ita quoque Ptolemæus Romanum in modum formavit Καλάκτα. Memoratur multis auctoribus: ac Athenæo *lib. VI. Cæcilius rhetor*, ὁ ἀπὸ Καλῆς ἀκτῆς, id eſt, *à Calactâ*, ſive à *Pulcro litore.* Inde opidani dicebantur Καλακτῖνοι, *Calactini*, teſtibus Cicerone *in Verrinâ III*, Diodoro *lib. XII*, & Priſciano *lib. II.* Fazellus *Decad. I, lib. IX cap. IV* ita ſcribit: *poſt amnem Seravallis, Caronia fluvii oſtium ſequitur, & no-*

& nominis ejuſdem recens opidulum. Et mox: *Vbi fragmenta ac veteres ruinæ, pro maximâ parte obrutæ, ad ædem Annunciatæ circa Caroniæ litora iacent; atque in ſubjectis agris & vineis, ad paſſuum ferè duo millia, obicumque effoditur, paſſim occurrunt.* Licèt Fazellus Aleſam huc collocet: hæ ruinæ tamen ſunt *Calactæ*; quam Tabula xxx millibus paſſuum à Cephalœdio ponit. Et ipſa Caronienſis litoris excellens amœnitas ac pulcritudo *Calacten* hoc ſitu fuiſſe apertè clamat. Antiquiſſima hujus loci mentio eſt apud Herodotum *lib. VI.* Calacten XL circiter annis pòſt condi cœptam eſſe à Ducetio Siculorum principe, Olympiadis LXXXII, anno III, Callimacho ſummum Athenis magiſtratum obtinente, auctor eſt Diodorus Siculus *lib. XII*, At ſexto demum anno poſt abſolutam fuiſſe Calacten, idem teſtatur Diodorus, eodem libro poſteà. Quando & à quibus mortalibus urbs deſtructa fuerit, incertum eſt.

VI. Poſt Calactam proximum ſequebatur opidum Ἀλούντιον ALUNTIUM. Opidani inde dicuntur Ciceroni *Haluntini*, ſive, ut alia habent exemplaria, *Aluntini.* qui Græcis fuêre Ἀλουντῖνοι, & Ἀλοντῖνοι. ὁ Χύδας ποταμὸς, CHYDA flumen, id eſt, quod vulgari nunc vocabulo vocatur *Furiano. Hinc Aquæ cognomento dulces, ad radiceis montium, non longè à mari, ſtatim ſequuntur. Ad eorum radiceis, in colle edito ex mari prominenti, nonnihil infrà S. Philadelphi opidum, Aluntium vetuſta jacet urbs; cujus adhuc mira & ingentia ex lapidibus quadratis, & pro majori parte disjecta, cernuntur monumenta. Lapidem marmoreum vetuſtiſſimum ac magnum offendi, Græcis inſcriptum literis; per urbem quoque ipſam magna ingenteſque vetuſtorum operum ruina jacent. Huic ad paſſus fermè IↃ ſuperius*

Aluntiũ opidum.

Chyda flumen.

perius prominet S. Philadelphi novi nominis opidum. Ita Fazellus *Decad. I, lib. IX, cap. IV,* Aluntii ſitum oſtendit. Non in ipsâ maris orâ, ſed paullo remotum fuiſſe, in edito colle docet etiam Cicero *in Verrinâ IV.* Opidum hoc à *Patronis* ſociis conditum tradit Dionyſius Halicarnaſſenſis *lib. I.*

CAP. V.

Agathyrna ſive Agathyrnum opidum. Soluſapra locus. Timethus fluvius. Tyndaris ſive Tyndarium opidum & promontorium. Helicon fluvius. Myla opidum. Fons agri Mylenſis mirandus. Longanus amnis. Thorax mons. Phalacrium promontorium. Fanum Dianæ Facelinæ, & Naulochus, opida. Melas fluvius; qui & Facelinus. Stabula boum Solis.

I.

Agathyrna, ſive Agathyrnum opidum.

ALuntium opidum ſequebatur opidum Ἀγάθυρνον, AGATHYRNUM; ſive feminino genere, Ἀγάθυρνα, *Agathyrna*, multis auctoribus memoratum. Apud Stephani epitomatorem gentilitium eſt Ἀγαθυρναῖος, *Agathyrnæus*. Romano igitur ore opidanos rectè formaveris *Agathyrnenſeis*. Strabo *lib. VI* inter Agathyrnum & Tyndaridem xxx recenſet millia paſſuum. Tyndaridis locus hodiè vulgò incolis vocatur *Santa Maria di Tindáro*. Ab hoc loco ſi Cephalœdim verſus contendas, xxVIII numerabis ſive xxx circiter millia ad opidum uſque cui vulgaris eſt adpellatio *S. Marco*. circa quod opidum ex unanimo Strabonis, Antonini ac Tabulæ conſenſu fuit antiqua illa urbs *Agathyrna*. Ad eum locum nonnulla hodiè antiquitatis veſtigia ſpectantur. item aquæ ductus lateritii

ruinæ.

ruinæ. Fazellus quidem Agathyrnum ad latus promontorii, quod hodie adpellatur *Orlandi caput*, fuiſſe putat. Exſtitiſſe heic aliquod opidum haud equidem, exſtantibus Fazellæ ætate veſtigiis, negari poteſt, at id quodnam fuerit, dici non poteſt. quum plura fuerint totâ inſulâ opida, quàm quorum vocabula veteres auctores literarum monumentis tradiderunt: Fortè fuerit *Melacte* opidum, quod memorat Silius *lib. XIV*. Cæterùm tanta fuit Agathyrni vetuſtas, uti ad Trojana tempora primordium ejus priſci retulerint mortales. Diodorus enim *lib. IV* tradit, *Agathyrnum, Aeoli iſtius, ad quem Ulyſſem in oberratione ſuâ veniſſe fabulantur, filium, hoc ſui nominis opidum condidiſſe*. Meminêre ejus poſteà Polybius *lib. IX* & Livius *lib. XXVI*. Silius autem *lib. XIV* inter præcipua inſulæ opida *Agathyrnam* connumerat.

Orlandi promontorium.

Malacte opidum.

II. SOLUSAPRA locus in Antonini itinerario memoratus colligitur fuiſſe ad Furiam oſtium lævâ ripâ. Ipſe amnis Furianus an hoc nomine olim fuerit adpellatus, Ptolemæuſque in recenſendo ſuo Chydâ flumine ab vero nativoque aberraverit, nullo certo documento adfirmari poteſt.

Soluſapra locus.

III, Inter Agathyrnum & Tyndarium Τίμηθος ποταμὸς, id eſt, TIMETHUS fluvius Ptolemæo memoratus, videtur is eſſe, qui vulgò nunc dicitur *Fiume di Naſo*.

Timethus fluvius.

IV. Hinc ſequitur ipſa urbs Τυνδαρίς, TYNDARIS; eadem & Τυνδάριον, *Tyndarium* dicta. unde etiam, nunc divæ Mariæ ædes, in ruinis Tyndarii exſtructa, vulgò incolis vocatur *Santa Maria di Tindáro*. Memoratur urbs antiqua auctoribus quamplurimis. Opi-

Tyndarii opidum.

dani inde ſunt in antiquo nummo Τυνδαρεῖς· id eſt, Latino ore ſi formes, *Tyndarienſes*, at Ciceroni *in Verrinis* quàm frequentiſſimè repetuntur Tyndaritani. quod eſt à Græco Τυνδαρῖται, quod referunt *Excerpta legat. ex* Diodori *lib. XXII.* Dionyſius tyrannus Meſſeniis locum attribuit; in quo urbem hanc Tyndaridem condiderunt. Diodorus *lib. XIV.* Cicero ſuâ ætate *nobiliſſimam* eam adpellavit *civitatem*; *in Verrinâ III.* Atque ita ſemper inter primarias eandem connumerat; Actione II, III & IV. Sed & *ſocios* atque *amicos populi Romani* eos vocat *eâdem actione* poſteà; & ſub finem *actionis* V. Fuit *Colonia* Romanorum, ſi Plinio credimus *lib. III cap. VIII.* Deducta haud dubiè auſpiciis Auguſti Cæſaris, poſtquàm Sext. Pompeium in hâc inſulâ devicit. *Locum victualium copiâ refertum, & opportunum bello maritimo. quo & Cæſar deportabat pedites ſimul & equites.* Ita Appianus *Civil. bell. lib. V.* Sed dimidio majorem ante ea tempora fuiſſe urbem abruptamque vi maris, teſtis eſt Plinius *lib. II cap. XCII.* Hujus diruptionis vorago ingens atque horrenda etiam nunc ad Tyndaridem cernitur. Quando facta ſit, incertum eſt. Zonaræ tamen in rebus geſtis belli Punici primi, Τυνδαρὶς ἄκρα, *Tyndaris* ſive *Tyndarium* memoratur *promontorium*; ſub quo Carthaginienſium naves fuerunt in inſidiis, bellum contra iſtos gerentibus COSS. Rom. Atilio Calatino & Caio Sulpitio, ab urbe Româ anno CCCCXCV. An etiam tunc integra fuerit urbs, haud facilè dictu eſt. ſiquidem etiam poſt prædictam rupturam formam promontorii, licèt admodum exigui, ad hæc uſque tempora retinuit. Cæterò ab urbe nomen commune accepit promontorium. Ipſi urbi id indiderunt pri-

Tyndariũ promontorium.

mi

mi conditores Meſſenii à Tyndareo Laconum rege; quum ipſa Meſſenia pars quondam fuiſſet *Laconia*, teſte Strabone *lib. VIII.* Tyndarei & Ledæ filii fuêre Caſtor & Pollux: à quibus Tyndaritani originem ducere ſeſe gloriati videntur.

V. Ὁ Ἑλίκων ποταμὸς, HELICON *fluvius*, haud dubiè is eſt, qui, omnium hoc litoris tractu maximus, vulgari nunc vocabulo accolis dicitur *Olivéro fiume.* *Helicon fluvius.*

VI. Αἱ Μύλαι πόλις, MYLÆ *opidum* memoratum auctoribus quamplurimis, vocatur vulgò nunc incolis *Milazzo*, cervicem ſive iſthmum occupans peninſulæ, quæ vulgò nunc ab opido cognominatur *Capo di Milazzo.* A Mylis ad Liparam inſulam eſt trajectus dimidii diei. Scylax. Utrum verò opidum à peninſulâ, an hæc ab illo nomen primo acceperit, incertum eſt. nam idem vocabulum peninſulæ fuiſſe, teſtatur Apollonii Scholiaſtes *in Argonaut. lib. IV.* Stephani epitomatori opidanus dicitur Μυλαΐτης, *Mylaïtes.* At Latinâ formatione fortè rectiùs dixeris *Mylatanus*: ut à Græcorum Λιλυβαΐτης, *Lilybatanus.* Polybius verò *lib. I* nominat Μυλαῖον πεδίον, id eſt, *Mylæum campum.* ſecundum quam formam opidani etiam erunt Μυλαῖοι, ut Diodoro dicuntur *lib. XII. Sunt* & *Theſſaliæ Mylæ: à quo opido gentilitium eſt Mylæus*: ita Stephani epitomator. Ab hoc igitur vocabulo rectè Latino ore ſamabuntur *Mylenſes.* A Zanclæis conditas fuiſſe Siculas Mylas auctores ſunt Marcianus Heracleenſis *in Orbis circuitu*; & Strabo *lib. VI.* Quo anno conditum fuerit opidum Mylæ, nuſquam adnotatum reperitur Strabo atque Marcianus à Naxiis Sicilienſibus Zanclam conditam tradunt longo tempore ante, quàm Meſſenii eam occu- *Mylæ opidum & peninſula*

parunt; fortè id accidit circa Olympiadem XXIX. Naxii paullo pôſt quam Zanclem occuparunt peninſulam Mylas ſuæ ditioni adjecerunt; atque *caſtellum* ejuſdem nominis in ejus cervice ſeu iſthmo communiverunt. Poſteà etiam, quum Meſſenii Zanclem abs ſe occupatam de priſtinæ patriæ nomine Meſſanam adpellaſſent, ſub ejuſdem urbis ditione manſerunt Mylæ. Thucydides *lib. III* tradit Mylas ab Athenienſibus captas fuiſſe. quod factum anno ſecundo Olymp. LXXXVIII, Athenis ſummum magiſtratum gerente Euclide. Diodorus *lib. XII.* In Rheginorum deinceps per aliquod tempus fuiſſe poteſtate, ex ejuſdem Diodori *lib. XIV* colligitur. Sed Meſſanenſes opidum illud receperunt, ac ſub ſua retinuerunt ditione. Cæterò *Portum* fuiſſe ad Mylas è Scylace cognoſcitur, & Silii *lib. XIV.* Portus is ſeu ſtatio navium ad dextrum ſive orientale peninſulæ eſt latus. Arx poſteà belli ac præcipua ſedes fuere Sex. Pompeio Mylæ adverſus Auguſtum. quo tempore etiam maximè nobilitatæ ſunt clade navali, quam Pompejus ab Auguſto ad portum ejus opidi accepit. Appianus *Bell. civil. lib. V*; Dio *lib. XLIX*; Velleius Paterculus *lib. II*, & Suetonius *in Auguſto.*

Portus Mylenſis.

Fons agri Mylenſis mirandus

VII. Fons memoratur mirandæ condicionis in Mylenſi agro, Plinio *lib. XXXI, cap. IV: In Siciliâ*, inquit, *circa Meſſanam & Mylas hieme in totum inareſcunt fontes: æſtate exundant, amnemque faciunt.* De hoc ita Fazellus, *Decad. I, lib. IX, cap. VIII: Id & nos uſu venire didicimus. juxta lacum enim quem Pantanum adpellant, à Mylis paſſuum millia duo Meſſanam verſus recedentem, puteus eſt adi divæ Mariæ à Planâ & Buſcbetto, adpellatæ propinquus, qui per hiemem totus exſiccatur; per æſtatem verò aquis abundat.*

VIII. In

VIII. In eodem Mylenſi agro ὁ Λόγγανος ποταμός, LONGANUS *amnis* memoratur Polybio *lib. I*, & Diodoro ut referunt *Ecloga legat. ex lib. XXII*; ubi tradunt Mamertinos ab Hierone Syracuſanorum tyranno ad *Longanum* flumen cæſos. Eſt autem ille in Mylenſi campo fluvius, qui à ſiniſtro ſive occidentali Mylarum latere vulgari nunc adpellatione accolis dicitur *Fiume di Caſtro reale*. Cæterùm quum prædicto Mylenſi campo continui immineant montes; incertum eſt, quinam eorum ſit Θώραξ λόφος, *Thorax mons* Diodoro in hâc memoratus. Ex eâ tamen patet fuiſſe iſtum à dextrâ amnis ripâ. Diodorus verò altiſſimum quemque montem, ut Aetnam, Erycem, & alios, non modò colleis humilioreis, adpellat λόφους.

Longanus amnis.

IX. Τὸ Φαλάκριον ἄκρον, PHALACRIUM *promontorium*, quod Ptolemæus inter Mylas & Pelorum promontorium recenſet, nullum aliud eſſe poteſt, quam quod, XI circiter millia à Peloro diſtans, vulgari nunc incolis vocabulo dicitur *Capo di Raſiculmo*.

Thorax mons.

Phalacrium promontoriũ.

X. Inter Phalacrium promontorium & Mylas duo recenſentur antiquis auctoribus loci: quorum alter τὸ Ἀρτεμίσιον, id eſt, DIANÆ FANUM dicebatur; alter ὁ Ναύλοχος, NAVLOCHUS; ſive, plurali numero, οἱ Ναύλοχοι, *Naulochi*: & neutro genere, τὸ Ναύλοχον, *Naulochum*; ſive plurali numero, τὰ Ναύλοχα, *Naulocha*. Sed de *Fano Dianæ Facelinæ* priùs dicendum. Vocabulum hoc priſcos Latinos non ſcripſiſſe cum *ſ*; quod poſtmodum grammatici μυθολόγοι, Hyginus *cap. CCLXI*, Servius & Pomponius Sabinus *in Aeneid. lib. II*, fabulam de Oreſte atque Iphigeniâ explicantes, ex Latinâ voce *faſces* inſeruerunt; cùm Lucilii, antiquiſ-

Fanum Dianæ Phaceline, & Naulochi opida.

quiſſimi poëtæ verſus hic, quem dicto loco adſcripſit Sabinus (*Facelina templa Dianæ*) teſtatur, tum ipſa origo vocabuli: quod non à Latinâ voce *faſces*, ſed à Græcâ Φάκελος derivatum eſt. quæ vox eodem modo ut φορτίον, pro *faſce* ſeu *faſciculo lignorum* ſive *ſarmentorum* Græcis auctoribus uſurpata eſt: at ab initio ipſam etiam *facem*, quæ & nomen inde habuit, ex aridis ſive ſarmentis, ſive arundinibus, ſive tædis compoſitam ſignificavit. unde etiam nunc idem vocabulum in noſtrâ linguâ uſurpatur Germanicâ formatione eine Fackel. quod nil niſi *facem* ex quâvis materiâ confectam denotat. Varro, *de Vita pop. Rom. lib. II.* Cicero, *de Naturâ deorum lib. II.* At *Luna*, ſive *Diana*, quia noctu lucet, cum *face* picta fuit priſcis mortalibus; quæ Græcis dicebatur φάκελος. unde ipſa poſtmodùm Diana cognominata Φακελινὴ, *Facelina*; & aliâ vocabuli formatione, Φακελῖτις, *Facelitis*. Hinc etiam apud Vibium eſt *Facelinus* amnis, qui nullus alius eſſe deprehenditur, quàm qui accolis hodiè vulgari vocabulo dicitur *Nucito*. apud quem illud fuit *Templum* ſeu *fanum Dianæ Facelinæ*. Cognomen id eſſe, ſeu potius epitheton duntaxat amnis, ab ipſo deæ cognomine tractum, quivis facilè animadvertit. At verum germanumque amnis nomen Ovidio *in Faſtor. lib. IV* refertur ὁ Μέλας, MELAS, ſive, Romano ore ſi formare velis, *Mela*. Ad hoc templum Dianæ Auguſtus Sex. Pompeium ſuperavit. Suetonius *in Auguſto*. Dio *lib. XLIX*. Zonaras *Hiſt. tom. II.* Appianus *Bell. civil. lib. V*; qui Dianæ Fanum *perexiguum adpellat opidulum, ubi Solis boves fuiſſe, & Vlyſſis ſomnum factum tradant.* At Silius *lib. XIV* cum Agathyrno, haud incelebri opido id comparare videtur. Sed Strabo omnia

Melas fluvius; qui & Facelinus.

omnia hujus litoris opida πολίχνια, id eſt, *opidula* vocavit. Jam vero alterum illud opidum Naulochus, ſive *Naulochum*, ſeu plurali numero *Naulochi* & *Naulocha*, quæ vocabula nil niſi ναύσταθμον, id eſt, *Navium ſtationem* ſignificant, haud dubiè circa os fuit amniculi, cujus vulgare nunc apud incolas nomen eſt *Malpurtio fiume*. hæc quidpe una eſt haud longè ultra Melam fluvium navium ſtatio. *Naulochi opidum.*

XI. Cæterùm Mylenſis agri fertilitatem adnotavit Theophraſtus *Hiſtor. plant. lib. VIII cap. III* hoc modo: *In Sicilia quoque apud Mylas, Meſſanenſis agri opidum, celerem quamdam fieri ajunt ſerotinorum conſummationem: regionemque vehementer eſſe fertilem; adeo, uti XXX reddere choas valeat: paſcua item omnem habere miranda.* Hinc illa fabula de Solis bobus, in hoc litore paſcentibus, conficta eſt. Ovid. *Faſtor. lib. IV.* Apollonii Scholiaſtes *in Argonaut lib. IV.* Plinius *lib. II, cap. XCVIII.* Seneca *Natural. quæſt. lib. III cap. XXVI* tradit, *mare circa Meſſanam & Mylas immundum quiddam fimo ſimile in litus maris proferre, fervereque & æſtuare, non ſine odore fœdo.* Idem etiam nunc certis temporibus fieri, incolæ adfirmant. Porrò Appianus quoque *Civil. bell. lib. V* & *Solis boves* & *ſomnum Vlyſſis* memorat. At Homerus, qui hujus fabulæ auctor creditur, non ad hoc Siciliæ litus; ſed ad orientale ejus latus extra fretum adpuliſſe Ulyſſem narrat. à Circæo quidpe, Italiæ promontorio, Circes domicilio, & à Sirenum ſcopulis per fretum præter Scyllam & Charybdin ad Solis boveis eum navigaſſe fingit; inde verò poſt ſomnum & comeſtos à ſociis boves ſolventem tempeſtate ad Charybdim fuiſſe rejectum; atque hinc ad *Stabula. Solis boum.*

Ogygiam Calypſûs inſulam; ac tandem ad Scheriam ſive Phæaciam, quæ poſteà Corcyra dicta fuit. *Odyſſ. lib. XII.* Sic & Apollonius *in Argonaut lib. IV* ad imitationem haud dubiè Homeri, poſtquam Argonautas ſuos à Circe atque Sirenibus per fretum traduxit, tandem præternaviganteis facit *Thrinacriæ pratum, in quo paſcebantur boves Solis.* Atque hinc tandem in Jonium ſinum ad eamdem deducit eos Corcyram inſulam. Minùs recte igitur Scholiaſtæ illi Homeri paſcua atque ſtabula Solis boum poſuerunt in Mylenſi agro. Atque hactenus totius Siculi litoris antiquitas expoſita eſt. Nunc interiora ejus dicenda erunt,

CAP. VI.

Bidius caſtellum. Tiſſa & Centuripæ opida. Cyamoſorus amnis. Agyrium opidum.

I.

Bidius caſtellum. Litore hactenus totius Siciliæ expoſito, interiora ejus poſthinc dicentur. Initium faciemus à Peloro promontorio, verſus Pachynum & auſtrinum inſulæ latus progreſſuri. In Tauromenitano igitur agro uni Stephano memoratur Βίδιος φρούριον, BIDIUS *caſtellum.* Apud quem gentilitium inde eſt Βιδῖνος, *Bidinus.* Quo ſitu fuerit, incertum eſt. Ad Maſcalim in ſeptemtrionalibus Aetnæ radicibus ſitum opidum veteris urbis jacentis plura cerni veſtigia ac monumenta teſtatur Fazellus *Decad. I, lib. III cap. I.* Antiquum illud eſſe caſtellum Bidium credi poſſet, ni propius Catanam quam Tauromenium locus is accederet. Fieri tamen potuit, uti ad ipſas Aetnæ radiceis Tauromenitanorum fines extenſi fuerint.

II. Ad

Tiſſa opidum.

II. Ad eumdem Aetnam montem locatur Ptolemæo Τίσσα πόλις, TISSA *opidum*, quod Stephani epitomatori eſt plurali numero Τίσσαι, *Tiſſæ*. Silio verò *lib. XIV* aliâ Græcâ formatione Τίσση, *Tiſſe*. à quo Latinorum *Tiſſa* eſt. Gentilitium Stephano eſt Τισσαῖος, *Tiſſaus*. At Ciceroni *in Verrinâ III* ſunt *Tiſſenſes*: Plinio verò *lib. III cap. VIII*, *Tiſsinenſes*. In dicto Ciceronis loco adpellatur *perparva & tenuis civitas*. Stephano vocatur *opidulum*. Eodem ſitu fuiſſe, quò nunc ad radiceis Aetnæ montis, apud Aſinem ſive Cantaram amnem conſpicitur opidum vulgari vocabulo *Randazzo*, placet Dominico Mario Nigro, *in deſcriptione Siciliæ*.

Centuripæ opidū.

III. Ad ejuſdem Aetnæ radiceis, ad occaſum verſus hibernum opidum eſt vulgari nunc vocabulo *Centorve*, & *Centorbe* incolis dictum. Urbs ea olim fuit celebris, CENTURIPÆ Pomponio Sabino ad Aeneid, *lib. IX*, & ita Ptolemæo αἱ Κεντούριπαι, reliquis Græcis auctoribus per ο neutro genere τὰ Κεντόριπα *Centuripa*. Opidani inde ſunt *Centuripini* Ciceroni *in Verrinis* ſæpius, & Plinio *lib. III cap. VIII* eodemq; modo Diodoro *lib. XIII, XIV, XIX & XXII*, Κεντοριπῖνοι. *Situm fuit* opidum hoc, teſte Strabone *lib. VI. ſupra Catanam, montibus Aetneis conterminum & Symatho amni*. Ita Polybius *lib. I: Hiero apud Centuripa in conſpectu hoſtium caſtra poſuit: atque aciem ad Cyamoſorum amnem inſtruxit*. CYAMOSORUS hic *amnis* procul dubio is eſt, qui ſupra Maniacen cœnobium exorſus, Centuripas opidum præterfluit, ac mox in ſiniſtram Symæthi, qui vulgò nunc dicitur *La Jaretta*, ripam effunditur; variis vocabulis ſeu cognomentis, prout opida præterfluit.

Cyamoſorus amnis

Antiquiſſima Centuripinorum memoria eſt apud Thucydidem *lib. VI*, quo *Athenienſes adverſus Centuripa* ſcribuntur *profecti*. Factum hoc anno tertio Olympiadis XCI, Piſandro Athenis ſummum gerente magiſtratum. Diodorus *lib. XIII.* Hinc idem Diodorus eodem libro ejus meminit in rebus geſtis anni tertii Olympiadis XCIII; quum Athenis ſummum magiſtratum obtineret Callias. ubi *de Gellia* opolentiſſimo Agrigentinorum cive agit; qui formâ exili & deſpectâ ad Centuripinos legati munere fungens, quum in concionem populi progreſſus omnium riſu exciperetur, quod formam celebritati nominis minimè parem viderent, reſpondiſſe ſcribitur: *Hocne tantopere mirarentur, ſiquidem Agrigentini pro more obſervent, uti formâ praſtantiſſimos ad inclyti nominis civitates mittant; ad humileis verò, nec magnifaciendas, ſui ſimiles.* Non equidem conferenda erat cum Syracuſis, Agrigento, Selinûnte, Catanâ, & hujuſmodi civitatibus. ſatis tamen celebrem atque opulentam inter mediterraneas fuiſſe urbem, inde patet, quod ſuum habuerit δυνάστην *principem* ſive *regulum* circa eadem tempora; teſte Diodoro *lib. XIV*, quo *Damon Centuripinorum princeps* memoratur, cum quo Dionyſius fœdus percuſſerit. Factum hoc X annis poſt illam Gelliæ legationem; Phormione ſummum Athenis gerente magiſtratum. Poſterioribus etiam temporibus opulentiam ejus civitatis prædicavit Cicero *in Verrinâ II, III, IV, & V.* quo loco in amicitiâ & ſocietate Romanâ civitas hæc fuiſſe ſcribitur. Strabo *lib. VI* tradit, *Auguſtum Cæſarem Centuripa inſtauraſſe. quæ urbs ei ad Pompeium debellandum multum tulerat adjumenti.* Fertilitatem agri Centuripini, ejuſdemque

que crocum ac ſalem prædicant Solinus *cap. XI*, & Plinius *lib. XXI cap. VI*; *& lib. XXXI cap. VII*.

IV. Porrò à Centuripis verſus occidentem hibernum opidum, in ſublimi admodum atque acuto colle ſitum, vulgò nunc vocatur incolis *S. Filippo d' Agirone*, & nonnumquam, variato paullum vocabulo, *d' Argirone*. Id priſcis mortalibus dictum fuit Ἀγύριον, AGYRIUM; ſive ut Romani interdum ſcripſêre *Agurium* quod Ptolemæus uſurpavit Ἀγούριον. Stephani epitomatori ſcribitur Ἀγύρηνα, *Agyrena*. unde vulgare nunc vocabulum *Agirone* durare videtur; gentilitium eidem eſt Ἀγυρηναῖος, *Agyrenaus*. quod apud Diodorum *lib. XVI* legitur Ἀγυριναῖος, *Agyrinaus*. unde opidi vocabulum erit Ἀγύρινα, *Agyrina*. atque hinc opidani Ciceroni *in Verrinis* frequenter memorantur *Agyrinenſes*: quum tamen illi, *in Verrem actione III & IV* ipſum opidum dicatur *Agyrium*. à quo Plinio, *lib. III, cap. VIII*, ſunt opidani *Agyrini*; & in Excerptis legationum ex Diodori *lib. XXII*, Ἀγυραῖοι, *Agyrai*; at haud dubiè mendosè. Ab *Agurio* verò rectè formabuntur opidani *Agurini*. Fazello *Decad. I lib. X hæc urbs* adpellatur *Argyre, ab argyrio quod argentum Græcis ſonat*. At nemo veterum id tradidit. nomenque id opido inditum eſt, non à Græcis, ſed à Siculis conditoribus, longè quippe vetuſtiorem ipſi Græci fecére huic opido originem, quàm ipſorum fuit in inſulam commigratio. Tam vetuſta enim ejus eſt origo, uti Herculis fabulis id opidum admiſcuerint priſci mortales; teſte Diodoro *lib. IV*, quo tradit, *Herculem ſacrificii honorem ab ejus opidi incolis ſibi inſtitutum primum admiſiſſe. Haud procul ab urbe, in petricosâ quâdam viâ boum veſtigia haud ſecus quàm*

Agyrium opidum.

in cerâ impreſſa videri. Lacumque ante urbem IV ſtadiorum effodiſſe eumdem Herculem, &c. Ergo Agyrium unum eſt ex antiquiſſimis Siciliæ opidis, quidpe Herculem ſub initium belli Trojani periiſſe, tradunt fabulæ: id eſt; CCCCLX fermè annis antè, quàm Græci colonias in inſulam deducere cœperint. Prima hinc eius opidi mentio fit ab eodem Diodoro *lib. XIV*; *Campani, promiſſis* Dionyſii, Syracuſanorum tyranni à civibus jam obſeſſi, *excitati, Agyrium primò contendunt: atque illic depoſitis apud Agyrim, urbis principem, impedimentis, Syracuſas inde advolant.* Factum hoc eſſe primo anno Olymp. XCIV, ipſe Diodorus ibidem teſtis eſt. Eodem libro poſteà narrat Diodorus, Dionyſium *cum Agyri, Agyrinenſium tyranno, fœdus percuſſiſſe.* Factum id anno primo Olymp. XCVI. Ab ſimilis nominis conditore an urbs primùm adpellationem Agyrii acceperit, incertum eſt. Cæterò frequentem florentemque jam tum ſub Agyri fuiſſe urbem *eodem libro* poſteà teſtatur Diodorus: *Quidpe non minus XX millia civium alebat. quin etiam ſufficiens tantæ in urbe multitudini commeatus præparatus, & ingens pecuniarum vis in arce repoſita; quam ex cæde opulentiſſimorum civium Agyris* Agyrinenſium tyrannus *lucrifecerat.* Ac poſteà idem Diodorus *lib. XVI* ſcribit *in Agyrinenſem agrum decies mille colonos miſſos; theatrum pulcerrimum excitatum &c.* Poſterioribus etiam temporibus celebrem fuiſſe urbem, patet *ex Excerptis legat. ex* Diodori *lib. XXII.* Memoratur Ciceroni quoq; *in Verrina III.* Sed præ omnibus aliis rebus maximè celebrem reddidit Agyrinenſis urbis memoriam nativitas ipſius Diodori; cui ferè uni omnem antiquitatis memoriam & olim debuerunt Siculi, & in

Diodori Siculi patria Agyrium.

in hanc uſque diem debent. Suidas ita de eo: *Diodorus Siculus, hiſtoricus, ſcripſit Bibliothecam; quæ eſt hiſtoria Romana ſimul & varia, libris XL comprehenſa. Fuit autem temporibus Auguſti Caſaris, & ſuprà.* Atque hæc ferè ſunt, quæ de Agyrinæ urbis vetuſtate celebritateque in veterum monumentis adnotata reperiuntur.

CAP. VII.

Enna urbs. Pergus ſive Perguſa lacus. Plutonia ſpecus. Aſſorus opidum. Chryſas amnis. Chryſæ fanum. Heræi ſive Junonis montes. Nympharum lucus.

I.

AB Agyrio XIII millia paſſuum ad meridiem verſùs diſtat antiqua & celebris quondam urbs ENNA; vulgò nunc incolis *Caſtro Janni* dicta. Memoratur auctoribus quàm plurimis. Opidani inde ſunt Græcis Ἐνναῖοι, *Ennæi*; quod Latini quoque uſurparunt, maximè poëtæ. Latino autem ore formabatur *Ennenſes*. Sæpè in auctorum antiquorum libris duo iſta vocabula *Enna* & *Aetna* confunduntur; ita ut reperias *Aetna* multoties, ubi *Enna* erat ſcribendum. Ipſa urbs Enna fuit loco præcelſo atque edito, omni aditu circumciſa atque dirupta. circa quem collem lacus, lucique plurimi cum lectiſſimis floribus, & pratum ex quo proſerpina Cereris filia à Plutone rapta; & propter ea loca ſpelunca, qua Dis pater ſeu Pluto cum curru exiſſe, abreptamque ex eo loco virginem Proſerpinam absportaſſe ferebatur, qui locus quòd in mediâ inſulâ putabatur ſitus, *Vmbilicus Siciliæ* nominatus eſt. Strabo *lib. VI.* Livius *lib. XXIV.* Diodorus

Enna urbs.

Pratum Proſerpinæ.

Vmbilicus Siciliæ.

lib. V

lib. V. Ariſtoteles *in Mirandis.* Claudianus *de Proſerpinæ raptu lib. I, II, III.* Juvenalis *Sat. XIII.* Seneca *in Hercule furente.* Lucanus *lib. VI* Silius *lib. XIII & XIV.* Sidonius Apollinaris *in Carm. IX.* Solinus *cap. XI.* Cicerone *in Verr. IV & V.* Columella *de Re ruſt. lib. X.* Ovidius *Faſt. lib. IV, Metamorph. lib V,* & *Ponticar. lib. II eleg. X &c.* Sæpè tamen pro *Enna* poſitum eſt *Aetna*: ſic apud Hyginum *Mytholog. cap. CXLVI* & Diodorum *lib XI &c.* Quam fabulam Arnobius *diſputat. adverſus gentes lib. V,* exagitat. Errarunt autem Diodorus & Cicero, qui dictis locis *pratum* illud *Proſerpinæ* in eodem cum urbe Enna colle locarunt. quod etiam in ipſo luco fuiſſe potuit: ne in luci commemoratione Ovidium & Claudianum erraſſe putemus. Pratum id Columella vocat *Aequor Ennæum*, Sed lucus heic hodiè nullus eſt.

Perguſa lacus. Lacus PERGUS, ſive PERGUSA in meridiem ad V millia ab urbe diſtans, ambitu ſuo IV millia complectens vinetis circumcolitur. Piſcibus is quidem caret, ſed colubris ſcatet. hodie aquas illas lino molliendo Ennenſes fœdant. *Plutonia ſpecus.* SPECUS autem PLUTONIA, per quam exiiſſe Plutonem ad rapiendam ex vicino prato Proſerpinam, veteres fabulati ſunt, abruptis ſaxis tota nunc oppleta eſt, ore ejus ad aquilonem etiam nunc converſo. Cæterùm Enna urbs teſte Stephano, condita fuit LXX annis poſt ipſas Syracuſas. Hæ verò conditæ fuerunt anno II Olymp. XI. Condita igitur fuit Enna Olymp. XXVIII, anno IV. Meminit hujus urbis Diodorus *lib. XIV* in rebus geſtis anni ſecundi Olymp. XCIV; & *eodem libro* poſteà: ubi Dionyſium per proditionem ait eam ſuæ ditioni adjeciſſe, item *lib. XXIII* bello Punico primo: ut & Polybius in

eâdem

eâdem hiſtoriâ, *lib. I.* Nobilem poſt hæc reddidit bellum ſervile, quod, Antigenis Ennenſis ſervo auctore ac duce, nomine Enno, natione Syro, LX ampliùs, ut tradit Florus *lib. III cap. XIX*, vel, ut Oroſius *lib. V, cap. VI, LXX*, vel tandem, ut Diodorus Siculus *lib. XXXIV*, *CC* millium ſervorum exercitus contra Romanos geſſit. cujus belli Cicero quoque meminit, *in Verrinâ III. Tenuerant*, inquit, *P. Popilio, P. Rupilio, Coſſ. illum locum ſervi fugitivi, barbari, hoſtes.* Conſules hi fuêre anno ab urbe Româ conditâ IↃ C XXI. Sed præcipuam nobilitatem claritudinemque ei omni ævo ad poſteriora etiam uſque tempora dedit templum, quod magnificentiùs exſtruxit Gelo, Syracuſanorum tyrannus, & Simulacrum Cereris, quod antiquâ & ſanctâ religione colebatur. Hodiéque ex primariis una eſt Siciliæ civitatibus, incolis maximè frequens.

II. Inter Ennam & Agyrium, medio ferè itinere dextrorſum, opidum eſt vulgari nunc vocabulo, *Azaro*, in edito colle ſitum. Nomen ei antiquum erat Ἀσσωρὸς, ASSORUS, & Ἀσσώρειον, *Aſſorium*. Opidani inde dicuntur Diodoro *lib. XIV* ac Stephano Ἀσσωρῖνοι & eâdem formatione Ciceroni *in Verrinis*, ac Plinio *lib. III cap. VIII*, *Aſſorini*. Apud Ciceronem *in Verrinâ IV* eſt obliquus caſus *Aſſôro*. Vetuſtiſſima Aſſorinorum memoria exſtat apud Diodorum *lib. XIV*, primo anno Olymp. XCVI. Haud incelebrem fuiſſe eorum civitatem, ex eodem libro poſteà colligitur. Poſterioribus tamen temporibus haud perinde celebris fuiſſe videtur ex Ciceronis *Verrinâ IV*. *Aſſorus, opidum.*

III. Aſſorum opidum lævâ ripâ præterfluit *amnis*, olim CHRYSAS dictus; vulgari nunc vocabulo *Chryſas amnis.*

accolis *Dattáino* & Dittáino vocatus, in dextram Symethi fluminis ripam confluens. Cicero *in Verrinâ IV* de eo fluvio ita ſcribit: *Chryſas eſt amnis, qui per Aſſorinorum agros fluit. Is apud illos habetur deus; & religione maximâ colitur. Fanum ejus eſt in agro, propter ipſam viam, qua Aſſôro itur Ennam. in eo eſt Chryſæ ſimulacrum, præclarè factum è marmore.* Hujus fani rudera ſupereſſe; & opidi antiqui, Aſsôri, mœnia cum portâ adhuc integrâ, ex miris ſaxis fabricata cerni teſtatur Fazellus *Decad. 1. lib. X.* In agro ejus numiſmata reperta in alterâ parte habent Chryſæ fluvii ſimulacrum, dextrâ manu urceolum tenens, ſiniſtra copiæ cornu. Diodorus *lib. XIV* tradit, Magonem caſtra ad Chryſam fluvium poſuiſſe.

Chryſæ fanum.

Heræi ſive Iunonii montes.

IV. HERÆUS mons, ex quo Chryſam oriri tradit Vibius; Diodoro plurali numero dicitur Ἡραῖα ὄρη, *Heræi montes.* Hinc ἀπὸ τῆς Ἥρας, id eſt, *à Junone,* dicti ſunt Latinis *Junonii montes.* Ingentem autem occupabant hi montes Heræi terrarum tractum, longè lateque diffuſum, ab opido, cui vulgare vocabulum *Piazza*, ſive Siculorum dialecto *Chiazza*, apud fonteis Gelæ amnis ſito, ad opidum uſque, cui vulgaris adpellatio, *Noara*, inter Tauromenium & Pactas poſitum: ubi Neptunio ſive Peloro monti connectuntur. Ab occidente, circa Alæſi & Himeræ meridionalis fonteis Nebrodi ſive Maroni monti, qui vulgò nunc dicitur *Madonia*, junguntur. Vulgò nunc inter Maronem & dictum opidum Noaram dicuntur *Monte Sori*. ad fontem verò Chryſæ amnis ingens eius jugum vulgò vocatur *Monte Arteſino*. Fontes in iis ſunt atque fluvii innumeri. Summa eorum amœnitas eſt circa

Cala-

Calacten, Aluntium, & Agathyrnum: quæ loca hodie vulgò vocantur *Caronia*, *S. Filadelfo* ſeu *S. Fratello*, & *S. Marco*. Sub Aluntio etiam, ſive, ut nunc vocatur locus, *S. Fratello*, *aquæ* ſunt à re ipsâ *dulces* cognomine, vulgari incolarum linguâ *Acque dolci*. Deſcribuntur montes iſti Diodoro in fine *libri IV* hoc modo: *Sunt in Siciliâ Heræi montes. quos amœnitate naturâque ac ſitu peculiari ad recreationem & voluptatem æſtivam perquàm opportunos eſſe dicunt. multos quidpe fonteis habent, aquarum dulcedine præſtanteis; arboribus omnis generis referti. magnarum ibi quercuum copia eſt: quæ eximiæ magnitudinis fructum, duplo majorem & copioſiorem alibi terrarum naſcentibus, producunt. hortenſi quoque fructu abundant. & vites ibi ſponte proveniunt: malorumque ingens eſt ubertas: adeò, ut Carthaginienſium exercitus quondam, fame laborans, inde aleretur; nec tamen ſumtu, licèt in tot millia profuſo, montium copia exhauriretur. in hac regione convallis quædam arborum, divinum habens decorem, & dicatus Nymphis lucus, exſiſtit. ibi Daphnin Mercurio nymphâque genitum eſſe, produnt: cui laurorum illic multitudo, ac denſitas nomen peperit.* Fazellus *Decad. I, lib. IX, cap. IV* ita tradit: *Monteis, qui huic flumini (*Fitaliæ*) intus prominent, omnium, qui totâ penè ſunt Siciliâ, amœniſſimi ſunt. nam licet excelſi ſint, fontium tamen uberrimi ſunt; quibus loca ipſa redduntur habitationi cultuique idonea: vinetis quoque, roſetis, olivetis, ac domeſticis omnium generum arboribus refertiſſimi, quæ toto anni tempore virent. &, quod inprimis locorum pulcritudinem perficit & amœnitatem, ad collium vicinorum verticeis opida ſunt frequentia & conſpicua; quæ inter prata ipſa ac hortos depicta eſſe videntur. rarum profectò totâ Siciliâ naturæ opus: quum cæteri fermè omnes Siciliæ mon-*

Nympharum lucus

montes aut nudi ſint & horridi, aut ſilveſtribus arboribus & ſilvis ſolùm amicti. Sanè nullâ aliâ inſulæ parte tam frequentia reperiuntur opida. quod ipſum amœnitatis & fertilitatis indicium eſt. Cæterùm *Nympharum* ille *lucus* quo tractu Heræorum montium fuerit, incertum eſt.

CAP. VIII.

Capytium opidum. Herbita urbs. Imachara, Galaria, Symethus, Hadranum, opida. Hadrani fanum. Hadranius amnis. Opida, Hybla & Murgantia. Morgetes. Sergentium ſive Ergetium opidum.

I.

Capitium opidum. IN meridionali Heræorum montium latere circa Simæthi fonteis eſt opidum, vulgari nunc incolis vocabulo *Capizzi* dictum. Id Ptolemæo vocatur Καπύτιον, CAPYTIUM. ad Romanis *Capitium*: & inde opidani *Capitini*. Ciceroni *in Verrina II* memoratur inter celebreis Siciliæ urbeis *Capitina civitas*. A quibus mortalibus condita, & quâ fortunâ tot ſeculis uſa fuerit, nuſquam adnotatum reperitur.

Herbita urbs. II. Eodem terrarum tractu, inter Symæthum amnem & Heræum montem fuit Ἑρβιτὰ πόλις, HERBITA *urbs*. Opidani inde Diodoro *lib. XII* atque Stephano ſunt Ἑρβιταῖοι, Herbitæi. at Romanis auctoribus *Herbitenſes*. Ex Diodori *lib. XII, XIV* colligitur Herbitam, non eſſe *Citatellam*, vulgò *La Citadella*, ut ſuſpicatur Fazellus; ſed potius eo ſitu fuiſſe videtur quo nunc eſt *Nicoſia* opidum, Ennæ, Aſsôro, Agyrio, & Capytio conterminum. An verò ipſa Nicoſia ſit antiquorum Herbita, dubium eſt. Ad Sperlingam arcem antiqui opidi ruinas & antiquitatis veſtigia videri, teſtatur

ſtatur Aretius. Hæc igitur potiùs ſunt antiqua Herbitæ veſtigia, ex cujus interitu poſteà crevit Nicoſia. Cæterùm vetuſtiſſima Herbitæ memoria apud Diodorum *lib. XII* adnotata eſt anno III Olymp. LXXXIII. Potentem fuiſſe civitatem Herbitenſem ex eo patet, quod ab Dionyſio, potentiſſimo Siciliæ tyranno, expugnari nequiverit; ut tradit Diodorus *lib. XIV.* Poſterioribus quoque temporibus Cicero præcipuis in mediterraneo urbibus eam adnumeravit, *Verrinâ II, III & V.*

III. Inter Capytium & Centuripas Ptolemæo locatur Ἰμαχάρα πόλις, IMACHARA *opidum*. unde Opidani ſunt *Imacharenſes*. Hoc opidum ex Ciceronis *in Verrina III* & Ptolemæi locatione inter Centuripas & Capytium, idem eſſe colligitur, quod nunc vulgari dicitur incolis vocabulo *Traina*. *Imachara opidū.*

IV. Haud procul à *Traina*, orientem verſùs, quà Randatium itur, opidulum nunc eſt vulgari vocabulo *Gagliano*. Id Aretius idem putat eſſe, quod antiquitùs dicebatur Γαλαρία, GALARIA, item Γαλαρῖνα, *Galarina*. unde opidani fuerunt dicti Γαλαρῖνοι, *Galarini*, à Γαλαρία· à Γαλαρῖνα verò, Γαλαρειναῖοι, *Galarinai*: qui Romano ore rectè formabuntur *Galarinenſes*. Sic Stephani epitomator; qui ſimul addit, hoc opidum à *Morge* Siculo conditum. Ex Diodori *lib XVII & XVIII*, quibus hoc opidum memoratur, adparet *Galariam* in eodem cum Centuripis circa Aetnam montem ac Symæthum amnem tractu fuiſſe poſitam. cui ſitui juxtà ac nomini urbis ſatis probè convenit prædictum opidum *Galtanum*, ſeu, ut vulgò vocant, ſcribuntque incolæ *Gagliano*: ubi literæ *gl* pronunciantur fermè ut *Galariæ opidum.*

geminum *ll.* dici quidpe id vocabulum poſterioribus poterat temporibus à priſtino *Galariano.* Cui accedit, quod circa Symæthum amnem & Aetnam montem Siciliæ tractus fuit ſedes Morgetum: quos unà cum Siculis ex Italiâ in Siciliam, quæ tum dicebatur Sicania, tranſmigraſſe, tradit Strabo *lib. VI* & Dionyſius Halicarnaſſenſis *lib. I.*

Symethus opidum. V. Inter Centuripas & Agyrium referunt *Excerpta legationum è* Diodori *lib. XXII* τὸ Ἀμήσελον χωρίον, *Ameſelum opidulum*, quod Hiero expugnavit ac evertit. Verùm vocabulum iſtud corruptum videtur à genuino Σύμαιθος, SYMÆTHUS ex Plinii *lib. III cap. VIII,* quo opidani mediterranei leguntur *Simæthii.* Ut flumen & *Symæthum* & *Symethum* dictum fuit; ita quoque hoc opidum legitur *Symæthus* & *Symethus*. Medio fermè Centuripas inter & Agyrium itinere, apud dextram Symęthi fluminis ripam ſitum eſt hodiè opidum, inprimis inſulæ clarum, vulgari vocabulo *Racalbuto*. quod ex ſitu, antiquum illud ęſſe opidum Diodoro memoratum colligitur. Sed à quibus mortalibus & quo tempore cùm ab initio conditum fuerit, tùm poſt Hieronis everſionem reſtitutum incertum eſt.

Hadranũ opidum. VI. Ἄδρανον πόλις, HADRANUM opidum vulgò nunc dicitur *Aderno*, ad radiceis Aetnæ VII circiter millia paſſuum ab Centuripis poſitum. Opidani inde ſunt Diodoro *lib. XVI*, Plutarcho *in Timoleonte* ac Stephano Ἀδρανῖται, *Hadranitæ.* quod Latino ore Plinius *lib. III cap. VIII* formavit *Hadranitani.* At in nummo antiquo & apud Stephanum opidani ſunt Ἀδράνιοι, *Hadranii.* Situm & conditorem opidi indicat Diodorus *lib. XIV*, his verbis: *Dionyſius in Siciliâ opidum ſub ipſum Aetnam*

Aetnam montem exſtruxit, quod ab inſigni quodam fano Hadranum vocavit. Factum eſt Olymp. xcv anno primo; ipſo Diodoro teſte. At *Fanum id Hadrani* jam anteà eo loco fuiſſe, diſertè ex citatis verbis liquet. Idem opidi ſitus indicatur à Plutarcho *dicto loco.* Cæterùm Stephano quoque Ἀδράνιος ποταμὸς, id eſt, HADRANIUS *amnis*, memoratur ad hoc opidulum. Nempe amnis ex opidi nomine derivativo ſeu gentilitio vocabulo quod antiquus refert nummus dicebatur *Hadranius.* Is amnis hodiéque vulgari adpellatione dicitur *Fiumme d' Aderno.* *Hadrani fanum.* *Hadranius amnis*

VII. Eodem inter Aetnam montem ac Symethum amnem tractu fuit Ὕβλα πόλις, HYBLA *urbs* cognomento *Major*. Fuêre autem *tres* in Sicilia *Hyblæ* urbes. Ex his *Minor*, ſive omnium *minima*, cognomento *Heraa*, erat inter Gelam & Pachynum promontorium. *Parva*, & cognomento *Galeotis* erat ea, quæ, in litore inter Syracuſas Leontinoſque poſita, poſteà immigrantibus Græcis Megarenſibus, *Megara* dicta eſt. *Major*, ſeu *maxima* omnium, in Catanenſi fuit agro. Harum duarum tantùm meminit Thucydides *lib. VI.* Patet autem ex eo loco, maritimam fuiſſe hanc Hyblam; quam *Geleatin* adpellat Thucydides. Maritima autem nulla fuit, niſi quæ, inter Syracuſas ac Leontinos ſita, poſteà etiam *Megara* adpellata eſt. In cognomine ejus auctores variant. nam Stephano dicitur Γαλεῶτις, *Galeotis*; Thucydidi Γελεᾶτις, *Geleatis*; Pauſaniæ *in Eliacis* Γερεᾶτις, *Gereatis*. In primâ ſyllabâ uſurpatum etiam fuiſſe α, & in tertiâ ω, ut Stephanus refert, Ciceronis comprobat auctoritas: apud quem *lib. I de Divinatione* leguntur *interpretes portentorum Galeota.* *Hybla maior opidum.*

leota. Cæterùm *Hybla major* eodem fuit ſitu, ubi nunc celebre conſpicitur opidum, vulgari vocabulo *Paderno*, ab Hadrano IV millia paſſuum, à Catanâ XVIII circiter diſſitum. Opidani ab Hyblâ iſtâ majore dicuntur Thucydidi ac Stephano Ὑβλαῖοι, *Hyblæi*: Ciceroni verò *in Verrinâ III* ac Plinio *lib. III cap. VIII*, ſunt Hyblenſes. At quando hæc Hybla everſa ſit, incertum eſt. nam Ciceronis ac Plinii Hyblenſes utrùm Majores ſint, an verò Heræi æquè in ambiguo eſt.

Magella opidum.

VIII. MAGELLA opidum Livio *lib. XXV* memoratum videtur eo fuiſſe loco, qui VI paſſuum millibus ab Ennâ diſſitus *Roſmanus* hodiè dicitur: ubi dirutæ urbis arciſque adhuc ſunt monumenta.

Murgentium opidum.

Morgentium opidum.

IX. Infra dictam Catanenſis agri Hyblam, haud procul Symethi oſtio perantiquum fuit opidum, cujus nomen variè apud auctoreis formatum obſervatur. nam apud Silium *lib. XIV* ac Stephanum legitur Μοργεντία, *Morgentia*; & apud eundem Stephanum Μοργέντιον, MORGENTIUM: apud Strabonem *lib. VI*, Μοργάντιον, *Morgantium*: apud Livium, *lib. XXVI Murgantia* & opidani inde ſunt apud Ciceronem *in Verrinâ III*, ac Plinium *lib. III cap. VIII*, *Murgentini*. Apud Stephanum gentilitium eſt Μοργεντῖνος, *Morgentinus* & Μοργήτης, *Morgeta*. Diodoro autem *lib. XIV* ipſa urbs vocatur derivativo vocabulo Μοργεντῖνα, *Morgentina*. Latini quidem auctores plerique Græcorum *o* verterunt in *u*, ut in innumeris aliis vocabulis; Fuit autem Murgantia in mediterraneo teſte Diodoro *lib. XIX*, ad Symethum maximum totius Siciliæ amnem, & qui ſolus claſſis triremium capax. Hinc *Romanorum claſſem ad Murgantiam* fuiſſe, Livius tradit *lib. XXIV*. Atque in hunc

hunc Murgantiæ ſitum quadrat illa Silii deſcriptio, dicto loco: *Non frondoſis Morgentia campis &c:* Quidpe planities ea, per quam Symethus ab Racalbuto opido verſus mare defluit, arboribus hodiéque conſita eſt. Cæterùm origo hujus Murgantinæ urbis ſatis antiqua eſt: ut quæ vetuſtiſſimis poſt Sicanos Siciliæ cultoribus Morgetibus adſcribitur à Strabone *lib. VI. Morgetes* quidpe, gens Italica, unà cum Siculis, ex Latio quomdam profectis, hanc oram circa Symethum amnem, ad Herbitam uſque urbem poſſederunt. quorum tamen nomen mox in Siculorum titulum tranſiit; ita, ut nulli auctorum memorentur, præterquam Antiocho Syracuſano apud Dionyſium Halicar: *lib. I* & Strabonem dicto jam loco. Proxima hinc Morgantiæ memoria eſt apud Diodorum *lib. XI*, in rebus geſtis anni ſecundi Olymp. LXXX. ubi *Ducetius, Siculorum rex, Murgantinam, celebrem urbem,* expugnaſſe traditur. Ac tum, haud dubiè munita fuit urbs, ut poſterioribus temporibus, ſub Romanorum imperio, bello ſervili, Olymp. CLXI. qua de re referunt *Eclogæ legationum ex* Diodori *lib. XXXVI.* Porrò Cicero quia *in Verrinâ* Murgentinos eorumque agrum citat, exſtitiſſe etiam tum eorum urbem maximè credibile eſt. Poſt Ciceronis tamen actioneis Verrinas annis circiter XC, Strabo nullam eam, quum geographica ſua ederet, fuiſſe teſtatur. Quo caſu interierit, incertum eſt.

Morgetes

Ergentium, ſive, Sergentium opidum.

X. Eodem circa Symethum Chryſamque amneis terrarum tractu antiquum in primis fuit opidum Ἐργέτιον, ERGETIUM, Stephano. Silio *lib. XIV Hergentium*, Diodoro verò *lib. XIV* & Ptolemæo Σεργέντιον, SERGENTIUM, dictum. Opidani ſunt Pli-

nio *lib. III cap VIII* & Stephano Ἐργετῖνοι, *Ergetini*. Ad eumdem igitur modum ab *Sergentio* etiam dici poterunt *Sergentini*. Ex adſpirato autem vocabulo *Hergetium*, ſive *Hergentium* factum eſt *Sergentium*, ut à Græcis vobicus ἅλς, *ſal*; ἕρπω *ſerpo*, ὗς *ſus* &c. Cæterò opidum hoc Sergentium Ptolemæus collocat inter Centuripas, Agyrium & Menas opida. quorum hoc vulgò hodiè vocatur *Minéo*. Hic ſitus probè convenit ruinis antiqui opidi, inter Menas & Agyrium haud procul ab dextrâ Chryſæ amnis ripâ poſiti, vulgarique vocabulo nunc *Citadella* dicti. Heic enim, teſte Fazello, *Decad. I, lib. X præter templa diruta, ædium & murorum ingenteis ruinas, theatrum adhuc quadratum, ejuſque gradus ſemiruti, curruum quoque via, qui ex Aidone huc olim decurrebant, magnâ cum jucunditate ſpectantur. dorſus quoque in eâ, quem accolæ Sellam Orlandi agnominant. lateres præterea magnæ craſſitudinis colorisque rubei, nec non mirifica domorum fundamenta hucuſque ſuperſunt*. Antiquiſſima *Hergentii*, ſive *Sergentii* memoria, inter res geſtas primi anni Olymp. XCVI, à Diodoro adnotata eſt *lib. XIV*; ubi tamen pro vocabulo corrupto Σμενέαι legendum eſt Σεργέντιον, *Sergentium*. Plinii adhuc exſtitiſſe ætate, haud dubium eſt; quando is inter alios Siciliæ populos ſtipendiarios etiam Ergentinos recenſet. Sed ad poſteriora etiam duraſſe tempora, inde patet, quòd tam ingentes ejus reliquiæ ad noſtrum hoc uſque ſeculum exſtiterunt.

Cap. IX.

Mena, ſive Menena urbs. Menenius fons; qui & Palicinus; item Lacus ſeu Stagnum Palicorum, & Crateres Palicorum. Fanum Palicorum. Palice & Eryce opida. Eryces amnis.

I.

AB Hergetio verſus meridiem, inter Ennam & Syracuſas, opidum eſt perantiquum, vulgari nunc incolis vocabulo *Menéo* ſive *Minío* dictum. Id olim vocabatur plurali numero Μέναι, MENÆ. unde opidani Μεναῖοι, *Menai.* qui Latino ore rectè formabuntur *Menenſes*. Diodorus *ſub finem lib. XI* tradit, *Ducetium, Siculorum principem Menas, patriam ſuam, in æquum & apertum campum tranſtuliſſe; & prope fanum Palicorum urbem præclaram exſtruxiſſe, quam à dictis diis Palicam nuncuparit.* Ubi tamen pro genuino vocabulo Μένας, habetur corruptum Νέας; Stephanus *Menas prope Paliсum* fuiſſe ſcribit. Cæterùm idem Diodorus *lib. XII* urbem quam Ducetius condidit, vocat Μέναιον, *Menæum.* Ab hoc igitur vocabulo opidani dici poterant Μεναίνιοι, *Menanii*; pro quibus apud Ciceronem, *in Verrinâ III Menenii* leguntur: & ab eodem illo vocabulo dicti quoque videri poterant *Menanini* Plinii *lib. III cap. VIII.* At fortè Diodorus ſcripſit Μεναιῶν πόλιν, id eſt, *Menæorum urbem*; uſitatiſſimâ apud Græcos locutione. Illi ſanè Ciceronis *Menenii* dicti ſunt à Μέννα. quod eſt derivativum vocabulum à Μέναι. Porrò Philocles, in cujus magiſtratu Menas condidit Ducetius, ſummus Athenienſiũ prætor fuit anno II Olymp. LXXXI; Condidit autem eam urbem Ducetius, quia eo

Mene, ſive Menena urbs.

loco natus erat. Quinto verò anno pòſt, ut teſtis eſt idem Diodorus, Lyſicrate ſummum Athenis magiſtratum obtinente, eamdem urbem, in edito arduoq; colle ſitam, in quo etiam nunc conſpicitur ſive incolas ejus, tranſtulit *in campum prope fanum Palicorum, & ab his diis nuncupavit Palicen.* nempe, quòd ab iſtius templi cultu atque celebritate ipſi etiam Meneniorum civitati majorem frequentiam celebritatemq; acceſſuram ſperaret: quod etiam ita evenit, teſte Diodoro. Nam *ob ſoli ubertatem ſimulque propter incolentium multitudinem brevi mirum in modum crevit. At non diuturna fuit ea felicitas. ſiquidem haud ita multò pòſt diruta eſt; & ad hoc uſque tempus irreparata jecit.* Sed à quo urbs illa fuerit deſtructa, apud auctores non reperitur. Incolas Palicæ ad priſtinam ſuam inde rediiſſe ſedem in *Menas* opidum, certum eſt; quando id in hanc uſque diem eodem loco ac nomine durat; Cicero verò ac Plinius ſuorum temporum citant opidanos *Menenios* ſive *Menanios*; & opidum etiam Ptolemæus *Menas*. de quo ita Fazellus, *Decad. I, lib. X*: *Arcem habet & mœnia adhuc antiquiſſima. In eâ quoque urbe ejuſque circum agros numiſmata, in ære atque argento inſigniter quidem expeſſa, cum hac inſcriptione, MENENON, paſſim effodiuntur: viſunturque veterum operum pleriſque in locis non obſcura monumenta.*

Menenius ſive Palicorum fons; qui & lacus ſeu ſta-

II. Duo millia paſſuum verſus ſeptemtrioneis ab Menis opido occurrit Μεναῒς κρήνη, id eſt, FONS MENENIUS, ſive *Menenſis*: de quo ita Vibius, *in Catalogo fontium: Menais, Leontinorum: per quem cives ejus loci jurare timent.* Idem & Παλικίνη κρήνη, *Palicinus fons*, ab adpoſito *templo Palicorum*, dictus eſt; & item Λίμνη

Παλί-

Παλίκων, id eſt, *Lacus* ſive *ſtagnum Palicorum*; & Κρατῆρες Παλίκων, *Crateres Palicorum*: poëtis autem, uſitatiſſimâ eorum licentiâ, plurali numero, *Stagna* & *Lacus Palicorum*; quamquàm unus omni ævo fuerit lacus ſive unum ſtagnum, ex quo crateres aquas ſurſum ejiciunt. Virgilius Aeneid. *lib. VIII* de eo ita canit: *pinguis ubi & placabilis ara Palici.* Ad quem locum Servius ita commentatur: *Palicorum talis eſt fabula: Aetnam nympham, velut quidam volunt, Thaliam Jupiter quum vitiaſſet, & feciſſet gravidam; timens Junonem, ipſam puellam terræ commendavit; & illic enixa eſt. Partus ejus poſteà quum de terrâ erupiſſet, duo pueri Palici dicti ſunt, quaſi iterum venientes: nam πάλιν ἵκειν eſt iterum venire. Hi primò humanis hoſtiis placabantur: poſteà quibusdam ſacris mitigati ſunt; & eorum immutata ſacrificia. inde ergo Placabilis ara. Palicos nauticos deos Varro adpellat.* Haud dubiè eoſdem intellexit Varro, qui aliàs dicebantur Romanis *Caſtores*: ſeu diſcretis nominibus, *Caſtor* & *Pollux*, de quibus Virgilius *Aeneid. lib. VI: Si fratrem Pollux alternâ morte redemit: itque reditque viam toties.* Nempe fabulantur antiqui; quum cæſus à Lynceo eſſet Caſtor, immortalem Pollucem à patre Jove immortalitatem fratri petiiſſe. quam quum obtinere nequiſſet; impetraſſe tamen, ut dimidium ſuæ impertire illi poſſet. proinde alternis eos occidere atque reviviſcere dicebant. Invocabantur autem in tempeſtatibus, ut dii marini, ſeu nautici à nautis. Fabulam illam de Thalia à Jove compreſſa & Palicorum fratrum ortu pluribus enarrat Macrobius *Saturnal. lib. V cap. XIX*, quo inter cætera etiam tradit; *crimine accuſatos ſeſe hîc jurejurando purgare; eoſque qui bonâ fide juraſſent, incolu-*

Stagnum Palicorum.

columes diſcedere; qui verò peierent, ſtatim exſpirare. Stephanus ſcribit, *eum, qui jurat, ea, quæ jurat, tabellæ inſcripta in aquam imittere. quod ſi bonâ fide juret; tabellam innatare: ſin verò peieret; ſubmergi atque evaneſcere; ipſum autem comburi.* De Palicis eorumque lacu optimè ſcribit Diodorus Siculus *lib. XI*, quo cum enarraſſet, quomodo Ducetius urbem Menas ad fanum Palicorum tranſtuliſſet; locum & templum illud ita deſcribit: *Fanum hoc tum antiquitate, tum religioſâ veneratione, quòd multa in eo rara & ſtupenda eveniant, cæteris omnibus longè anteire tradunt. Ac primùm crateres illic exſiſtunt, amplitudine quidem haud perinde vaſti, cæterùm qui è profunditate inenarrabili ſcintillas ingenteis eructant; lebetum naturam referentes vi igneâ æſtuantium, unde fervens aqua ebullit. Speciem quidem ignei ferveris aqua illa ſubſultans præbet; at nihilum certi exploratum habetur: quum nemo hactenus eam contingere auſus ſit. tanto enim cum ſtupore exæſtuatio illius humoris conjuncta eſt, uti à divinâ quâdam neceſſitate procedere exiſtimetur. Aqua tamen ſulphuris odorem exuberantis refert: & vorago illa rugitum ingentem atque horrendum emittit. Tum, quod longè admirabilius, humor ille neque ſuperfunditur, neque ſubſidit. ſed perpetuo agitatus motu, ſtupenda profluxus vi in altum ſe extollit. Quum itaque tam divina fanum illud majeſtas obtineat; ſanctiſſima illic juramenta præſtantur. & repentinâ numinis vindictâ peierantibus incumbit. nonnulli etiam oculis capti delubro excedunt. Ingens igitur loci religio efficit, ut, arduis intricati controverſiis, quando ſuperioris potentia injuriâ premuntur, jurisjurandi religione interpoſitâ, exitum cauſæ inveniant. Præterea fanum hoc per aliquodjam tempus inviolatiſſimum eſt aſylum; quod ſervis ærumna aliqua oppreſ-*

Palicorū fanum.

oppreſſis, dominoſque inclementeis nactis, plurimum auxilii præbet. etenim, qui illuc confugerint, eos per vim dominis abducere haud licet: ſed inviolati illic permanent, donec per benevolos domini arbitros perſuaſi, fide ſecuritatis juramento firmatâ, illis reconcilientur. Nec ullus memoriæ proditus reperitur, qui datam ſervis fidem violârit. adeò deûm metus jurata ſervis fideliter ſervare dominos cogit. Cæterò ſitum hoc templum eſt in campo latiſſimo ac deorum majeſtate maximè digno; porticibus atque aliis diverſoriis magnificè exornatum. De hoc Palicorum lacu ita tradit Fazellus, *Decad. I, lib. III cap. II. Lacus inter Menæum opidum & hoſpitium Gutterræ, non magni ambitus, ad radiceis cujuſdam collis, paullo infra Symæthi capita, adhuc exſtat, Napthia ætate meâ vulgò adpellatus. qui aſſiduam ſcaturiginem turbulentarum ac pene ſulphurearum aquarum, tribus in medio crateribus, ad treis circiter cubitos in altum ejectans, non aliter quàm ſubjectis ignibus fervens ebullit olla. cujus aquæ, ad perpendiculum cadentes, numquam effluunt; ſed rurſum in eumdem ſinum, qui eo tamen non ſit amplior, recipiuntur, ac reſidunt.* Et aliquanto pòſt: *Exſtant hodiè templi ipſius magna circa lacum & ea pro majori parte obruta monumenta. Lacus autem ipſe ad angulum planitiei eſt circa collis radiceis, turbidus, & malì odoris, ambitus paſſuum non minus centum. in cujus quoque medio, tres ſunt, veluti olla ſub igne ferventis, aquarum ſcaturigines quæ continuâ etiam num eructatione ad treis circiter cubitos in altum, comitante perpetuo æſtus murmure, aquas efferunt, rurſumque cadenteis in ſinum recipiunt. Aquas hujus ſtagni ſi manè ante Solis exortum bruta potaverint, repentino prope interitu occidunt. nam licèt frigidæ ſint, turbidæ tamen, & dirum exhalantes odorem; qui ex ſul-*

ſulphuris bituminiſque materiâ, quâ ſtagni fundus plenus eſt, ut bullæ ex eo aliquando efflatus indicant, generatur. Hinc adeò pernicioſa ſunt ejus aquæ, ut non ſolùm potantia bruta, ſed ſupervolanteis plerumque aveis in periculum agant. nam ex aquarum huiuſcemodi vaporibus aër inficitur; & quò deterior eſt materia, eò concretior redditur: quo inſpirato, perinde, ut guſtato veneno, aves pereunt. Aetate meâ quum aliquando Sicilia ſiccitate laboraret, ſtagnum hoc prorſus exaruit. è cuius tum crateribus, ventis ſolùm furentibus pulvis tantùm efflabatur. De cætero τὸ ἱερὸν τῶν Παλικῶν, *Fanum Palicorum* haud procul fuiſſe ab dicto lacu, patet ex Ariſtotelis *libro de Mirandis*. Exſtitiſſe jam Aeſchyli tempeſtate, qui primus *Palicos deos* in literas tradit, ex Macrobio intelligitur. Is autem claruit circà Olymp. LXXV.

Palica urbs. III. Haud procul à Palicorum templo fuit illa à Ducetio condita Παλίκη πόλις, PALICA *urbs*. unde opidani dicebantur Παλικηνοὶ, *Paliceni*. Originem ejus urbis deſcribit Diodorus *lib. XI*, ut oſtenſum in initio hujus capitis. Quidpe *Ducetius Siculorum rex urbem Menas, quæ patria ejus erat, in campum tranſtulit; & prope fanum Palicorum urbem præclaram condidit, quam à dictis diis Palicam nuncupavit.* Condita fuit ea urbs Olymp. LXXXI anno IV; teſte ibidem Diodoro. *Sed haud ita multò pòſt diruta eſt; & ad hoc uſque tempus deſerta atque irreparata jacet.* Quando verò & à quibus mortalibus poſteà deleta fuerit, nuſquam reperitur. Eâ deletâ, in priſtinam ſedem Menas remigraſſe incolas, ſuprà in Menarum deſcriptione dictum eſt.

Eryce, opidum; IV. Eidem Palicorum lacui imminebat à meridie *urbs* inprimis antiqua Ερύκη, ERYCE; ſive, Latino

tino ore ſi formes, *Eryca*, & *Eruca*; in monte ſita. Opidani inde ſunt apud Stephani epitomatorem Ἐρυκαῖοι, *Erycas*, & Ἐρυκηνοὶ, *Eryceni*. In monte Catalſano ingentis urbis vetuſtæ dirutæ, ac magnæ quoque arcis, miras ſpectari ex quadratis lapidibus ruinas teſtatur Fazellus *Decad. I, lib. X.* Idem *lib. III cap. II* tradit, flumen ſancti Pauli, vulgò nunc *Fiume di S. Paolo*, quinque fontibus, inter Jarettam & Teriam ſeu S. Leonardi flumen, exſurgere. eorum hæc perhibentur nomina; *Maculus*, *Pipinus*, *Ochula*, *Canalis Calcagnus*, & *Fons ferratus*. Ex Macrobii *Saturnal. lib. V cap. XIX* & Stephano patet, prædictas in Catalfano monte ruinas eſſe Erycis urbis veſtigia; flumenque divi Pauli, quod ad hunc montem exoritur, eſſe veterum *Erycem amnem*. ad cujus fonteis urbs poſita, nomen inde traxit. Cæterùm antiquiſſima Eryces urbis memoria exſtat apud Stephanum Philiſti; qui, circa exitum Dionyſii majoris Syracuſanorum tyranni, hiſtorias ſuas conſcripſit; teſte Diodoro *lib. XIV*. Quando & à quibus mortalibus tandem omnis everſa fuerit, nuſquam adnotatum reperitur.

Cap. X.

Capitoniana, Gelenſium Philoſophiana, Petiliana, Calloniana, Corconiana; loca incerta conditionis, Opida, Callonia, ſive Caulonia, Nomimna, Caluiſiana, Hybla minor ſive Heræa, Acra, Acrilla, Apollinis Libyſtini fanum, Ichana, Motyca, Neetum, Caſmena, Cacyrum, Bidis, Echetla, Adryx, Meruſium, Talaria, Mactorium.

I.

Capitoniana locus.

A Catanâ verſus Agrigentum rectà viâ, ſi proceſſeris millia xxiv, in locum pervenies, haud procul dextrâ Erycæ amnis, qui nunc divi Pauli cognominatur, ripâ, medio ferè itinere inter Leontinos & Sergentii antiqui veſtigia, quæ nunc vulgò vocantur *Citadella*, poſitum: ubi CAPITONIANA illa fuere, neutro genere pronuncianda.

Philoſophiana Gelenſiũ locus.

II. A dicto Capitonianorum ſitu millia porrò xxi verſus Agrigentum ſi pergas, PHILOSOPHIANA habebis circa celebre nunc opidum, quod vulgò *Piazza*, ſeu peculiari Siculorum dialecto *Chiazza* vocamus, ad fontem Gelæ amnis, qui vulgari accolis adpellatione eſt *Fiume di Terra nuova*. In itinerario adpoſitum eſt cognomentum *Gelenſium*, dictaque ſunt *Gelenſium Philoſophiana*: quia fuerunt apud Gelæ fontem, in Gelenſium, potentiſſimæ quondam civitatis, finibus.

Petiliana locus.

III. A dictis Gelenſium Philoſophianis xxviii millia ſi progrediaris in locum, qui Agrigento, xviii millia abſit; PETILIANA illic fuerint infra opidum, cui vulgare vocabulum *Caltani ſcetta*, haud proculà dextrâ Himeræ ſive Salſi amnis ripâ.

Caulonia, ſive Callonia opidum; & Calloniana locus.

IV. At ſi xxi millia à Philoſophianis progreſſus fueris, in locum, unde vii adhuc millia reliqua ſunt ad Petiliana; locus is apud Amucelum fluvium, in ſiniſtram Himeræ ripam defluentem, inter Caltaniſcettam & opidũ, quod vulgò vocatur *Pietra preccia*, ſitus, idem fuerit, qui CALLONIANA dicitur Antonino. Forte Siculis id vocabulum dictum fuit *Callonia*: unde illud Antonini derivativum *Calloniana*. Græci id poſteà dixêre, Καυλωνία, *Caulonia*, vocabulo celebris Græcorum

corum in Italiâ opidi notiſſimo, quod eſt apud Stephanum; & gentilitium Καυλωνιάτης, *Caulaniates*. Romano ore fuerint *Caulonienſes*.

V. CORCONIANA, illa medio itinere inter Colloniana & Agrigentum ſita, XII utrimque interjectis millibus, circa ſiniſtram fuère ripam Acragantis fluvii; qui vulgò vocatur *Fiume di Gergenti*, & *Fiume di Santo Biagio*, item *Fiume di Navo*. *Corconiana locus.*

VI. Νώνυμνα πόλις, NONYMNA *opidum* perantiquum memoratur Stephano ex hiſtoriis Philiſti, qui Dionyſii ſenioris fuit æqualis. Gentilitium inde eſt Νωνυμναῖος, *Nonymnaus*. At Latino ore erunt *Nonymnenſes*. De ſitu urbis nihil certi eſt, niſi quod locus tractu itineris, quod Antoninus heic deſcribit, eſt vulgari vocabulo *Nauni*, ubi proſtrati opidi, ſed ignoti, ruinas exſtare teſtatur Fazellus *Decad. I. lib. X*. Has igitur Nonymnæ urbis reliquias eſſe, ex vocabulorum ſimilitudine colligere datur. *Nonymna opidum.*

VII. CALVISIANA opidum idem eſſe videtur, quod nunc ad Hipparis ſeu Camarinenſis amnis fonteis vulgari vocabulo dicitur *Comiſo*. *Calviſiana opidum.*

VIII. Hinc τὸ Μεσοποτάμιον, MESOPOTAMIUM, ſive Latinâ linguâ *Interamniū*, nullus alius hoc tractu locus eſſe potuit, quàm qui inter duos amneis ſitus fuit, Oanum ſcilicet & Dianæ fluvium; quorū hic à vico S. Crucis profluit, cognomenq; habet; ille *Fraſcolari* vulgò dicitur. Eo in loco templum veteris Meſopotamii veſtigium adparere teſtatur Fazellus *Decad. I. lib. V cap. I.* *Meſopotamium opidum.*

IX. Ὕβλα ἡ ἐλάττων, ἤτοι Ἡραία, id eſt, HYBLA MINOR ſive HERÆA, mediterranea fuit urbs, eaque eſſe deprehenditur, quæ vulgò nunc vocatur In edito *Hybla Heræa opidum.*

colle *Raguſa.* Vetuſtiſſima Hyblæ hujus memoria exſtat *in Eclogis legat.* ex Diodori *lib. XXII.* ubi *Hicetas* Syracuſanorum tyrannus, & Phintias Agrigentinorum, infeſtis aciebus apud Hyblam concurriſſe leguntur. Factum hoc paullo ante bellum Punicum primum. Cæterùm quando Hybla fuerit condita, incertum eſt. à Siculis tamen antiquiſſimis temporibus conditam eſſe ex Stephano divinare licet.

Acræ urbs. X. Porro αἱ Ἄκραι πόλις. ACRÆ *urbs* multis memoratur auctoribus. Opidani inde Stephano dicuntur Ἀκραῖοι, *Acraei.* at Plinio *lib. III cap. VIII,* Latinâ formatione ſunt *Acrenſes.* Conditas fuiſſe à Syracuſanis *Acras,* LXX annis poſt Syracuſas, teſtis eſt Thucydides *lib. VI.* Ipſas Syracuſas conditas fuiſſe Olymp. XI anno ſecundo, ſuprà *lib. I cap. XII* oſtenſum eſt. *Acræ* igitur conditæ fuêre Olymp. XXVIII anno IV. Ex Livii *lib. XXIV* & Plutarcho *in Dione,* ſimulque ex intervallis, quæ Itineraria Romana habent, ab Hyblâ ad Acras milliũ XVIII, ab Acris Syracuſas millium XXIV, adparet, *Acras* fuiſſe apud cœnobium, quod inter duo opida, quibus vulgaria vocabula *Noto* & *Azula,* vulgò incolis dicitur *Santa Maria d' Arcia.* quod & ipſum antiqui Acrarum nominis veſtigia ſervare videtur. Errat igitur Fazellus, qui *Acras* opidum fuiſſe putat, ubi hodie eſt *Palazolo.* Edito in loco ſitas fuiſſe *Acras*; unde etiam haud dubiè nomen eis quæſitum, teſtatur Silius *lib. XIV.* Quando tandem id opidum funditùs deletum fuerit, incertum eſt. nam ultima ejus memoria in Itinerariis Romanis adnotata reperitur.

Acrillæ opidum. XI. Eodem cum Acris tractu fuit ἡ Ἄκριλλα πόλις. ACRILLA *urbs*; & plurali numero αἱ Ἄκριλλαι

Acrilla,

Acrilla. Gentilitium inde apud Stephanum eſt Ἀκειλλαῖος, *Acrillæus*, ut ab *Agylla Agyllæus.* Hoc quum à Virgilio *Aeneid. lib. VIII* factum *Agyllinus*; quemadmodum à *Magella* & *Entella* dicebantur *Magellini* & *Entellini*, ab *Acrilla* opidani rectè quoque dicentur *Acrillini*, qui tamen rectè quoque dicuntur *Acrillani*; ut *Fregellani*, *Atellani*, *Avellani*: quorum opida erant *Fregellæ*, *Atella*, *Avella.* Cæterùm Acrillas fuiſſe inter Acras & Hyblam ex Livii hiſtoriâ *lib. XXIV* liquet. quo autem ſitu fuerit, incertum eſt; quando nulla ejus reliqua ſunt veſtigia.

XII. *Templum* APOLLINIS LIBYSTINI apud Pachynum promontorium eodem ſitu fuiſſe ex Antonino & Macrobii *Saturn. lib. I cap. XVII*, adparet, ubi nunc opidum Spaccafurnum conſpicitur, x millia paſſuum ab extremo Pachyni excurſu diſſitum; ubi teſte Fazello magnæ hodiè conſpiciuntur ruinæ. *Templum Apollinis Libyſtini.*

XIII. Ptolemæo duæ ponuntur urbes Pachyno proximæ omnium quas recenſet: quarum alterius Ἕλωρος, *Helorus*, alterius Ἴνα, *Ina*, vocabula in vulgatis exemplaribus leguntur. *Helorus* quo ſitu fuerit, ſuprà *lib. I, cap. XIII* oſtenſum eſt, Ἴνα nulla aliàs apud auctoreis reperitur. Apud Stephanum autem legitur Ἴχανα, πολίχνιον τῆς Σικελίας, ICHANA, *opidulum Siciliæ.* quod inepti Grammatici inde dictum putant, quòd in ejus expugnatione plurimam operam impenderint Syracuſani. ἰχανᾶν quippe eſt *adſiderare*. Gentilitium inde ei dicitur Ἰχανῖνος, *Ichaninus*. At Plinio *lib. III cap. VIII* ſunt *Ichanenſes* ore Romano. Cæterùm idem eſſe *Ichana* opidum, quod apud Ptolemæum viatito legitur vocabulo Ἴνα, *Ina*, ſitus maximè indi- *Ichana urbs.*

 cat

cat apud Pachynum promontorium; qui tractus cum Heloro ac Neeto aliiſque inibi opidis Syracuſanorum fuit ditionis. Ptolemæus id intra Motycam, quæ hodiéque vulgò vocatur *Modica*, verſus Pachynum collocat quo tractu nulla antiquitatum reperiuntur veſtigia, præter illa ad Spaccafurnum, & quæ prope portum Vindicarim refert Fazellus, ſub vulgari vocabulo *Macra*. ex quorum ſitu, has ipſas eſſe dicti opidi reliquias, colligitur. Nomen opidi *Ichana* quod attinet, incertum eſt, cujus id fuerit numeri: quando nulla ejus in hiſtoriis reperitur mentio.

Motyca opidum. XIV. Ipſa hinc Μότυκα πόλις, MOTYCA urbs, vulgò nuc *Modica* dicta, Romanis auctoribus ſcribebatur *Mutyca*, & *Mutuca*. unde etiam Ptolemæo eſt Μότυκα, *Motuca*. Opidani Plinio, *lib. III cap. VIII.* ſunt *Mutycenſes* & *Motucenſes*. In vetuſto exemplari etiam ſunt *Muticenſes*. quomodo etiam apud Ciceronem in *Verrinâ III* memoratur *Muticenſis* ager. Græcis haud dubiè fuêre opidani Μοτυκαῖοι, *Motycæi*; uſitatiſſimâ formâ. Apud Diodorum *lib. XVI* corrupto vocabulo leguntur *Madinenſes*; & apud Silium *lib. XIV. Mutice*, pro genuino *Mutyce*; qui ſolet metri causâ Græcâ uti formatione in η.

Netinum urbs. XV. Inter Motycam & Acras Νέητον πόλις, NEETUM opidum, vulgò nunc vocatur *Noto*: unde tertia nunc universæ inſulæ pars vulgo dicitur incolis *Val di Noto*. Apud Ptolemæum legitur Νέκητον, facili librarii lapſu, κ pro η ſcribentis. Idem urbis vocabulum dictum quoque fuiſſe Νῆτον, adparet ex Silii *lib. XIV*, ubi *Netum* adpellatur. unde etiam apud Ciceronem in *Verrinâ V*, opidani quater perſcripti ſunt *Netini*; & apud

Pli-

Plinium *lib. III cap. VIII.* Apud eumdem Ciceronem, *in Verrina II*, aliâ formatione ſunt *Netinenſes*. Sed voluiſſe Ciceronem variare, minimè veri eſt ſimile. librarii igitur videtur eſſe error. Celebrem fuiſſe jam olim urbem patet ex Plinii *lib. III cap. VIII.* Hinc etiam Cicero *in Verrina V Netinorum* civitatem adpellat *fœderatam*.

XVI. Eodem terrarum tractu fuiſſe videtur antiqua in primis urbs Κάσμεναι, CASMENÆ; ſive ſingulari numero Κασμένη, *Caſmena*. Opidanus inde apud Stephanum eſt Κασμεναῖος, *Caſmenæus*. Caſmena urbs condita fuit à Syracuſanis propè xx annis poſt Acras: Acræ verò LXX annis poſt Syracuſas. *Thucydides lib. VI.* Conditæ verò ſunt Syracuſæ Olympiadis XI anno ſecundo. *Caſmenæ* igitur conditæ fuêre circa Olymp. XXXIII. Sitæ fuerunt inter Acras & Camarinam haud ita procul à litore, quidpe Græci, ut primùm colonias in inſulam deduxêre, litora occupârunt & his proxima, interiora Siculis tenentibus. Syracuſani igitur, poſt urbem Syracuſarum conditam in meridiem verſùs profecti, primùm Acras, mox, longiùs progreſſi, Caſmenas, ac tandem ultra has etiam Camarinam, urbeis partim maritimas, partim à mari haud longè diſſitas, condiderunt. Hinc Caſmenæ fuiſſe videntur, ubi nunc nobile atque amœnum inprimis conſpicitur opidum vulgari vocabulo *Scicais* dictum. *Caſmenam* conceſſerant *Gomori Syracuſani à plebe & ſervis* urbe *ejecti, quos Gelon reducendo ipſis Syracuſis potitus eſt.* Herodotus *lib. VII.* *Caſmenæ opidum.*

XVII. In Syracuſano agro reliquiæ antiqui opidi jacent XV circiter millia paſſuum ab Syracuſis in occa- *Bidis opidum.*

occaſum verſus hiberni Solis diſtitæ cum templo, cui vulgaris adpellatio *S. Giovanni di Bidini*. Antiquum ejus nomen variantibus formationibus fuit Βίδος, Βίδις, BIDOS, BIDIS, eſt generis neutri; Gentilitium inde Βιδῖνος, *Bidinus*. Stephanus. Cicero. Plinius. Ciceroni *in Verrinâ II* eſt *tenue opidulum, non longè à Syracuſis*.

Cacyrum, opidum.

XIIX. Eodem tractu opidulum hodiè vulgari vocabulo eſt Caſſaro. Id haud dubiè idem eſt, quod Ptolemæo dicitur Κάκυρον, CACYRUM. Unde opidani dicti fuerunt Κακυρῖνοι, *Cacyrini*. qui apud Plinium *lib. III cap. VIII* leguntur *Cacirini*.

Echetla opidum.

XIX. Fuit præterea in confinio Syracuſini agri verſus Solis occaſum Ἔχετλα πόλις, ECHETLA opidum. Apud Stephani epitomatorem opidanus inde mendoſè legitur Ἐχετλιάτης, *Echetliates*, ex genuino Ἐχετλάτης, *Echetlates*. Romano ore formari potuerunt, *Echetlani*; & *Echetlini*; & item *Echetlenſes*: ut *Atellani*, *Entellini*, & *Gelenſes*. Ex Polybii *lib. I* & Diodori *lib. XX* deſignatione adparet, *Echetlam* medio fuiſſe inter Leontinos Camarinamque urbeis ſitu, ab Syracuſis in occidentem converſam quo ſitu hodiè opidum, vulgari vocabulo *Ochula*, aliquod veſtigium antiquæ illius Echetlæ nominis referre videtur. ubi, teſte Fazello *Decad. I lib. X*, antiquitatis mira conſpiciuntur monumenta.

Erbeſſus opidum.

XX. Memoratur præterea circa Syracuſanum agrum ὁ Ἐρβησσὸς πόλις, ERBESSUS *opidum*. Verum hoc nomine duo fuerunt in Siciliâ opida; quorum alterum fuit ſupra Agrigentum: incertum eſt, utrum eorum intellexerint Stephanus atq; Ptolemæus. quo-

rum

rum hic *Erbeſſum* inter Ennam & Cephaloedin collocat. Apud Stephanum gentilitium eſt Ἐρβησσῖνος, *Erbeſſinus*, auctore Philiſto. Et ſic apud Diodorum *lib. XIV* erant Ἐρβησσῖνοι, *Erbeſſini*; ubi nunc corrupta legitur vox Ἐρβισσῆνοι. atque is Erbeſſi in Syracuſanorum confinio intelligit opidanos. at Polybio *lib. I* Erbeſſi circa Agrigentum incolæ dicuntur Ἐρβησσεῖς, & ita Plinio, *lib. III cap. VIII*, *Herbenſes*. ſed hi incertum ab utro opido. Sine adſpiratione ſcribendum cenſent plerique viri docti; quia à Græcâ voce ἔρεβος deductum videtur. At Plinius tamen, qui ordinem alphabeticum in recenſione Italiæ Siciliæque urbium ſequitur, inter ea refert vocabula, quæ ab adſpiratione incipiunt. *Palazólum* antiquorum eſſe Erbeſſum ex Livii hiſtoriâ *lib. XXIV* colligitur. & ſi à *ſpeluncis* nomen Erbeſſum habuiſſe contendas, apud Palazólum quoque *magnam* eſſe *ſpecuum multitudinem* teſtatur Fazellus *Decad. I lib. X.* Vetuſtiſſima ejus memoria eſt apud Diodorum *lib. XIV*, ubi tradit, *Dionyſium* Syracuſanorum tyrannum *cum Erbeſſinis pacem iniiſſe.* Factum hoc anno primo Olymp. xcvi, Phormione ſummum gerente magiſtratū Athenis. Haud dubiè Philiſtus quoq; hanc literis mandavit hiſtoriam. Heic verò non illum in Agrigentinorum confinio, ſed hunc apud Anapi fonteis Erbeſſum intelligi, patet ex hiſtoriâ, quam Diodorus in fine *lib. XIII* habet. Hinc ſub initium *lib. XIV* ejuſdem Diodori, Erbeſſi urbis obſidio, Syracuſanorum defectio, pugnæ inde Dionyſii cum Syracuſanis; moxque bellum cum Carthaginienſibus: ac tandem pax & amicitia cum Agyrinenſibus, Centuripinis, & Erbeſſenſibus, reliquiſque civitatibus narrantur. Ex

Dd duo-

duobus igitur documentis perſpicitur, Erbeſſum heic intelligi in Syracuſani agri confinio: primùm, quia primam eam à Syracuſis adgreſſus eſt urbem; quum reliqua Siciliæ vel ſub Carthaginienſium eſſent ditione, vel ſui juris. tum; quia ab Erbeſſo profecti Syracuſani milites in Epipolis caſtra poſuerunt. Cæterùm ex hactenus allatis, haud infimæ ſortis tunc fuiſſe civitatem, claré patet.

Adryx Meruſiũ, & Talaria opida. XXI. In Syracuſano memorantur agro Stephani epitomatori opida Ἄδρυξ, Μερύσιον, Ταλαρία, ADRYX, MERUSIUM, TALARIA. *Adryx* eidem eſt generis maſculini, & gentilitium inde Ἀδρυχῖνος, *Adrycinus. Meruſium* diſtare idem dicit à Syracuſis ſtadia LXX, id eſt, millia paſſuum ferè IX. incolæ inde dicuntur Μερύσιοι, *Meruſii. A Talariâ* gentilitium eſt Ταλαρῖνος, *Talarinus*. At Plinio *lib. III cap. VIII* dicuntur inter mediterraneos populos *Talarienſes*. Quo ſitu fuerit Talaria cum reliquis duobus opidis, planè incertum eſt, quando nulla alia eorum exſtat memoria.

Mactorium opidum. XXII. Circa Gelenſem agrum fuit Μακτώριον πόλις, MACTORIUM opidum perantiquum. Gentilitium apud Stephanum inde eſt Μακτωρῖνος, *Mactorinus*. Meminit ejus Herodotus *lib. VII.* Aretius id ait eſſe opidum, quod vulgò hodiè dicitur *Mazarino*.

Ruinæ apud Buterium opidum ab antiqui Mactatorii ſitu minimè abhorrent.

Cap.

CAP. XI.

Maro mons. Gemelli colles. Nebrodes mons.

Engyium & Petra, opida. Piciniana & Comitiana, incertæ conditionis loca. Erbeſſus urbs. Fons, cui oleum innatat. Vulcanius & Gonius montes. Sal Agrigentinus. Scaturigines terram evomentes. Conchius lacus. Motyum caſtellum. Antyra, & Coryrga, opida.

I.

ULtra Himeram ſive Salſum amnem ingens montium jugum à fonte Alæſi & Heræis montibus ad opidum uſque, cui vulgare nunc vocabulum *Muſumeni*, ſive *Muſumeli*, protenſum, vulgari nunc adpellatione incolis dicitur, *Madonia*, ſeu *Madunia*. Antiquum ejus nomen apud Plinium *lib. III cap. VIII* & in *Martyrologio* Maurolyci eſt MARO *mons*. quibus locis etiam memorantur GEMELLI COLLES, inter ſeptemtrionalis Himeræ fontem & Maronem montem protenſi, vulgò nunc dicuntur *Monte di Mele*; antiqui illius nominis haud exiguas ſervantes reliquias. Cæterò omne hoc Maronis Gemellorumque montium jugum alio nomine Silio *lib. XIV*; Solino *cap. XI*, & Gratio in Κυνηγετικῷ dicitur *Nebrodes mons*; Straboni τὰ Νεβρώδη ὄρη, id eſt, *Nebrodes* montes. Silius utriuſque Himeræ fontes ad Nebrodem ponit; unde adparet, non tantùm eâ parte, quâ in Thuſcum prominent mare, dictos fuiſſe Nebrodes monteis; ſed nomen hoc ultra medium etiam inſulæ verſùs mare Africum ad fonteis uſque Acraganteis & Halyci amnium extenſum fuiſſe.

Maro mons.

Gemelli colles.

Nebrodes mons.

II. Ad initium Maronis montis, quà is He-

raxis circa Alæſi fontem jungitur jugis, opidum olim erat, Ἐγγύιον, ENGYIUM, ſive Latino ore *Enguium* dictum. unde opidani Græcis Ἐγγυῖνοι, *Engyini*, Latinis *Enguini*, vocabantur. Ex Diodori *lib. XVI* ſimulque ex vocabuli ſimilitudine, haud vana fit conjectatio, *Engyium* fuiſſe eo ſitu, quo divi Benedicti cœnobium conſpicitur inter ruinas *Gangii*, Herbitæ contermi-num. Idem Diodorus *lib. IV* de Cretenſibus narrat, qui cum Minoë rege, Dædalum perſequente in Siciliam navigaſſent; eorum alios, occiſo per dolum Minoë, Heracleam Monoam in litore Agrigentino condidiſſe; alios in mediterranea progreſſos, *Engyium*; ac deinde opibus auctos exſtruxiſſe templum *Matribus diis*. Idem opidum & templum memorat Plutarchus *in Marcello*. Quæ verò his adpellantur *Matres deæ*, Ciceroni *in Verrina IV* dicitur *Mater Magna*. Et *Verrinâ V* vocatur *Mater Idæa*. Quæ autem iſta ſit *Mater Idæa*, in Germaniæ antiquæ opere, *lib. I cap. XXVII* docetur.

Enguium opidum.

Matres deæ Mater magna.

III. A Gangio verſùs occaſum Solis opidum in edito colle ſitum, vulgò adpellatur incolis *Petraglia*: in diplomate Rogerii Normanni *Petra Helia*. Antiquis temporibus dicebatur nudè Πέτρα πόλις, PETRA *opidum*: unde opidum ſunt Diodoro *lib. XIII*, Πετρῖνοι, & Ciceroni *Verrinâ III* ac Plinio *lib. III cap. VIII Petrini*: Solino autem *cap. XI Petrenſes*. Petragliam eſſe antiquam iſtam *Petram* ex Antonini patet Itinerario. *Piciniana* verò & *Comitiana*, quæ heic Itinerario memorantur, quo ſitu fuerint, incertum eſt.

Petra opidum.

IV. Supra Agrigentum inter Acragantem Halycumque amneis opidum fuit celebre ὁ Ἐρβησσός, ERBESSUS, ſive *Herbeſſus*. Opidani inde ſunt Dio-doro

Erbeſſus opidum.

doro *lib. XX* ac Stephano Ἐρβησσῖνοι, *Erbeſſini:* at Polybio *lib. I.* Ἐρβησσεῖς. Plinio *lib. III cap. VIII Herbeſſenſes.* Ex Polybii deſcriptione Erbeſſus urbs fuiſſe deprehenditur ſupra Agrigentum. Eſt hodiè apud lævam Halyci ſive Platani amnis ripam opidulum vulgari vocabulo *Le Grotte*, quod *vetuſti nominis rationem Graecâ etymologiâ ad ſpeluncas, quas Siculi Gruttas hodiè vocant, non abſurdè refert.* Fazellus *Decad. I, lib. X.*

V. Dioſcorides *lib. I cap. C* ita ſcribit: *Gignitur & pingue liquoris oleacei in Agragantino Siciliæ agro, fontibus innatans, quo ad lucernas utuntur olei vice, Siculum id vocantes oleum per errorem; quum ſit liquidi bituminis ſpecies.* Meminêre ejus præterea Plinius *lib. XXXV, cap. XV*, Solinus *cap. XI*, Athenæus *lib. II*, & Ariſtoteles *in Mirandis.* Idem videtur eſſe fons, de quo ita Fazellus ſcribit, *Decad. I, lib. X: Non procul à Bivona eſt fons oleo ſcatens; à quo nomen habet. Mons excelſus Bivonæ ſupereminet, à roſis adpellatus, herbis ſuis præcipuam eamq; ingentem virtutem præſtans: quas herbilegi, undique confluentes adfatim, vel brutorum ſaluti, vel hominum valetudini accommodas decerpunt ac colligunt.* Nempe hic eſt trans Halycum *Gonius mons*; quem Ariſtoteles deſcribit. Prope autem, apud eundem fontem, cujus oleo hodiéque utuntur ad ovium jumentorumque ſcabiem, fuit & *Vulcanius collis*, ſive *ſaxum nativum* eidem Ariſtoteli ac Solino memoratum. quod & ipſum quia priſcam naturam non ampliùs ſervat, & ob id ignoratur. Fazellus id extra Agrigentinæ urbis mœnia collocavit; eo ſcilicet ſitu, ubi nunc templum eſt, divæ Mariæ à Monte ſerrato dicatum.

Fons cui oleum innatat.

Gonius mons.

Vulcanius collis.

VI. Ab Agrigento ad aquilonem IV paſſuum mil-

Scaturi-

gines terram evomentes. libus abeſt ager, cui *Maharuca* Saracenicè hodiè nomen eſt, culturæ minimè idoneus. ejus enim facies tota propè cinerulenta eſt. Heic limoſas ſcaturigineis, utpote aquam cineri permixtam, ex pluribus faucibus perpetuâ evomit rejectatione, ſolo nunquam deficiente; ut Solinus prodidit *cap. XI.* Singulis ferè luſtris locus iſte furit, &, cœli tempeſtate ſubortâ, præmiſſoque fragore maximo, ac denſo nimbo, tanta hujuſcemodi luti cinerumque moles exinde effluit, ut telluris ſolum ad VI ferè cubitorum altitudinem excreſcat, Fazellus *Decad. I lib. I cap. V & lib. VI cap. I.*

Concheus lacus. VII. In Sicaniâ poſteriori, extra duos Himeras amneis à Lycophrone memorata eſt *Conchea aqua*, τὸ Κογχείας ὕδωρ. Haud dubiè fuerit ſive fons ſive ſtagnum in primis Siciliæ nobilis. ΚΟΓΧΕΙΑ ΛΙΜΝΗ, id eſt, CONCHEUM STAGNUM videtur id eſſe, quod deſcribit Fazellus *Decad. I lib. VI, cap. I*, in hunc modum; *Inter Agrigentum & Bivonam, lacus eſt ſulphureus, Biſſana vulgò dictus, centum fermè paſſus habens in ambitu, immenſus. in quo crateres duo, viciſſim ad trium cubitorum altitudinē aquas perpetuo emittentes.* Hic lacus haud dubium eſt, quin magnæ olim fuerit admirationis juxta ac religionis famæque apud exteras genteis. Cæterò apud Solinum *cap. XI* hæc leguntur: *Stagnum Petrenſium ſerpentibus noxium* eſt, *homini ſalutare.* Apud

Petrenſiū ſtagnum. Petrinorum Petram, quæ vulgò nunc dicitur *Petraglia*, nullum hodiè reperitur ſtagnum. Itaque ſuſpicari licuerit, hoc *Conchéum ſtagnum* idem illud eſſe Petrenſium; ab aliâ ſcilicet urbe *Petrâ*, haud procul ſitâ, cognominatum. eſt quidpe hodiè *Petra arx* eodem

tra-

tractu, tribus paſſuum millibus à Bivonâ diſſita, certi tamen in re tam ambiguâ nihil adfirmari poteſt.

VIII. In Agrigentino agro fuit etiam τὸ Μότυον φρούριον, MOTYUM caſtellum: cuius meminit Diodorus *lib. XI.* *Motyum caſtellum*

IX. Cæterò Ἄγκυρα, ANCYRÆ opidum ex Ptolemæi poſitione circa Agrigentum, & Heracleam eo fuiſſe videtur ſitu; quo ſupra Heracleam VII millia paſſuum primæ conſpiciuntur antiqui opidi ruinæ. Memoratur Diodoro *lib. XIV.* opidani Græcis dicebantur Ἀγκυραῖοι, *Ancyrai.* qui latino ore formabuntur *Ancyrenſes*; vel *Ancyrani.* *Ancyra opidum.*

X. Alteræ verò ruinæ, ad dextram Platani ripam ſitæ, an reliquiæ ſint opidi, quod hoc terrarum tractu locat Ptolemæus, nomine Κότυργα, COTYRGA, haud facilè quis dixerit. quamquàm duo opida tam vicina inter ſe fuiſſe, minimè veri eſt ſimile. *Cotyrga opidum.*

CAP. XII.

Triocala & Scirthaa, opida. Adrano vicus. Opida, Macella, Elcethium, Legum. Entella, & Halicya, urbes. Jeta, Schera, & Longaricum, opida. Ad Oliwam & Pirina, loca incertæ conditionis. Opida, Morgyna, Paropus, Ameſtratus ſive Mutiſtratum, Nomæ, Apollonia, Noa, Abacænum. Myconius mons.

I.

ISburgus fluvius vulgari nunc adpellatione adcolis dicitur *Fiume di Calta bellotta.* Ab hujus oſtio in ſeptentrioneis verſus *opidū* fuit in mediterraneo Τριόκαλα, TRIOCALA, unde opidani ſunt Plinio *lib. III* *Triocala opidum.*

cap.

cap. VIII, *Triccalini*. Nomen id traxit opidum ἀπὸ τριῶν τῶν καλῶν, id eſt, *à tribus pulcris*; teſte Diodoro, *in Legationum excerptis ex lib. XXXVI.* Apud Stephanum opidum id dicitur Τείκαλον, *Tricalum*; unde eidem, & Ciceroni *in Verrinâ V* opidani dicuntur Τειχαλῖνοι, *Tricalini*. Eſt autem Stephano *Tricalum* & *Tricala* generis neutri. *Tria pulcra*, à quibus opidum denominatum, teſte Diodoro fuêre hæc: *Primùm aquis fontanis eximiâ dulcedinis abundat. dein agros habet adjacenteis vinetorum olivetorumque plantationi ac frugum culturæ mirum in modum idoneos, tertiò locus tam firmus eſt, uti nihil ſuprà: utpote magnâ rupe atque inexpugnabili à naturâ inſtructus &c.* Salvius ſive Tryphon fugitivorum dux hoc opidum olim condidit; meminit quidpe olim ejus Philiſtus, apud Stephanum ampliavit, & regale palatium ibidem exſtruxit. Sed bello iſto ſervili à Romanis vaſtatum fuit. Cicero, Diodorus. Cæterùm Fazellus *Decad. I, lib. X* ita ſcribit: *Villafrancæ opidulo ad occidentem montes excelſi ac ardui ad III paſſuum millia inſurgunt: ad quorum verticem Caltabellotam ſupereminet opidum: & paullo inferiùs ad paſſus mille, ad angulum ejuſdem montis meridionalem, in loco, ubi hodiè ædis eſt divæ Mariæ à Monte virgineo, Triocala vetuſta olim urbs ſita erat, initio belli ſervilis clara. Exſtincto bello ſervili, à Romanis funditus eſt deleta: ſed rurſus poſteà habitata. Inſignis eſt reddita victoriâ, quam Rogerius Normannus, Siciliæ comes, contra Saracenos in eo loco adeptus eſt. In cujus memoriam ibidem divo Georgio ædem ſacram, quæ adhuc exſtat, magnificè ſtruxit. Vrbs verò ipſa prorſus jacet: veſtigiis tantùm ingentibus obrutis, & nomine, cognita.*

II. Eodem terrarum tractu opidulum eſt, vulgari

gari nunc vocabulo *Adragno* dictum. is locus idem haud dubiè eſt, qui olim dicebatur ὁ Ἀδράνων κώμη, ADRANO *vicus.* Eum Romani non potuerunt expugnare; referentibus *Legationum excerptis è* Diodori *lib. XXIII.*

Adrano vicus.

Macella opidum.

III. Μάκελλα πόλις, MACELLA *opidum*, Diodoro dicto jam loco & Polybio *lib. I* memoratum fuit inter Aegeſtam & Thermas. Fuiſſe videtur id opidum, quod Saraceni poſteà occupantes mutato nomine dixerunt *Calta Buſamar:* cujus hodiè cerni veſtigia, teſtatur Fazellus *Decad. I lib. X.* Munitiſſimum fuiſſe locum, cùm ex Polybii hiſtoriâ, tum ex inſcriptione patet antiquâ.

Elcethium opidum.

IV. Sed ad meridionalia inſulæ revertamur. Ptolemæo extremum verſùs Lilybæum promontorium in meridionalibus mediterraneis ponitur opidum Ἐλκέθιον, ELCETHIUM. à quo opidani videntur eſſe apud Plinium, *lib. III cap. VIII Elcetenſes.* Eſt hodiè inter Mazaram opidum & Belicem amnem opidum vulgari vocabulo *Caſtro Veterano.* Id quidem ipſo nomine antiquitatem ſuam profitetur; ſed incertum eſt, an ſit vetus illud *Elcethium.*

Legum opidum.

V. Proximè Elcethium eidem Ptolemæo verſus ortum locatur opidum Λῆγον, LEGUM. id fortè fuerit opidum, quod eodem tractu vulgò nunc vocatur *Mocharta*; ubi ingentes conſpiciuntur ruinæ, teſte Fazello, *in fine lib. X Decad. I.*

Entella urbs.

VI. Interiùs verſùs ſeptemtrioneis antiquiſſimum fuit opidum Ἔντελλα, ENTELLA, multis auctoribus memoratum. unde opidani ſunt Ciceroni *in Verrinâ III*, & Plinio *lib. III cap. VIII. Entellini:* & eâdem

formatione Diodoro *lib XVI*, ac Stephano, Ἐντέλλινοι. Erat autem *Entella* apud Crimiſum amnem (qui Panormitanorum agro propter Ietum & Calatraſin ad Hypſæ dextram ripam defluit) *in monte ejuſdem nominis quem præciſa undique & inacceſſa rupes & unicus tantum aditus, parvi præſidii indigus, naturâ munitiſſimum reddunt: qui ſummitate planitiem habet, ambitus paſſuum millium ferè IV, perviam & cultura aptiſſimam. In ea hac urbs Entella fuit. Probatiſſimi vini nomine à Strabone commendatur. Hodiè verò, agris ejus in frumenti ſegetem converſis, vini commendationem prorſus amiſit. Urbs ipſa à Friderico II Cæſare, Saracenis, qui eam unà cum Jato novarum rerum ſtudio quaſi pro ſeditionis munimine occupaverant, in Nuceriam unà cum Jetenſibus relegatis, funditus deleta, penitus jacet, cujus, arciſque etiam, quæ ſpeculæ ſpeciem referebat, ſemidiruta veſtigia tantùm, ſparſim projecta, conſpiciuntur; reliquâ incolatus parte equis bobuſque relictâ. Mons tamen ipſe, ac proſtrata urbs, Entellæ adhuc nomine veteri gaudent.* Conditorem hujus urbis alii fecerunt Aegeſtum ſive Aceſtum (variè quidpe eius nomen ab auctoribus formatum fuit) qui Aegeſtam quoque & Erycem condidiſſe fertur: alii hujus ſocium Elymum Trojanorum principem. Lycophron. Tzetzes. Silius *lib. XIV*. Servius *ad Aeneid. lib. V*. Silius tamen diſertè Entellæ auctorem facit Aceſtem. *Entella* quidpe *dictum* ei erat *nomen*, quia ex uxoris dilectæ nomine urbi inditum; ut diſertiſſimis verbis tradit ex antiquiſſimis haud dubiè hiſtoriis Tzetzes. Verùm quidquid de conditore hujus urbis credere libeat, antiquitas ſane eius ſumma inde adparet, quod origo ejus ad Troiana referatur tempora. Porrò Stephanus Entellæ incolas

las ſcribit fuiſſe Campanos, Carthaginienſium ſocios. Horum Campanorum frequens eſt mentio apud Diodorum *lib. XIII, XIV, & XVI. Campanos* iſtos *Chalcidenſes ad belli operam contra Syracuſanos ſtipendiis ſuis conduxerant Athenienſibus. at poſt cladem illis afflictam Carthaginienſes omnibus equos emerunt, & ſtipendiis numeratis præſidium hoc Aegeſtæ collocarunt*: Diodorus *lib. XIII.* Factum hoc anno tertio Olymp. XCII; ſummum Athenis magiſtratum gerente Glaucippo. Militaverunt poſteà variis expeditionibus in Siciliâ: ac tandem etiam Dionyſio, Syracuſanorum tyranno, contra ipſos Syracuſanos; ut auctor eſt idem Diodorus *lib. XIV:* Eo bello finito *Campanos Dionyſius à ſe dimiſit; quòd mutabili eorum ingenio fidendum non exiſtimaret. Hi tum Entellam profecti, perſuaſis civibus, ut inquilinorum jus ſibi concederent; noctu per inſidias oppreſſos, quotquot pueritiæ annos exceſſerant, contrucidarunt: uxoribus illorum in matrimonium adſcitis, urbis poſſeſſionem ſibi uſurparunt.* Factum hoc anno II, Olymp. XCIV; ſummum gerente Athenis magiſtratum Euclide. Atque fraus iſta Campanis erat uſitatiſſima. ſic quidpe anno IV Olymp. LXXXIX, quum pars adhuc eſſent in Italiâ Samnitum, Vulturnum urbem occuparunt; quam à campo, in quo ſita, adpellarunt *Campuam*, & ſe ipſos Campanos, regionemque Campaniam. Sic poſtmodò Rhegium, ex adverſo Siciliæ; ac mox in ipsâ Siciliâ Meſſanam ſuæ fecerunt poſſeſſionis. Cæterùm manſiſſe tum etiam in Carthaginienſium fide ac ſocietate Campanos Entellinos, quum Sicani territi Dionyſio ſe adplicarent, ac quinque has urbes perſtitiſſe in fide Carthaginenſium; *Ancyras ſcilicet, Soluntem, Aegeſtam, Panormum & Entellam,*

docet eodem libro Dionyſius. Factum hoc v anno poſt, quam Campani Entellam occupaſſent. Triceſimo anno pòſt, Nauſigene Athenis ſummum obtinente magiſtratum, eam ſubegit Dionyſius: quo anno ipſe ſupremum diem obiit; teſte Diodoro *lib. XV.* In quorum poſthinc fuerint poteſtate, aut an liberi fuerint, incertum eſt; quando nullam eorum facit mentionem Diodorus, donec *lib. XVI*, ſub ſummo Athenienſium prætore Eubulo, iterum eorum urbem expugnaſſe Carthaginienſeis, ac mox III pòſt anno Timoleontem in libertatem vindicaſſe, tradat. Sed poſterioribus quoque temporibus, modò Carthaginienſes, modo Romani eam habuêre: donec hi totâ inſulâ potiti ſunt.

Halicyæ urbs. VII. Inter Entellam & Lilybæum fuit opidum, cui vocabulum pluralis numeri Ἁλικύαι, HALICYÆ Stephano dicitur, & inde opidani eidem & Diodoro Ἁλικυαῖοι, *Halicyæi*: at Latinâ formatione Ciceroni *in Verrinis*, ac Plinio *lib. III cap. VIII Halicyenſes.* Inter Entellæ ruinas & Lilybæum, quo tractu Stephanus Halicyas collocat, etiam nunc celebre opidum vulgari vocabulo dicitur *Salemi*: quod antiquum illud nomen Ἁλικύαι in vulgarem linguam converſum gerit. *Sal* quidpe Græcis dicitur ἅλς· unde eſt ἁλυκὸς, *ſalſus.* & quia eadem vox ἅλς *mare* etiam à *ſalſedine* ſignificat quod & Latinis eadem ratione dicitur *ſalum*: derivativum inde eſt Græcis ἁλικὸς, quod *marinum* ſive *maritimum* Latini exponunt. id ipſum fortè olim idem ſignificavit, quod ἁλυκὸς, id eſt, *ſalſus.* unde opidum iſtud dictum Ἁλικύαι· quod rectè etiam dictum fuerit Ἁλυκύαι. Accedit rei argumentum. quidpe ad opidum

Sale-

Salemi fontes ſunt amnis ſalſi, qui ſuperiore ſui parte eodem eſt cum opido nomine; circa oſtium verò *Fiume di Rene* vocatur: à quo amne opido nomen quæſitum. De cætero haud poſtremi fuiſſe momenti Halicyenſium civitatem, perſpicitur ex Diodori *lib. XIV*, quo Halicyenſes ſocietatem memorantur iniiſſe cum Dionyſio; ac deinde cum Carthaginienſibus. Pyrrho poſteà ſe adjunxerunt, referentibus *Legationum excerptis ex lib. XXII* Diodori; Eademque *Excerpta ex lib. XXIII* tradunt, Halicyenſes demum ad Romanos inclinaſſe. Cicero *in Verrina III* Halicyas refert inter Siciliæ civitateis, quæ immunes ſint, ac liberæ ſine fœdere.

VIII. Supra Entellam verſùs aquilonem apud *Jeta opidum.*
eamdem Crimiſi amnis dextram ripam opidum vulgari nunc vocabulo *Jato*, olim dicebatur αἱ Ἰεταὶ, JETÆ, plurali numero; & ſingulari item numero ὁ Ἰέτας, JETAS; Gentilitium apud Stephanum inde eſt Ἰεταῖος καὶ Ἰεταία, *Jetaus & Jetaa*. At Latino ore *Jetenſes* erant Plinio *lib. III cap. VIII*. In *Legationum excerptis ex* Diodori *lib. XXIII* ſunt Ἰεῖνοι, *Jetini*. Apud Silium *lib. XIV* eſt *celſus Jetas*. Id *opidum hodie Jatum dictum in editiſſimo & undique prarupto monte ſitum eſt, in magnâ quidem aquarum indigentiâ munitiſſimum & ingens; cujuſque vix unus & is arduus ac peracclivis eſt aditus*; teſte Fazello *Decad. I lib. X.*

IX. Suprà Jetas inter Crimiſum Hypſamque amneis, ſed propius hunc, opidum eſt hodiè dives at- *Schera*
que celebre vulgò *Coriglione* vocatum. Id an antiqua *opidum.*
ſit Σχῆρα SCHERA, unde *Scherini* ſunt Plinio *lib. III cap. VIII*, incertum eſt. *Locarium*

X. *Locaricum*, ſive *Longaricum* opidum Anto- *ſive Lon-*

garium opidum.

nino memoratum, fuit è regione Aquarum Segeſtanorum, interius in mediterranea progredientibus. Eſt hodiè opidum, III haud ampliùs ab dictis Aquis millia diſſitum, vulgari vocabulo *Calta Fimi*; à quo haud procul ingentis templi antiqui columnæ etiam nunc erectæ conſpiciuntur, CIↃIↃ circiter paſſus ab ſiniſtra parte viæ, qua Alcano itur Drepana. His verò templi veteris reliquiis mons imminet, vulgò S. Bonifacii cognominatus. in cujus vertice urbis dirutæ nuper videbantur veſtigia, Aretio teſte. Has igitur ruinas eſſe antiqui illius opidi Longarici, ſitus indicat.

Ad Olivam locum.

XI. AD OLIVAM locum Antonino heic memoratum longè interiùs fuiſſe, patet ex intervallis, quæ ducunt verſùs ſuprà expoſiti opidi Salemi tractum. quo adverſo flumine Simoënte, quem nunc vulgo S. Bartholomæi dicunt, adſcenditur. Iuxta quem ſitum eſt prædictum opidum *Calta Fimi*. Ac feraciſſimus ſane eſt frugiferarum arborum, maximè verò olearum, ager Salemitanus.

Pirina locus.

XII. PIRINA illa Antonino heic quoque memorata nullis hodiè cognoſcuntur veſtigiis. Fuiſſe autem ex intervallis deprehenduntur circa opidum, cui vulgare vocabulum *Cattamo*.

Morgum opidum.

XIII. Ab opido Cattamo verſùs meridiem adeſt ad Himeram fluvium, vulgari vocabulo *Margana* dicta: quæ an ruinis antiqui opidi, quod apud Stephanum Μοργύνη, MORGYNA, ſuperſtructa fuerit, incertum eſt.

Paropus opidum.

XIV. Circa Thermas Himerenſeis opidum memoratur Polybio Πάρωπος, PAROPUS. unde opidani Plinio *lib. III cap. VIII* inter mediterraneos nominan-

nantur *Paropini*. Eſt hodiè opidum vulgari vocabulo *Caliſano*, XII circiter à Thermis, V a litore millia paſſuum diſtans. cui teſte Fazello *Decad. I lib. X ad occidentem collis incubat; ubi diruti opiduli cadaver viſitur; è cujus reliquiis Caliſanum conditum, opidani prædicant.* Has Parôpi veteris fuiſſe reliquias ex ſitu adparet. Inter Parôpum & Thermas Himerenſeis Amilcar IV millia ſociorum Romanorum quum orta de principe loco in præliis contentione, ſeparatim caſtra metarentur, cæcidit: Polybius *lib. I.*

XV. Ultra Parôpum circa Alæſum amnem, qui nunc vulgò *Petimo* dicitur, opidum eſt vulgari vocabulo *Miſtretta*: de quo ita Fazellus, *Decad. I, lib. X: Miſiſtratum Polybio lib. I eſt pervetuſtum opidum, Ameſtrata Ciceroni & Plinio dictum; cujus nomen adhuc ædis ibi divæ Catharinæ retinet: hodiè verò Miſtretta adpellatur. Vetuſti opidi circa montem plura ſpectantur monumenta, & arx vetuſtiſſima.* Antiquum ejus vocabulum eſt apud Polybium *lib. I*, Diodorum *lib. XXIII* & Stephanum Μυτίϛρατον, MYTISTRATUM; & apud Zonaram *tom. II* Μυτίϛρατον, MUTISTRATUM: unde apud Plinium *lib. III cap. VIII* opidani ſunt in variis exemplaribus, *Myſtiſtratini*, *Mutiſtratini*, & *Mutuſtratini*. qui Stephano formati ſunt Μυτιϛρατῖνοι, *Mytiſtratini*. Philiſto verò ipſa urbs feminino genere dicta fuit Μυτίϛρατα, *Mytiſtrata*; & inde opidani Μυτιϛρατῖνοι, *Mytiſtratini*. Ciceroni *in Verrinis* ſunt *Ameſtratini*: ab opidi vocabulo, quod Apollodoro apud Stephanum eſt Ἀμήϛρατος, *Ameſtratus*. unde opidani Græcè etiam dicti Ἀμηϛρατῖνοι. Silio *lib. XIV* fortè metri cauſsâ opidum decurtato vocabulo dicitur *Amaſtra*. Fuit munita urbs, quam Romani

Ameſtratus opidū, quod eſt Mutiſtratum.

mani tertio obſeſſam ceperunt, opidaniſque conciſis aut captis incenderunt. Polybius. Zonaras. Poſteriori tempore tenue fuit opidum; unde Cicero *Verrinâ III Ameſtratinos homines* adpellat *tenues*.

Nomæ opidum. XVI. Propè Ameſtratum aliud fuit opidum, Νωμαὶ, NOMÆ dictum; ut ex Silii *lib. XIV* colligitur. Verùm quo ſitu id opidum fuerit, planè non liquet.

Apollonia opidum. XVII. Eodem terrarum tractu ſupra Calactam & Aluntium in mediterraneo fuit opidum Ἀπολλωνία APOLLONIA; unde opidani ſunt Ciceroni, *in Verrinis III & V*, *Apollonienſes*: qui Græcis erant Ἀπολλωνιᾶται & Ἀπολλωνιᾶται, teſte Stephani epitomatore in dictione Ἀπολλωνία: ubi complureis per Orbem terrarum ejus nominis urbeis recenſet. Apollonienſium memoria vetuſtiſſima eſt. Apud Diodorum *lib. XVI* memoratur Timoleon Apolloniam quoque tyranno Leptine ex Engyo pulſo, in fidem recepiſſe, civibuſque jus & leges reddidiſſe. Factum hoc anno III Olymp. CIX; ſummum Athenis magiſtratum gerente Soſigene. Idem Diodorus *lib. XX* tradit, Agathoclem Apolloniam urbem cum magnâ ſuorum jacturâ oppugnaſſe, eâque captà, civeis pleroſque mactaſſe, & bona eorum direptioni tradidiſſe.

Galata opidum. XVIII. Ultra Apolloniam & Roſmarinum flumen ad Fitaliæ amnis fontem opidum vulgò hodiè dicitur *Galati*. Id antiquitùs, adpellabatur Γαλατὶ GALATA. unde opidani apud Plinium *lib. III cap. VIII* leguntur *Galatani*, & *Galatheni*, pro genuino *Galatini*.

Noæ opidum. XIX. Ultra Galaten, inter Cautaram, & Oliverium amneis; qua Neptunio ſeu Peloro monti junguntur Heræa ſive Junonia juga, opidum vulgari

nunc

nunc eſt vocabulo *Noara*. Id nomine ſuo memoriam ſervare videtur antiqui opidi, quod Stephano, Suidæ & Favorino dicitur Νόαι, NOÆ: atque inde opidani iiſdem Νοαῖοι, *Noæi*: qui Plinio *lib. III cap. VIII* ſunt *Noani*. rectè etiam dicerentur *Noenſes*.

Abacænum opidum.

XX. Infra Noaram, verſùs litus & oſtium Oliverii amnis contendenti occurrit opidum vulgari vocabulo *Tripi*. de hoc ita tradit Fazellus, *Decad. I, lib. IX, cap. VII: Furnaris opidulum, ad paſſuum millia duo ab Oliverio fluvio & paulluſper a litore recedens exſtat. cui interiùs ad paſſuum millia III incubat in edito undiquaque prærupto monte Tripis opidum. infra hujus autem mœnia magnæ urbis, &, ut apparet, vetuſtiſſimæ, magnique ambitus, ſed uſque ad fundamenta dirutæ, veſtigia, lapides quadrati, columnæ jacentes, & arces proſtratæ, cernuntur.* Hoc antiquum creditur ABACÆNUM; quod Græcis auctoribus ſcribitur Ἀβακαῖον, & uni Ptolemæo Ἀβάκαινα, *Abacæna*. Gentilitium apud Stephanum eſt Ἀβακαινῖνος, *Abacæninus*. Diodorus *lib. XIV* tradit, Magonem Carthaginienſium ducem, apud Abacænum opidum, fœdere ſibi junctum, caſtra poſuiſſe. Factum hoc Olymp. XCVI anno IV, Athenis ſummum magiſtratum gerente Demeſtrato. Sed agri Abacæni memoria eodem libro biennio antiquior adnotata eſt, Phormione Athenis ſummum gerente magiſtratum. Inter celebrioreis orientalis inſulę civitateis computantur Abacænini tum ad Amilcarem deficientes. Stephano & Diodoro *lib XIX*. Hieronem ab Abacæninis propensè acceptum referunt *Excerpta legat. ex lib. XXII*. Sed & anteà Abacænum opidúm conterminum facit Mylis, Meſſanenſium caſtello, idem Diodorus *lib. XIX*; quo

ſcribitur Agathocles ad Abacænium opidum profe-
ctus quoſdam illic, qui ſibi adverſarii viſi, jugulaſſe.

Myconius mons. XXI. MYCONIUS *mons* Appiano *Civil. bell. lib. V* memoratus, vertex quidam fuit in jugis Pelori ſeu Neptunii montis, inter Meſſanam, Pelorum & Naulochum, à ſiniſtrâ parte faucium Mylenſium, ſeu viæ, qua Mylis itur Meſſanam. namque exercitu à Meſſanâ adducto, caſtra Pompeius ad Naulochum oppoſuit caſtris Cæſaris; qui apud Dianæ Facelinæ templum erat. Cæſar heic memoratur à viâ aberraſſe περὶ ὄρος τὸ Μυκόνιον, *circa montem Myconium.* Cæterum pro mendoſo vocabulo Παλαιστηνοὺς, qui nulli in Siciliâ fuere, hoc Appiani loco, reponendum eſſe genuinum Ἀβακαινίνους, hiſtoriæ & chorographiæ filum diſertè indicat.

CAP. XIII.

Callipolis, Euboea, Tiracia, Tyracina, Ancylium, opida. Cabala, Cronium loca. Opida, Arbela, Tabæ, Indara, Craſtus, Hippana. Opida incerti ſitus. Numerus univerſarum inſulæ urbium.

I.

Callipolis & Eubœa opida. HActenus totius inſulæ Siciliæ antiquitates, quæ ex veterum monumentis in lucem erui potuerunt, expoſita ſunt. Nunc eorum locorum, quibus nulli certi ſitus diſpici poſſunt, memoria producatur. Marciano Heracleenſi atque Straboni *lib. VI* in mediterraneo memorantur urbes Καλλίπολις, CALLIPOLIS, & Εὔβοια, EVBOEA. quarum hujus Herodotus, illius Silius *lib. XIV*, ac Stephanus quoque meminerunt. Huic ab illo opidani ſunt Καλλιπο-

λιται.

λῖται, *Callipolitæ*. Sed Latinè *Callipolitani*; *ut Neapolitani &c.* Strabonis ætate opida illa non exſtitère. *Callipolin* autem condiderunt *Naxii*; *Eubœam Leontini*, Strabone teſte. Cæterùm Callipolin fuiſſe in orientali inſulæ latere, patet ex Herodoti *lib. VII*, quo Hippocrates Gelæ tyrannus traditur obſediſſe Callipolitanos. Huic Hippocrati per fraudem poſteà ſucceſſit iſte Gelo; qui mox Syracuſarum etiam urbe in poteſtatem redactâ, Camarinenſeis, & Megarenſeis in eam transtulit. Idem hoc fecit Gelo Eubœenſibus. Medio ferè itinere inter Gelæ & Anapi amnium fonteis, apud exortum fluminis, qui vulgò nunc vocatur *Drillo*, opidum eſt vulgari vocabulo *Licodia*, ubi miras eſſe vetuſtatis ruinas, veſtigiaque jacentis urbis antiquæ, teſtatur Fazellus *Decad. I lib. X.* Hæc urbs fortè antiqua illa fuerit *Eubœa*, Leontinorum colonia, neque enim ſitus, haud procul Teriæ, Leontinorum amnis, fonte, abhorret. *Callipolis* verò fortè exſtitit *ad Maſcalim*, ubi hodiè, Fazello teſte *Decad. I, lib. III cap. I*, plura veteris urbis jacentis cernuntur monumēta. Niſi heic fuerit *Bidium*, Taurominitani agri caſtellum. Bello Punico ſecundo adhuc exſtitit Callipolis, ſi Silio credimus,

II. Apud Diodorum *lib. XII* Siculorum urbs memoratur nomine Τρινακία, *Trinacia*. quod nomen, quum fuerit univerſæ inſulæ, corruptum videtur; ac fortè fuerit Τιρακία, TIRACIA: unde opidani apud Plinium *lib. III cap. VIII* leguntur *Tiracienſes*; qui Diodoro ſunt Τρινάκιοι, *Trinacii*, pro Τιράκιοι, *Tiracii*. A Syracuſanis urbs illa everſa fuit. Apud Stephanum eſt Siciliæ opidum Τυρακῖναι, TYRACINÆ. Id an idem ſit cum iſtâ *Trinaciâ* ſeu *Tiraciâ*, incertum eſt.

Tiracia urbs.

Tyracinæ opidum.

Gentilitia inde apud eumdem Stephanum ſunt Τυρακιναῖος, καὶ Τυρακιναία, *Tyracinaeus* & *Tyracinaea*. At Latinâ formatione *Tyracinenſis*; ut Ἀγυριναῖος, *Agyrinenſis*. Plinius inter ſtipendiarios populi Rom. connumerat ſuos Tiracienſeis. hi igitur ſi iidem fuêre, quos Diodorus innuit; opidum eorum poſt dictam everſionem inſtauratum fuit.

Ancylium opidum. III. In *Legationum excerptis* è Diodori *lib. XXXVI* legitur τῶν Ἀγκυλίων χώρα, *Ancylinorum regio* ſeu *ager*. Quo inſulae tractu fuerit haud facilè conjectu eſt. Fortè iſtius opidi nomen fuit Ἀγκύλιον, ANCYLIUM: & inde opidani Ἀγκύλιοι, *Ancylii*.

Cabala Cronium, loca. IV. Eidem Diodoro *lib. XV* duo memorantur incertae conditionis loca; quorum nomina erant τὰ Κάβαλα, CABALA, & τὸ Κρόνιον, CRONIUM, quibus nullus certus adſignari poteſt ſitus. *Cronii* Polyaenus quoque meminit *Strategem. lib. V*.

Arbela opidum. V. ARBELA opidum Silio *lib. XIV* memoratum, Graecis dicitur ἡ Ἀρβήλη, & αἱ Ἄρβελαι. At, quo ſitu fuerit, planè nihil liquet. Gentilitium apud Stephanum eſt Ἀρβελαῖος, *Arbelaeus*. Incolae ejus faciles fuerunt ad decipiendum: unde proverbium; *Quid non fies, Arbelas ſi te conferas?* Suidas.

Tabas opidum. VI. Eidem Silio memoratur opidum ὁ Τάβας, TABAS. Eſt hodiè Ennae, Aſſôro atq; Agyrio conterminũ caſtellum, vulgari vocabulo *Tavi*. Id eſſe antiquum opidum Tabam ſolâ nominis conjecturâ adſequi licet. Ac fortè etiam fuerit in plurali numero Τάβαι *Tabae*.

Indara. Craſtus, opida. VII. In occidentali inſulae parte opida memorantur Stephani epitomatori Ἴνδαρα, INDARA, & Κραστός, CRASTUS. Herodoto *lib. V* formatur ὁ Κρα-

ſτι-

ϛος, *Craſtis*. Memoratur etiam Suidæ. Ab *Indara* gentilitium apud Stephanum eſt Ἰνδαραῖος, *Indaraus* Ex Craſto opido, ut idem Stephanus ex Neanthe & Suidas tradunt, fuerunt *Epicharmus comicus* & *Lais meretrix*. Habuit enim opidum hoc formoſiſſimas mulieres. Opidanus inde apud Stephanum eſt Κρασῖνος, *Craſtinus*. Fuit autem Craſtus, ut ex Herodoto colligitur, in Sicanorum finibus circa Heracleam Minoam. Eſt hodiè hoc tractu in mediterraneis opidum vulgari vocabulo *Acriſtia*: quod niſi fuerit Scirrhæa Diodori, Craſtum putare licet. Cæterùm Laidem fuiſſe Hyccarenſem, plerique tradiderunt auctores.

VIII. Polybio *lib. I* & ex hujus monimentis Stephano quoq; memoratur opidum Ἵππανα, HIPPANA. Gentilitium inde eſt Ἱππανεύς, *Hippanenſis* Ex Polybio colligitur, id opidum fuiſſe inter Panormum & Myriſtratum. *Hippana opidum.*

IX. In legationum excerptis ex Diodori *lib. XIII* citantur opidani Ἠνναταρῖνοι, *Ennattarini*: ſed corrupto haud dubiè vocabulo. Idem Diodorus *lib. XX* memorat Γόργιον, *Gorgium* & Ἄμβικας *Ambicas* opidulum; incerto prorſus ſitu. Apud Plinium *lib. III cap. VIII* opidani inter mediterraneos leguntur *Edini*, ſive *Etini*, *Herbulenſes*, & *Semellitani*. quorum opida, quo ſitu fuerint, incertum eſt. Apud Stephani autem epitomatorem opida incertæ poſitionis leguntur iſta; *Abolla*, *Amatha*, *Argos*, *Atabyrum*, *Aterium*, *Aphanna*, *Eizelus*, *Elavia*, *Hexagyius*, *Jatia*, *Craſerium*, *Cydonia*, *Cupe*, *Lichindus*, *Longona*, *Megarſus*, *Miſcera*, *Nacone*, *Piacus*, *Rhybdus*, *Tarchia*, *Tertetia*, *Terone*. & item *regio Pelagonia*. At quia multa paſſim apud Stephani epitoma- *Opida incerti ſitus*

tomatorem corrupta ſunt vocabula; alia etiam è locis genuinis in longè alieniſſimas regioneis translata: de horum quoque nonnullis dubitare quis merito poſſit. huc accedit, quod Italiæ etiam magna pars iſto ſeculo Siciliæ nomine indigetabatur.

X. Atque hactenus Siciliæ inſulæ antiquitatem ex veterum monumentis eruiſſe ſufficiat. Quæ Carthaginienſes in eâ cum Græcis reliquiſque inſulæ incolis, quæ item Romani cum utriſque bella geſſerint, deſcripſit Thomas Fazellus *Sicul. rer. Decad. II.* Quum in Romanorum veniret inſula poteſtatem, Livius *lib. XXVI* tradit, opida inſulæ fuiſſe numero LXVI. At in *Excerptis legationum* è Diodori *lib. XXIII* memorantur LXVII; Syracuſæ tamen his non ſunt connumeratæ. Quænam verò tunc fuerint eo in numero civitates, haud facilè divinatu eſt. Poſterioribus etiam ſub Rom. imperio temporibus non defeciſſe earum numerum, patet ex Martiani Capellæ, *lib. VI.*

Vrbium Sicularũ numerus.

CAP. XIV.

Liparæorum inſulæ; quæ & Aeolia, & Vulcaniæ. item nonnullæ aliæ inſulæ, eidem ſeptemtrionali Siciliæ lateri objacentes.

I.

SIciliâ hactenus deſcriptâ, reſtat, uti de minoribus etiam inſulis, illi objacentibus, & quæ antiquitùs ei attributæ fuerunt, quædam dicantur. Septemtrionali Siciliæ lateri inſulæ objectæ ſunt complures numero: quarum celebrariſſimæ ſunt SEPTEM ÆOLI, ſive ÆOLIÆ; eædem LIPARÆORUM, ſive *Liparenſiũm*, à *Liparâ*, omnium maxima, & Ἡφαιστιάδες

Liparæorum inſulæ; quæ & Aeoli, & Vulcani.

Hephæ-

Hephæſtiades Græcis, Latinis ab eodem nominis argumento VULCANI ſive *Vulcaniæ* dictæ. Sed circa univerſarum numerum, ſingularumque vocabula haud levis etiam inter veteres diſcrepantia eſt auctores. cujus rei ratio haud dubiè eſt, quòd eodem tractu plures ſeptenario numero erant. Inter pleroſq; tamen eoſq; graviores auctoreis, Ariſtotelem, Marcianum Heracleenſem, Diodorum, Strabonem, Melam, Dionyſium, Plinium, Martianum Capellam, Solinum, Stephanum, Apollonii Scholiaſten de ſeptenario numero convenit. Iſidorus Orig. *lib. XIV, cap. VI* numero IX, & Servius modò VII modò novem fecit. Appianus verò quinque tantùm. Apud Ptolemæum longè plura leguntur heic inſularum nomina. Septem verò inſularum Aeoliarum, de quibus inter auctoreis convenit, nomina hæc ſunt: *Lipara*; anteà *Melogonis* vel *Meligunis* vocitata: altera *Theraſia*, nunc *Hiera*; quia ſacra Vulcano eſt; colle in eâ nocturnas evomente flammas, reliquis auctoribus rectiùs adpellatur *Thermeſſa*. tertia *Strongyle*; in quâ regnavit Aeolus. quarta *Didyme*. quinta *Ericuſa*. ſexta *Phænicuſa*. noviſſima *Euonymos*: ita Plinius *lib. III cap. VIII.* Solinus *cap. XII.* In Tabulâ itinerariâ IX depictæ ſunt inſulæ inter Siciliam & Italiam. ex quo numero novenario haud dubiè natus eſt Servii error, qui ad *lib. I Aeneid.* novem facit inſulas Aeolias. Ab ſervio eundem errorem mutuatus eſt Iſidorus *Orig. lib. XIV cap. VI.* Cæterùm Homerus *Odyſſ. lib. X* unam ex iis, quæ ſedes credebatur Aeoli, πλωτὴν adpellavit Αἰολίαν, id eſt, *navigabilem* ſive *circumnavigabilem Aeoliam*: quæ eſt *Lipara*. Hinc Dionyſius in Περιηγήσει univerſas cognominavit Πλω-

τάς.

tomatorem corrupta ſunt vocabula; alia etiam è locis genuinis in longè alieniſſimas regioneis translata: de horum quoque nonnullis dubitare quis meritò poſſit. huc accedit, quod Italiæ etiam magna pars iſto ſeculo Siciliæ nomine indigetabatur.

X. Atque hactenus Siciliæ inſulæ antiquitatem ex veterum monumentis eruiſſe ſufficiat. Quæ Carthaginienſes in eâ cum Græcis reliquiſque inſulæ incolis, quæ item Romani cum utriſque bella geſſerint, deſcripſit Thomas Fazellus *Sicul. rer. Decad. II.* Quum in Romanorum veniret inſula poteſtatem, Livius *lib. XXVI* tradit, opida inſulæ fuiſſe numero LXVI. At in *Excerptis legationum* è Diodori *lib. XXIII* memorantur LXVII; Syracuſæ tamen his non ſunt connumeratæ. Quænam verò tunc fuerint eo in numero civitates, haud facilè divinatu eſt. Poſterioribus etiam ſub Rom. imperio temporibus non defeciſſe earum numerum, patet ex Martiani Capellæ, *lib. VI.*

Vrbium Sicularũ numerus.

CAP. XIV.

Liparæorum inſulæ; quæ & Aeoliæ, & Vulcaniæ. item nonnullæ aliæ inſulæ, eidem ſeptemtrionali Siciliæ lateri objacentes.

I.

SIciliâ hactenus deſcriptâ, reſtat, uti de minoribus etiam inſulis, illi objacentibus, & quæ antiquitùs ei attributæ fuerunt, quædam dicantur. Septemtrionali Siciliæ lateri inſulæ objectæ ſunt complures numero: quarum celebratiſſimæ ſunt SEPTEM ÆOLI, ſive ÆOLIÆ; eædem LIPARÆORUM, ſive *Liparenſium*, à *Liparâ*, omnium maxima, & Ἡφαιστιάδες,

Liparæorum inſulæ; quæ & Aeoli, & Vulcani.

Hepha-

Hephæſtiades Græcis, Latinis ab eodem nominis argumento VULCANI ſive *Vulcaniæ* dictæ. Sed circa univerſarum numerum, ſingularumque vocabula haud levis etiam inter veteres diſcrepantia eſt auctores, cujus rei ratio haud dubiè eſt, quòd eodem tractu plures ſeptenario numero erant. Inter pleroſq; tamen eoſq; graviores auctoreis, Ariſtotelem, Marcianum Heracleenſem, Diodorum, Strabonem, Melam, Dionyſium, Plinium, Martianum Capellam, Solinum, Stephanum, Apollonii Scholiaſten de ſeptenario numero convenit. Iſidorus Orig. *lib. XIV, cap. VI* numero IX, & Servius modò VII modò novem fecit. Appianus verò quinque tantùm. Apud Ptolemæum longè plura leguntur heic inſularum nomina. Septem verò inſularum Aeoliarum, de quibus inter auctoreis convenit, nomina hæc ſunt: *Lipara*; anteà *Melogonis* vel *Meligunis* vocitata: altera *Theraſia*, nunc *Hiera*; quia ſacra Vulcano eſt; colle in eâ nocturnas evomente flammas, reliquis auctoribus rectiùs adpellatur *Thermeſſa*. tertia *Strongyle*; in quâ regnavit Aeolus. quarta *Didyme*, quinta *Ericuſa*, ſexta *Phœnicuſa*. noviſſima *Euonymos*: ita Plinius *lib. III cap. VIII.* Solinus *cap. XII.* In Tabulâ itinerariâ IX depictæ ſunt inſulæ inter Siciliam & Italiam. ex quo numero novenario haud dubiè natus eſt Servii error, qui ad *lib. I Aeneid.* novem facit inſulas Aeolias. Ab ſervio eundem errorem mutuatus eſt Iſidorus *Orig. lib. XIV cap. VI.* Cæterùm Homerus *Odyſſ. lib. X* unam ex iis, quæ ſedes credebatur Aeoli, πλωτὴν adpellavit Αἰολίαν, id eſt, *navigabilem* ſive *circumnavigabilem Aeoliam*: quæ eſt *Lipara*. Hinc Dionyſius in Περιηγήσει univerſas cognominavit Πλω-

τας. Sic Apollonius *Hieram* ſive *Vulcani ſacram* dixit Πλαγκτὴν, id eſt, *vagam, in Argonaut. lib. III.* Cæterùm univerſarum harum inſularum ſitus eſt inter Siciliam & Italiam; propiùs tamen Siciliam. ipſæ verò inter ſe ab freto Siculo ſive ab ortu Solis ad occaſum verſùs ſparſæ ſunt; magnitudine ferè æquales, exceptis *Lipara* & *Euonymo*; quarum hæc multò minima, illa omnium maxima. Diodorus *lib. V.* Strabo *lib. VI.* Plinius *lib. III cap. VIII.* Solinus *cap. XII.* Proxima Siciliæ eſt *Hiera* ſive *Vulcania*. à quâ ad *Liparam* verſus ſeptemtrioneis, numerant milla v. ab *Liparâ* autem ad Siciliam xx. ab eâdem *Liparâ* ad *Didymen*, verſus ſeptemtrioneis, vel potiùs occaſum æſtivum, IV numerantur millia rurſus ab *Lipara* verſus occaſum æquinoctialem x ſunt millia ad *Phœnicuſam*; & hinc v ad *Ericuſam*. à *Strongyle* in Siciliam millia ſunt circiter xxvi: eademq; proxima eſt Italię, xxx fermè paſſibus remota. Plinius & ejus epitomatores *citra Siciliam* ſitas eſſe univerſas dixerunt; reſpectu ſcilicet Italiæ & urbis Romæ. Atque hæc de ſitu earum dicta. De naturâ earum Mela *lib. II cap. VII.* Solinus, Iſidorus & Diodorus locis jam dictis tradunt, cunctas ſuſtinuiſſe magnas ignium eructationeis. Hodiè tamen duæ tantùm ardent; *Vulcania* & *Strongyle*. Univerſæ ceu prægrandes faſtigiatique ſcopuli in Siciliâ Italiâve conſiſtentibus adparent. nunc de ſingulis dicemus.

Lipara. II. Princeps omnium harum inſularum atque maxima Λιπάρα, LIPARA, unà cum opido, vulgò etiam nunc antiquum nomen obtinet; niſi quod *Lipari* ſæpiùs incolis Siculiſque dicatur. Eadem olim plurali numero Λιπάραι, *Liparæ*, vocata eſt, Gentilitium

nium inde eſt apud Stephanum Λιπαραῖος, *Liparæus*. Omnibus quidem Græcis opidani dicuntur Λιπαραῖοι, *Liparæi*. at Ciceroni *in Verrinâ III*, & Jul. Obſequenti *in libro de Prodigiis*, ſunt Latinâ formatione *Liparenſes*: & item Livio *lib. V*. Inſulæ atque urbi nomen dedit rex *Liparus*, Auſonis filius, qui eam ante Aeolum rexit. Lipari enim ſenis filiam duxit Aeolus, eique ſucceſſit. Idem Liparus urbem in inſulâ illâ condidit, eamque de ſuo nomine adpellavit Liparam. Solinus *lib. XII*; Iſidorus *lib. XIV cap. VI*; Stephanus; Euſtathius *in Dionyſium*; Pomponius Sabinus *in Aeneid. lib. I*; Diodorus *lib. IV*. Sed eadem inſula ante Liparum Μελιγουνὶς, *Meligunis*, dicta fuit; unde gentilitium Μελιγουνεὺς, *Meligunenſis*. Stephanus *ex Callimacho*. Urbs Lipara etiamnunc in eâdem inſulâ vulgari vocabulo *Lípari* exſtat; epiſcopali ſede clara. Ejus ſumma eſt antiquitas: ut quæ ante Troianum bellum condita fertur. Ad Aeolum quidpe, qui Liparo, urbis conditori ſucceſſit, Ulyſſes à Troiæ excidio errabundus perveniſſe traditur. Fuiſſe Aeoli & poſterorum ejus ſedem teſtatur Diodorus *lib. V*. Facta eſt deinde colonia Cnidiorum hoc modo. Olympiade L Cnidii Græca ex Cariâ gens, in Siciliâ apud Lilybæum promontorium condiderant urbem Motyam: quam mox, pulſis conditoribus, occuparunt Phœnices cum Carthaginienſibus. Pulſi verò Cnidii in Liparam inſulam ſeſe contulerunt. ubi à Pentathli conſanguineis, Aeoli Hippotadæ poſteris, in civitatis communionem recepti fuêre. Pauſanias *in Phocicis*. Ad felicitatem & incrementum progreſſa civitas illa, ob celebres thermas, ad bonam valetudinem facientes ægrotantibus; & aluminis me-

tallum; Diodorus *eodem loco*. Ignis in ea fuiſſe quondam exſpirationes teſtantur Strabo *lib. VI*, Ariſtoteles *in Mirandis*, Plinius & Silius. In eâdem inſulâ ſepulcrum eſſe, circa quod ſonitum tympanorum, cymbalorumq; & riſum cum ſtrepitu plauſuque manuum manifeſtò audiri ſcribit *dicto libro* Ariſtoteles. In bello, quod Athenienſes contra Syracuſanos geſſerunt, Liparenſes ſeſe ſocios adjunxerunt Syracuſanis. Thucydides *lib. VII.* Initium ejus belli Diodorus *lib. XIII* ponit in annum ſecundum Olympiadis xc11 quo ſummum Athenis geſſit magiſtratum Chabrias. Annis xix pòſt ab Carthaginienſibus Himilcone duce, fuiſſe occupatam urbem Liparam, ac xxx talentûm mulctam impoſitam inſulæ, auctor eſt Diodorus *lib. XIV*. Eodem libro refert hiſtoriam de Timaſitheo Liparenſium duce, qui à piratis Liparenſibus Romanorum legatos captos non modò ſervavit; ſed iis quoque tutum iter præſtitit. Unde populus Romanus cum Timaſitheo illo hoſpitium fecit publicum, atque dona ei publicè dedit. Eandem hiſtoriam refert quoque Livius *lib. V*. Lipara deinde à Romanis occupata L. Cæcilio & C. Furio Coſſ. Polybius *lib. I.* Cæterùm eadem Romanorum poſteà coloniam accepit. Plinius *lib. III cap. IX.* Præter unam Liparam reliquæ Aeoliæ ſive Vulcaniæ inſulæ hodie opidis ſeu vicis non inhabitantur. Idem antiquis etiam temporibus factum, è Thucydide & Diodoro intelligitur. cultos tamen à Liparenſibus fuiſſe reliquarum agros, iidem teſtantur auctores.

Thermeſſa inſula; III. Inter Liparam & Siciliam, v millibus paſſuum, à Liparâ eſt ea, quæ Θέρμισσα THERMISSA

Stra-

Straboni, Plinio vero, Martiano Capellæ atque Pomponio Sabino THERASIA; eadem Thucydidi, Ariſtoteli, Diodoro, Straboni, Melæ, Plinio, Solino, Pomponio Sabino, Iſidoro Ἱερὰ, HIERA, id eſt, ut Corn. Severus interpretatus, SACRA; & item Ptolemæo Ἡφαίστου νῆσος, id eſt, *Vulcani inſula*; & Virgilio ejuſque commentatoribus Servio ac Pomponio Sabino *Vulcania*: quia *Vulcano* erat *ſacra*. Nomen hoc hodiéque obtinet; vulgo *Volcano*, & *Vulcano*, item *Bolcano* & *Bulcano*, item *Borcano*, & *Burcano* dicta. Non ab aquarum, ſed ab ignium calore nomen impoſitum fuit huic Vulcani inſulæ Θέρμισσα, *Thermiſſa*. quod tamen rectius per η ſcripſeris Θέρμησσα, *Thermeſſa*. Vocabulum illud Plinii Theraſiæ corruptum videtur à genuino *Thermeſſa*. niſi fortè ipſe Plinius erraverit, hanc Aeoliam Thermeſſam eo nomine indigetans, quo inſula inter Cretam & Græciam celebratiſſima dicebatur Græcis literis Θηρασία. Cæterùm de hâc inſulâ ita ſcribit Strabo *lib. VI*: *Habet exſpirationes treis, veluti ex tribus crateribus. quorum ex maximo flammæ etiam maſſas efferunt: quæ jam bonam freti partem obturarunt. Obſervatio fidem fecit, exſpirationes iſtas flammarum, cùm iſtas tùm in Aetna, ventis exaſperari; iiſque deſinentibus, ceſſare. neque abſurdum id eſt. nam & venti naſcuntur augenturque ſumto ex maris exhalationibus initio: ut ex cognatâ materiâ ſimilique eventu ignis accenſus, admirationem iis, qui aliàs iſta viderunt, adimat. Polybius, è tribus crateribus unum aliqua ſui parte conlapſum eſſe, reliquos reſtare, ait; ac maximi orificium rotundum eſſe, ambitu fermè V ſtadiorum; paullatim in arctum coire, eò uſque, ut diameter ſit L pedes longa. atque inde ad mare uſque altitudinem eſſe*

quæ & Hera id eſt, Sacra & Vulcani inſula, ſeu Vulcania.

 unius

unius ſtadii; ut conſpici, ventis nonflantibus, poſſit. Cæterùm Auſtro ſpiraturo, inſulam caliginosâ nubeculâ obtegi ait, ut ne Sicilia quidem eminus cernatur. at ſub Aquilonis flatum puras flammas è dicto cratere in altum attolli; majoreſque edi fremitus. medium quoddam obtinere Favonium. reliquos crateras ejuſdem eſſe formæ; ſed non tanta vi exſpirationis præditos. Cæterò ex fremitum diſcrimine, efflationum, flammarum, atque fuliginum initio prænoſci etiam, quis tertio pòſt die ſpiraturus ſit ventus: eoque Liparæ quoſdam, facultate navigandi negatâ, certò prædicere futurum. atque hâc de cauſa id, quod fabuloſiùs à poetis videtur dictum, adparere non fruſtra pronunciatum fuiſſe: ſed veritatem per ambages eum ſignificaſſe, quum Aeolum adpellaret ventorum promum. Similia refert & Diodorus *lib. V.* De eâdem inſulâ quoque canit Virgilius *Aeneid. lib. VIII.* Ac idem illud tradit Pomponius Sabinus *ad eum Virgilii locum*. Apollonius in Argonaut. *lib. III.* Ejus Scholiaſtes. Ariſtoteles, *Meteorolog. lib. II cap. VIII.* Fazellus *Decad. I lib. I cap. I* de eâdem ita: *Hæc in medio mari aquis circumfuſa perpetuò ardet. enimverò ex voragine, quæ in medio patet, jugiter ingentem fumi nebulam hodiè eructat; &, pro modo efflantium ventorum Euri vel Africi, fumum interdum, quandoque favillas, nonnumquàm etiam ignem & pumices evomit. Intus verò per juncturas lapidum & cancellos anguſtoſque meatus exurens ſimul & pallens ignis inter ipſam fumoſam caliginem emittitur.* Hujuſmodi inter fumoſam caliginem pallentem ignem nocte è proximo litore Siculo ſe diſpexiſſe teſtatur Cluverius, fumumque interdiu candidum inde perpetuò exiiſſe. Quod verò Fazellus eodem loco ex Paullo Oroſio tradit, hanc Vulcani inſulam anno ab urbe Româ con-

ditâ

dirâ IↃL repente è pelago emerſiſſe, magnoperè errat. quidpe jam annis ferè CC ante urbis Romæ annum IↃL meminit ejus Thucydides. Ex Oroſio verò colligitur, inſulam prope Hieram ſive Vulcaniam emerſiſſe. Et eſt hodiéque hoc ſitu exigua quædam inſula, vulgari vocabulo *Volcanello*, & variante incolarum dialecto *Bolcanello*, ac *Bercanello*: de quâ ita ſcribit Fazellus ibidem: *Tertia inſula Vulcanelius, tenuiſſimo Euripo à Vulcaniâ recedit. quæ & ignem ipſa aliquando evomuit. Euripus ad ætatem uſque meam pervius, ac fida navigiis ſtatio, nunc, interjectâ ex Vulcania caminis cinerum ac lapidum mole, præcluſus eſt.* Hæc ſcilicet illa eſt Plinii *flagrans violento cum ſtatu* quam *Olympiadis CXLIV anno tertio emerſiſſe* tradit *lib. II cap. LXXXVIII, magnâ circa illam multitudine piſcium fluitante, quibus ex his cibus fuiſſet, confeſtim exſpiraſſe.* De piſcibus quod tradit, LXXVI annis pòſt iterum circa eadem hæc loca accidit, M. Aemilio Lepido, L. Aurelio Oreſte Coſſ. Jul. Obſequens *de prodigiis*. Oroſius *lib. V. cap. X.*

Strongyle inſula.

IV. Ejuſdem cum Hierâ genii ac naturæ eſt Στρογγύλη νῆσος, STRONGYLE *inſula*: quæ hodiéq; incolis Liparenſibus atque conterminis Siculis vulgari vocabulo dicitur *Strongoli*; Italis verò *Stromboli*. A rotundâ, figurâ, quam habet, nomen hoc accepit. στρογγύλον enim Græcis eſt, quod Latinis *rotundum*. Strabo *lib. VI.* Stephanus. Solinus *cap. XII.* Plinius *lib. III cap. VIII.* Apollonii Scholiaſtes *ad Argonaut. lib. IV.* Diodorus *lib. V.* Hæc inſula Strongylè, ut olim; ita hodiè quoque liquidiſſimam flammam & pumices magnâ copiâ ex vertice, ubi craterem habet, noctes atque dies cum fremitu horrendo eructat. ſed perpe-

tui ejus ignes eminus navigantibus nocte tantum conſpiciuntur. fumum eorum candidiſſimum ex Italiæ pariter ac Siciliæ litoribus conſpexit Cluverius. Pumices, qui hic ejectantur, laudatiſſimi ſunt. Plinius *lib. XXXVI cap. XXI.* Cæterùm de eâdem Strongyle inſulâ ita cum ſuperioribus auctoribus tradit Martianus Capella, *lib. VI: Tertia Strongyle. in quâ Aeolum regnaſſe fertur: & è flamma in proximum prorumpente, vel ejus fumo, qui ventus futurus eſſet, intellexiſſe. quod hodiè quoque ejus loci incolas, certum eſt, præſentire.* Eodem igitur illo de ventorum prædictione argumento, in Vulcani inſulâ Aeolum habitaſſe, adſeverari poterat. *Poëtæ quidem fingunt, hunc* Aeolum *eſſe regem ventorum. ſed, ut Varro dicit, rex fuit inſularum, ex quarum nebulis, & maximè fumo Vulcaniæ inſulæ, prædicens flabra ventorum, imperitis viſus eſt ventos in ſuâ poteſtate retinere:* Servius *in Aeneid. lib. I.* Non ex unius inſulæ, quam inhabitaverit, fumo prædixiſſe Aeolum futuros ventos, ſed ex omnibus, vel pluribus, quæ fumabant, auctor fuit Varro. Homerus *Odyſſ. lib. X* tradit Aeolum habitaſſe inſulam Aeoliam. Et Diodorus *lib. IV & V* ex antiquiſſimorum ſcriptorum monumentis refert Liparum, Auſonis filium, condidiſſe urbem Liparam in Liparâ inſulâ. ab hoc verò poſteà Aeolum & filiam accepiſſe in matrimonium, & inſulæ Liparæ regnum; hujuſque deinde filium Aſtyochum ejuſdem inſulæ tenuiſſe imperium. ac poſterioribus etiam temporibus unam ſolam ex omnibus Aeoliis inſulis inhabitatam fuiſſe Liparam urbem & inſulam, ut omnium fertiliſſimam, ex eodem Diodoro ſimulque ex Thucydide intelligimus. Nihil igitur certius, quàm *urbem* illam

& in-

& domos eximias Aeoli in inſulâ Aeoliâ, quas dicto loco memorat Homerus, fuiſſe *Liparam urbem in inſulâ Liparâ.* In hac conſtitutus Aeolus, ex fumo Strongyles inſulæ, qui ventus futurus erat, in triduum prædixiſſe potuit. Virgilius *Aeneid. lib. I & VIII* per *Aeoliam* intellexit *Liparam.* Atque eadem hæc inſula Lipara Vulcano etiam tribuebatur in ſedem & officinam. Theocritus *in Idyllio II.* Ejus Scholiaſtes. Euſtathius *ad dictum Homeri locum.* Val. Flaccus, *Argonaut. lib. II.* Sidonius Apollinaris *in Carm. IX.* juvenalis *Satyrâ XIII.* Et Callias Syracuſanus, qui ſub Agathocle Siciliæ rege monumenta ſua compoſuit, tradit, *non Hieram Vulcano eſſe conſecratam, ſed Liparam:* Scholiaſtes *ad* Apollonii *Argonaut. lib. III & IV.*

V. Porrò inter Strongylen & Siciliam, VIII circiter millia ab Liparâ in ortum Solis verſa eſt Εὐώνυμος, EUONYMOS; vulgari adpellatione nunc *Liſca bianca* dicta. Ex inſulis illis *minima*, mille haud ampliùs paſſus ambitu ſuo complectitur. Plinius *lib. III cap. IX.* Strabo *lib. VI.* *Euonymos inſula.*

VI. Proximè Liparam, ad occaſum Solis æſtivi verſùs, in IV millibus paſſuum eſt Διδύμη DIDYME, vulgò nunc *Salini* dicta. *Didyme*, Latinè *Gemella* à figurâ dicta eſt; quòd in duas rupeis ſive colleis diſtincta eſt: Strabo *lib. VI.* Incendiorum in hac quoque monumenta exhibent fauces ſive crateræ, quæ adhuc exſtant. Vitium cæterarumque domeſticarum arborum ac frugum feraciſſima eſt. *Didymi inſulæ.*

VII. Reſtant duæ reliquæ Aeoliarum, Ἐρικοῦσα, ERICUSA, & Φοινικοῦσα, PHOENICUSA; ſive Ἐρικώδης, *Ericodes*, & Φοινικώδης, *Phœnicodes*. Hæ vulgaribus nunc voca- *Ericuſa & Phœnicuſa, inſulæ.*

vocabulis *Alicúr* & *Felicúr* dicuntur; hæc in ortum verſus & Liparam, illa in occaſum poſita. Ab ericis & palmis dictas, pabuliſque dicatas tradit Strabo *lib. VI.* Ariſtoteles *in Mirandis* ſcribit Phœnicodem adpellatam eſſe, quòd magna copiâ palmarum in eâ gignatur. Heic tamen palmæ hodiè defecerunt: ſegetibus verò ager ejus eſt aptiſſimus. In Ericusâ ſilvâ ericarum arborum etiamnunc conferta manet.

VIII. Hæ igitur ſunt VII Aeoli ſive Liparæorum inſulæ. de quibus ita Stephani epitomator in voce Ἐρικοῦσσα tradit: *Gentilitium Liparæi ex Ericusâ: atque iterum, Liparæi ex Phœnicuſa. omnes quidpe Aeoli inſularum incolæ vocabantur communi nomine Liparæi: propriè autem ex unâquâque à loco cognominabantur.* Cæterùm nobilitavit has inſulas primo bello Punico clades Carthaginienſium. *Victor* populus Rom. *apud Liparas, merſâ & fugatâ hoſtium claſſe, primum illum maritimum egit triumphum. cujus quod gaudium fuit! quum Duillius imperator non contentus unius diei triumpho, per vitam omnem, ubi à cœna rediret, prælucere funalia, præcinere ſibi tibias, juſſit; quaſi quotidie triumpharet.* Florus *lib. II cap. II.* Epitomator Livii, *lib. XVII.*

Carthaginienſium clades ad Liparas.

IX. Cæterùm, ad ſeptemtrionale Siciliæ latus præter has VII Aeolias inſulas, memorantur heic *Hiceſia, Herculis inſula, Aeoli inſula, Uſtica, Oſteodes, & Paconia.* Aeoli ſedem reverâ fuiſſe in Liparâ ſuprà demonſtratum eſt. Quapropter fruſtra erit Ptolemæus, *Aeoli inſulam* inter Uſticam, quæ eodem hodiéque nomine manet, & Ericodem reliquaſque Aeolias inſulas collocans. quo ſitu nulla umquam fuit inſula. *Hiceſia* inſula, quæ Ptolemæo inter Didymen, Euonymon, & Strongyl-

Aeoli inſula.

Hiceſia inſula.

& Strongylen ponitur, eo ſitu nulla alia fuiſſe potuerit, quàm quæ nunc vulgò vocatur *Panari*. *Herculis inſula*, quæ Itinerario inſulari Græcâ formatione dicitur Ἡρακλεώτης, *Heracleotes* ſive Ἡρακλειώτης, *Heracleotes*, ex ſitu, quem innuit Tabula, deprehenditur eſſe ea, quæ inter Euonymon & Strongylen, x circiter millibus paſſuum ab Liparâ in orientem verſus, vulgari nunc vocabulo dicitur *Baſiluzzo*, ambitu duûm millium paſſuum. Οὐςίκα, *Uſtica*, hodiéque antiquum nomen eiſdem literis retinet, litori Siciliæ circa Thermas à Plinio *lib. III cap. VIII* objecta. Ὀςεώδης, *Oſteodes* exigua quædam inſula eſt circa Uſticam. Nomen id, quod Diodorus *lib. V* tradit, accepit à multitudine oſſium. Carthaginenſes enim mercenarios milites ſtipendia per ſeditionem exigenteis, veluti ad militare aliquod negotium provectos, in hâc inſulâ expoſuerunt, iiſque relictis abierunt. qui fame exhauſti contabuerunt. Quumque in inſulâ tam parvâ tot interiiſſent; locus iſte anguſtus oſſium multitudine repletus, nomen illud invenit. Fuerant autem iſtorum ſeditioſorum millia VI. Παχωνία *Paconia* inſula Ptolemæo ponitur inter Oſteoden & Bathys fluminis oſtium, ſive medio ferè tractu inter Panormum & Drepanum. quo tractu quum nulla alia ſit inſula, putatur ea eſſe, quæ haud ita procul antiquis Hyccaris, ɪↄccc circiter paſſus à litore diſtans, vulgò hodiè adpellatur *l' Iſola di Femi*, ſive *delle Femine*. Atque hæ ferè ſunt inſulæ ad ſeptemtrionale Siciliæ latus ab auctoribus celebratæ.

Herculis inſula.

Uſtica inſula.

Oſteodes inſula.

Paconia inſula.

CAP. XV.

Aegades inſulæ tres: quarum prima Phorbantia, ſive Bucinna, altera Aeguſa, ſive Capraria, eademque Apontana; tertia Hiera, ſive Sacra, eademq. Maritima. Polyphemi ſedes.

I.

Phorbantia ſive Bucinna inſula.

CONtra Lilybæum ac Drepanum tres ponit inſulas Ptolemæus, quarum nomina Φορβαντία, Αἴγουσα, Ἱερά, *Phorbantia, Aeguſa, Hiera.* Hodiè tres hoc ſitu cernuntur ſatis magnæ inſulæ, vulgò *Levenzo, Favignana,* & *Marétamo,* dictæ Ex Ptolemæi poſitione *Phorbantia* deprehenditur eſſe ea, quæ nunc vulgò *Lévenzo* dicitur; *Aeguſa,* quæ nunc *Favignana; Hiera,* quæ nunc *Marétamo.* Plinio *lib. III cap. VIII* BUCINNA, ſive *Bucina,* eſt eadem quæ Ptolemæo dicitur PHORBANTIA. quidpe ut hæc vox ἀπὸ τῶν φορβάδων, id eſt, *à vaccis,* ſic illa ἀπὸ τῶν βοῶν, *à bubus,* quod idem valet, derivata eſt Gentilitium *à Bucinna* apud Stephanum eſt Βουκινναῖος καὶ Βουκιννάτης; *Bucinnæus & Bucinnates;* Latinè *Bucinnenſis.*

Hiera, ſive ſacra inſula; quæ & Maritima.

II. *Hieroneſos* Plinii eadem eſt, quæ HIERA vocatur Ptolemæo. Sed hoc vocabulo etiam Polybio *lib. I* ac Diodoro *lib. XXII* memorata eſt. Eademque jam ſuperioribus ſeculis, non nuper invento nomine, dicta eſt *Maritima*, ut patet ex itinerario inſulari.

Aeguſa ſive Capraria inſula; quæ & Apontana.

III. Αἴγουσα, ÆGUSA inſula; unde apud Stephanum gentilitium eſt Αἰγουσαῖος, *Aeguſæus.* Latinè fuerit *Aeguſanus. Capraria* dicta eſt inſula hæc Latinis, quod vocabulum his idem ſignificat quod Græcis Αἰγίουσα, ſive Αἴγουσσα, & Αἴγουσα. nam Græcorum αἶγες

Lati-

Latinis ſunt *capra*. Atque eo nomine etiam adpellata eſt una ex inſulis Fortunatis; quas nunc Canarias vocant. Plinius, *lib. VI, cap. XXXII*; Solinus *cap. LX*. Eidem Plinio *lib. III cap. VI*, Melæ *lib. II cap. VII*, & Solino *cap. VIII* inſula inter Italiam & Corſicam vocatur *Capraria*, quam Græci Αἰγιλον ſeu Αἰγίλαν dixére. Sed eadem Siciliæ *Capraria* ſive *Aegusa* alio rurſum nomine *Aponiana* quoque dicta fuiſſe videtur. Hircius *de Bello Africano*.

IV. Quum *Hiera* ſive *Maritima* & *Phorbantia* ſive *Bucinna* altis rupibus ſint erectæ, ac veluti præmagni ſcopuli è mari emineant; media inter eas *Aponiana* ſive *Aegusa* depreſſo ac plano eſt ſolo: eoque agrorum fertilitate. & aquarum copiâ præſtat, cultuique maximè eſt idonea: ſinuſque inſuper habet ſeu portus tutiſſimos, numeroſæque claſſis capaceis. Ob hanc ejus præſtantiam reliquæ etiam duæ unà cum ipsâ, vocabulo ex ejus nomine tracto, in commune dicebantur Αἰγάδες νῆσοι, *Aegades insulæ*. Quod vocabulum apud omnes fermè auctores corruptum eſt in *Aegates*. C. Lutatius Romanorum Conſul Hannonem Carthaginienſium ducem apud Aegades inſulas, inter Hieram & Aeguſam; propiùs tamen hanc, pugnâ navali vicit: quo facto, Carthaginienſibus petentibus pax data eſt, finitumque bellum Punicum I, quod duraverat annos XXIV. Florus *lib. II cap. II*. Livius *lib. XXI*. Cornelius Nepos *in vita Hamilcaris*; Ejuſdemque epitomator *in vita Lutatii*. Freculfus, *Chron. tom. I lib. V cap. II*. *Legationum excerpta* è Diodori *lib. XXIV*. Polybius *lib. I*. Mela *lib. II cap VII* Servius *in lib. I Aeneid.* Cæterùm antiquiſſima harum inſularum memoria

Aegades insulæ.

extſtat apud vetuſtiſſimum poëtam Homerum, *Odyſſ. lib IX*; ubi *Aegusſam* inſulam eleganter & graphicè deſcribit. Λάχειαν autem vocavit Homerus Aeguſam, id eſt, *brevem* ſive *exiguam*, ratione majoris inſulæ Siciliæ, Cyclopum terræ. in qua portum memorat, qui erat Erycinorum; poſteà Drepanitanus dictus. nam de Eryce monte intelligenda ſunt iſta:

Polyphemi ſedes.

Ἀλλ' οἵ γ' ὑψηλῶν ὀρέων ναίουσι κάρηνα
Ἐν σπέεσι γλαφυροῖσι.
Ipſi celſorum montium inhabitant cacumina
In ſpeluncis cavis.

Antiquiſſimis equidem temporibus iſta ὑψηλῶν ὀρέων κάρηνα, *celſorum montium cacumina*, Aetnam montem interpretati ſunt plerique auctores; in quibus Euripides etiam eſt poëta in primis antiquus. Verùm, præterquam quòd heic ad Aetnam, adeóque ad totum inſulæ latus orientale inſula, qualem in prædictis verbis deſcribit Homerus, reperitur prorſus nulla; compluribus aliis documentis poſteà demonſtrabitur, ad hanc oram Ulyſſem non acceſſiſſe; ſed ad Drepanum & Erycem: atque inde recto ac brevi curſu tenuiſſe Aeolias inſulas; hinc verò Italiæ litus. Ad Erycem montem repertum eſſe cadaver humanum, proceræ ſtaturæ, dictum eſt ſuprà lib. I cap. II. *ſ*. II. Nunc ad reliquas Siciliæ inſulas, quæ auſtrino ejus lateri obiacent, explicandas proficiſcimur.

CAP.


Septemtriones
Gaulus
Inſula atque
Opidum
MELI
IÆ Pars.
MARE
AFRICUM.
Occidens.
Oriens.
Melita
opidum
Fanum
Hercu
lis
Millia paſsuum XV.
Meridies

Cap. XVI.

Melita inſula: quæ eadem & Hyperia, Phæacum antiquiſſima ſedes; & item Ogygia, ſive Calypsûs inſula, divi Paulli ad eam naufragium. Gaulos inſula.

I.

MEridionali Siciliæ lateri, inter Pachynum & Camarinæ locum, Μελίτη νῆσος, MELITA inſula, objacet: quæ nomen antiquum hodiéq; obtinet, quamvis detortum, *Malta* vulgò dicta; Joannitarum equitum, qui huc ſeſe è Rhodo contulerunt, ſede maximè clara. Memoratur auctoribus. A Spaccafurno Siciliæ opido breviſſimo in Melitam traiectu millia numerantur LX. Apud Stephani epitomatorem incola dicitur Μελιτταῖος, *Melitæus*. Latinâ formatione Lucretio *lib. IV*, atque Ciceroni *in Verr. IV*, *Militenſes*. Cæterùm Homero *Odyſſ. lib. VI*, memoratur Ὑπέρεια HYPERIA, Phæacum ſedes, quæ ipſa eſt *Melita* inſula: ac porrò idem tradit, Nauſithoum Phæacas, quum à vicinis Cyclopibus premerentur, in *Scheriam*, id eſt, in *Macrin* ſive *Corcyram* deduxiſſe. eam Phæacum prope Cyclopas ſedem nonnulli Homeri interpretes tradiderunt fuiſſe inſulam prope Siciliam, Cyclopum terram. Apollonius verò *lib. IV* ait, apud Phæacas in Macri inſulâ filiam Aegæi fluvii fuiſſe Melitam; ex quâ Hercules procreavit Hyllum, Hyllenſium in Illyrico regem; qui ſub Nauſithoo in eâdem inſulâ educatus fuit. Id puellæ nomen ſive verum fuerit, ſive à poëtis confictum; certè ex antiquiſſimis hiſtoriarum deſumtum eſt monumentis; in quibus ſcriptum fuit, Phæa-

Hyperia inſula, Phæacum antiquiſſima ſedes

cat, Corcyræ incolas, ex Melitâ primùm inſulâ profectos fuiſſe. Melita autem quum Camarinenſi litori eſſet objecta; alii Homeri interpretes, ipſam Camarinam urbem Phæacum fuiſſe ſedem, per errorem opinati ſunt. Ab iiſdem Phæacibus ſive Hyllenſibus alteri illi Melitæ inſulæ in Adriatico ſinu, Illyrico objectæ, vocabulum impoſitum fuiſſe, minimè ambigendum eſt. Cæterùm idem Homerus. *Odyſſ. lib. VII.* Ulyſſem fingit ab Ilio capto in Scheriam, ſive Phæaciam, ad Phæacum perveniſſe regem Alcinoum, qui patri Nauſithoo in regno ſucceſſerat, paullo igitur ante bellum Troianum Nauſithous cum Phæacibus ſuis Melitam reliquit; pulſus, non à Cyclopibus, qui jam tum in Siciliâ fuere nulli: ſed ab ipſis haud dubiè Phænicibus inſulam paullo ante Troianam expeditionem occupantibus. Homerum autem veris hiſtoriis multa adfinxiſſe fabuloſa, cùm Scholiaſtæ ejus, tùm Strabo paſſim fatentur. quapropter nihil mirum, ſi *lib. VI* Phæacas, Melitæ inſulæ incolas, à Cyclopibus, Siciliæ incolis, pulſos tradit: *libro* verò *VIII* hos negat navigia habuiſſe ad trajiciendũ ab Erice in inſulam Aeguſam. Sic, quòd poſt Troianum etiam bellum eos in Siciliâ & Ulyſſis cum iis congreſſum retulit, id poëtarum fecit more uſitatiſſimo, ſæpe præterita ceu præſentia fingentium. Antiquiſſimi igitur Melitæ inſulæ incolæ fuere Phæaces: Phœnices verò paullo ante Iliacam expeditionem Hyperiam, ſive Melitam inſulam, pulſis inde Phæacibus, occuparunt, unà cum orâ maritimâ Siciliæ inſulæ, Thucydides *lib. VI*; Diodorus *lib. V.* Sclyax ἐν Περίπλῳ. Quum Carthaginienſes quoque dicti fuerint Græcis Φοίνικες, *Phœnices*, & inde La-

tini

tinis *Pœni*, Aſiæ heic populi à Tyro intelligendi ſunt Phœnices. Eos verò paullo ante Troianum bellum in Siciliam, Melitam, atque Gaulum, colonias deduxiſſe, etiam ſuprà dictum eſt *lib. I, cap. II ut, quum negotiationes ſuas ad Oceanum uſque occidentalem extenderent, refugium ipſis in hanc inſulam eſſet, ob portuum opportunitatem, & ſitum in alto mari*. Diodorus. Licèt unam tantùm in parvâ illâ inſulâ; ut quæ xx haud ampliùs in longum, xii in latum, paſſuum millia occupat; circuitu verò lx circiter incolerent urbem; ea tamen brevi tempore beneficio mercatorum & opibus & civium numero crevit. Hi Phœnices inſulam tenuerunt multos annos. At poſtquam primi Græcorum, anno à Troiâ captâ cccclviii, in Siciliam colonias ſuas deportare cœperunt, perpetuò cum iis belligerarunt Phœnices ſuper iis locis, quæ ipſi per annos fermè ιɔ tenuerant: jamque totâ ferè inſulâ pulſi erant; niſi Carthaginienſes, conſanguinei eorum, in auxiliū vocati, communi ope Græcos repreſſiſſent, conjunctiſque colonis Motyam, Solûntem & Panormum occupaſſent. in quibus quum potior pars eſſent è Carthagine miſſi coloni, quumque hi Carthaginienſium in poſterum armis contra Græcos defenderentur; *Carthaginienſium* inde *coloniæ* dictæ ſunt. Pauſanias *in Eliacis*; Marcianus Heracleenſis, *in Orbis circuitu*. Idem quum in Melita quoque fieret inſula, ac Carthaginienſium ope contra Græcos defenderetur, *colonia Carthaginienſium* habita eſt. Diodorus *lib. V*. Græcos tamen à primo ferè in Siciliam trajectu Melitam occupaſſe, pulſiſque inde Phœnicibus incoluiſſe multis documentis probat Cluverius noſter. Habuit

igitur

igitur inſula hæc incolas primùm Phæaces, deinde Phœnices; ac demum Græcos.

Melitæ inſulæ fertilitas. II. Antiquiſſimam fertilitatis gloriam inſula Melita hodiéq; obtinet, ſi agri ſatis excolantur: quum inſula tota ſaxea ſit, & minus alta humo tecta. Summa hodiéque mellis heic eſt nobilitas; & jam olim fuiſſe teſtatur Cicero in *Verrinâ III.* Unde nonnulli noſtri ſeculi homines conjecerunt, ipſam inſulam ἀπὸ τοῦ Μέλιτος, id eſt, *à melle* nomen accepiſſe quod non nuper corruptum eſt in hodiernum *Malta*; ſed jam ante ſexcentos ampliùs annos; quum Arabes inſulam unà cum Siciliâ occuparent. Portus habet compluréis, eoſque tutiſſimos, contra ortum Solis æſtivi poſitos. quorum maximus vulgò nunc vocatur *Porto di S. Elmo*: & ei proximus, *Porto Muſcetto*. ille verò introrſus ab oſtio in plureis diffunditur portus, ſive ſinus, navium capaceis. Præter hos ab auſtrino inſulæ latere alius eſt, quem vulgò dicunt *Porto Euro*. Inter oſtia prædictorum portuum verſus orientem æſtivum, opidum nuper exſtructum eſt in prælongâ peninſulâ. Intus contra oſtium majoris portus antiquum eſt munimentum, natura arteque validiſſimum itidem in peninſulâ ſitum. Ab hoc ad VII circiter paſſuum millia in medio fermè inſulæ aliud opidum poſitum eſt, *Melita opidum.* ejuſdem cum inſulâ nominis. id vetus illud MELITAM opidum eſſe deprehenditur. *Incolas* habuit *opibus affluenteis, domoſque perpulcras; ſuggrundiis & albario opere magnificè exornatas.* Diodorus *lib. V.* Hæ à Phœnicibus ſive Carthaginienſibus exſtructæ fuerint, an à poſterioribus incolis Græcis, incertum eſt. Habuit verò opidum illud *variorum operum artifices: inter quos excel-*

excelluerunt, qui lintea inſigni ſubtilitate ac mollitie texuerunt. Diodorus. Hinc Quintinus in Melitæ deſcriptione: *Huic* inſulæ *pariter eſt cotonon familiare; unde magni proventus inſulanis. Hoc olim aliqui goſſipion vocavère: plures Xylina; inquit Plinius.—Melitenſe maximè laudatur: alterius enim nationis craſſius eſt. Cotonon cæteris, aptius Vlpianus* ἐριόξυλον *nominavit: quaſi diceres è ligno lanam: & lanæ adpellatione contineri, reſpondit lib. III de Legatis.—Frutex eſt, arbuſcula modo, pedali magnitudine, caule lignoſo; à quo rami terni quaternive fruticant. folia ni minora eſſent, vitium poterant videri. flos ſubcæruleus: fructum defert amplitudine avellanæ nucis. qui maturitate ruptus, præduras pilas oſtendit, tenui lanugine obductas; ex quâ cotonon netur in textrinis, mirâ depectendi arte.*

III. Τὸ τῆς Ἥρας ἱερὸν, JUNONIS *fanum* Cicero *in Verrinâ IV* fuiſſe teſtatur in promontorio, quò claſſes hoſtium & piratæ, & Maſiniſſæ præfectus, qui denteis illos eburneos eximiæ magnitudinis è fano ſuſtulerat, adpellere potuerunt. De hoc ita Fazellus *Decad. I. lib. I. cap. I: Hujus templi inter arcem & ſuburbium ex quadratis lapidibus, eiſque ingentibus, in hæc uſque tempora non aſpernandæ permanent reliquiæ.* Arcem intelligit S. Angeli, cui ſuburbium in eâdem peninſulâ junctum. Habuit id templum vicum vel opidum vicinum, ad portum ſitum. *Junonis fanum & portus.*

IV. Τὸ τοῦ Ἡρακλέους ἱερὸν, HERCULIS *templum*, ad auſtrinum inſulæ litus ſitum, vicum quoque habuit vel opidum ſibi junctum. Templi hujus *reliquias, lapides ſtupendæ longitudinis & craſſitudinis* ſuo tempore ſuperfuiſſe tradit Quintinus. Atque ob hanc portuum celebritatem duo dicta templa ibi ab initio conſtructa *Herculis templum & portus.*

 fuère.

ſuêre. unde alter locus haud dubiè dictus fuit τῆς Ἥρας λιμὴν, *Junonis portus*; alter τοῦ Ἡρακλέους λιμὴν, *Herculis portus*. Ac Diodori verba, quæ ſuprà de pulcritudine magnificentiâque ædificiorum adducta ſunt, non ad unum opidum Melitam, ſed ad univerſam ſpectant inſulam.

Peninſula. V. Ἡ Χερσόννησος, id eſt, PENINSULA, in occidentali inſulæ parte ponitur à Ptolemæo. ea igitur fuerit extima inſulæ pars in occaſum Solis æſtivi proſpectans: quam amniculus, ad ſeptemtrioneis verſus fluens in ſinum, efficit peninſulam.

Catuli Melitenſes. VI. Cæterùm τὰ Μελιταῖα κυνίδια, id eſt, *Melitenſeis catulos* celebrant in hâc inſulâ: Strabo *lib. VI.* At Plinius *lib. III cap. XXVI*, & Stephanus ac Heſychius Melitæ in Adriatico ſinu eos tribuerunt, quæ Illyrico objacet. Sed in neutrâ hodiè *reperiuntur*.

D. Pauli naufragium ad Melitam VII. At nullâ re, poſt unicæ Salutis noſtræ Jeſu Chriſti incarnationem, magis nobilitata celebriſque reddita fuit hæc inſula, quàm naufragio divi Pauli. cujus hiſtoria à divo Lucâ in *Actis Apoſtolorum* deſcripta eſt *cap. XXVII, & XXVIII*: quæ licèt perſpicua ſit ac ſatis clara, nec alio lumine egeat; tamen non defuêre, qui in controverſiam traherent, in utram Melitam naufragio iſto ejectus fuerit divus Apoſtolus; in hanc noſtram Africi maris, an in alteram illam in ſinu Adriatico ad Illyricum in conſpectu Epidauri, ſive, ut nunc vocatur, Raguſii opidi ſitam. Verùm ex divi Lucæ hiſtoriâ ſatis apertè conſtat, in nullam aliam inſulam, quàm in hanc noſtram Africi maris Melitam adpuliſſe naufragio divum Paulum. *Euroaquilone* ab Cretâ inſulâ infra dextram Gaudum abrepti, quum me-

metuerent, ne ulteriùs eodem curſu in Syrtim impellerentur; *demiſſis velis, ita ferebantur*: nempe ex ortu in occaſum, verſus Melitam inſulam; gubernaculi adjumento eam mundi regionem tenentes. tandemque, quum Melitæ, quà ortum ſpectat æſtivum, circa medium quartæ decimæ noctis ad propinquaſſent, ancoras tam propè eam jecerunt, uti ex eo loco poſtridie non modò inſulam, ſed etiam certum *ſinum* in eâ conſpicerent, *litus habentem*; id eſt, oram apertam, in quam deſcendere poterant. ancoris itaque ſublatis, permiſerunt navim prædicto ſimul vento Euroaquiloni ſimulque maris fluctibus; qui in dictum ſinum devectam, *loco bimari*, id eſt, iſthmo ſeu cervici peninſulæ cujuſdam (& plures ex hoc inſulæ latere in mare procurrunt) *impegerunt*. Hinc locus in medio ferè hoc litore etiamnunc vocatur vulgò *La Cala di S. Paolo*; id eſt, *Portus* ſive *adpulſus* S. Pauli: apud quem ædicula ei ſacra eſt. At in Adriaticum ſinum eo vento nullâ prorſus ratione ſine velis deferri potuerunt. &, ſi quâ mirâ ſorte incredibilique caſu eò in conſpectum uſque Melitæ inſulæ delati fuiſſent; certè tam propè continentem hæc eſt, uti in quamcunque ejus partem adpellas, in conſpectu habeas Illyrici litora; partibus inſulæ, quæ longiùs, IX, quæ propiùs, vix IV millia paſſuum diſtantibus. unde minimè credibile eſt, maluiſſe eos in inſulam confugere, quàm in continentem. ecquid cenſes maluiſſe centurionem cum militibus atq; vinctis in inſulâ minus cultâ per treis integros menſeis hiemare, quàm in celeberrimo Epidauri portu, qui in conſpectu hujus inſulæ ad XX millia ſitus eſt? Idem verò de aliâ etiam navi illâ Alexandrinâ quæro, quæ

poſteà Puteolos uſque pervecti ſunt. Sed hæc unde, aut quorſum in hoc ſinu; in hac inſulâ; Puteolos petitura? In Africi maris Melitam deferri ab Alexandriâ, vel iis partibus, eâdem tempeſtate vel paullò ante poterat. Hinc porrò Siciliæ litus à ſiniſtris, Italiæ à dextris legendo, tandem Puteolos pervenerunt. Litora terrarum ut ſemper legerint, Phœniciæ, Cypri, Ciliciæ, Pamphyliæ, Lyciæ, Cariæ, Cretæ, & poſt hibernationem in Melita, Siciliæ, & Italiæ, quæque loca in iis adierint, diligenter adnotavit divus Lucas. igitur, quia inter Melitam & Syracuſas nulla nominat loca; longè probabilius eſt, à noſtrâ hâc ad Siciliam Melitâ profectos fuiſſe, quàm ab Illyricâ. à quâ ſi fretum Siculum petiiſſent, magnus Italiæ tractus multaque in eo opida circumlegenda fuiſſent; quæ haud dubiè, ut priora illa, memoraſſet divus Lucas: Brunduſium ſcilicet, Hydruntum, & trajecto ſinu Tarentino, Crotonem, Scylacium, Locros, Herculis promontorium, Leucopetram. neque opus habuiſſent Syracuſas adire: niſi rurſus adverſo aliquo vento eò uſque abrepti fuiſſent, quâ de re nihil divus Lucas. Huc jam adde, quòd in Dalmatici litoris Melitâ veſtigia vel memoria hujus Apoſtoli exſtat nulla. At in hac noſtrâ Melitâ templum urbis Melitæ cathedrale, ſatis antiqui, ut adparet, operis, divo Paulo ſacratum eſt. tum ædicula ad ſuprà dictum portum. Satis igitur jam & abundè ex hactenus allatis documentis manifeſtum eſt, in noſtram Siciliæ vicinam Melitam naufragio ejectum fuiſſe divum Paulum. Quum verò Græcos eam tum inhabitaſſe, certum eſt, neceſſariò concludendum, Barbarorum etiam quoſdam eodem tempore, vel ſaltem in agris unà inco-

incoluiſſe. Hi verò nulli alii fuerint, quàm Pœni; vel primo bello Punico relicti, vel poſtmodum, pace inter Romanos & Carthaginienſeis firmatâ, regreſſi; vel etiam finito bello Punico III, Carthagine deletâ. nam in Siciliâ quoque eorum genus ad poſteriora etiam tempora manſiſſe apud Solûntem, Panormum, Lilybæum, & alia loca; unde *trilingues* vocat Siculos Apuleius, id eſt, Siculè, Græcè, ac Punicè loquenteis; ſupra *lib. I, cap. II* oſtenſum eſt. Et in Hiſpaniâ item pleraque Turditaniæ opida etiam Strabonis ævo ſub Romanorum imperio tenuerunt Pœni. Falluntur tamen, qui incolas hujus inſulæ hodiéque Punicâ linguâ uti opinantur; quum dialectus ſit potiùs corrupta Arabicæ linguæ, ab Arabibus, qui olim inſulam ſimul cum Siciliâ occupaverunt, unà cum gentis parte relictâ. Id quoque notatu digniſſimum, quòd prædictus *Publius* apud Lucam vocatur ὁ Πρῶτος τῆς νήσου, id eſt, *Primus* ſive *princeps inſulæ*, quemadmodum in inſcriptione antiquâ ille A. Κα. υἱὸς Κυρ. ἱππεὺς Ῥωμαίων, πρῶτος Μελιταίων· id eſt, *L. Ca. filius Cyr. eques Romanus, princeps Melitenſium.* Sed de his ſatis.

VIII. A Melitâ ad V millia paſſuum verſus occaſum æſtivum alia inſula, magnitudine quidem illi inferior, ut quæ XXX tantùm millia ambitu ſuo complectatur, at fertilitate par eſt. Vocabulum ei hodiè vulgare eſt apud Siculos atque Italos *Gozo*; ſed apud indigenas *Gaudiſch.* quod & ipſum ab Arabibus, qui eam inſulam unà cum Melitâ occuparunt, manſit: in quorum libris eſt *Gaudeſch.* Sed antiquum ejus apud Græcos atque Romanos nomen fuit Γαῦλος, GAULUS. Stephano inſulanus dicitur Γαυλίτης, *Gaulites*; *Gaulos inſula.*

Latinis *Gaulitanus*. A Phœnicibus unà cum Melita occupata; ac Carthaginienſium colonia deinde facta eſt inſula hæc. Sed poſteà eodem cum Melita tempore Græcos accepit colonos.

Ogygia ſive Calypſûs inſula. IX. Cæterùm Callimacho Gaulus inſula credidita τῆς Καλυψῦς νῆσος, CALYPSUS *inſula*, ab Homero celebrata. Strabo *lib. I.* Hæc Calypſûs inſula proprio vocabulo Homero dicitur Ὠγυγία *Ogygia:* deſcribiturque *Odyſſ. lib. V*, quòd ſit fontibus irrigua, vireſcens, ferax vitium, & fœcunda. Quæ bona tamen, non in Gaulo, ſed in Melita inſula hodiéque reperiuntur. Ea enim, qua occidentem ſpectat, aquis irrigua eſt, ferax arborum domeſticarum; tota verò frumenti, lini, leuconii, cumini, ſerpilli, cythiſi, & thymi fæcunditate celebris. Sed ne ἐριόξυλον, ſive *goſſipium* immemoratum Homerus tranſivit. id quidpe innuere voluit his verbis: *ipſa* Calypſo nympha Atlantis filia, *intus cantillans voce pulcrâ Telam percurrens, aureo radio texebat.* Et haud ita parvam fuiſſe inſulam, ut ii ſcopuli, admodum exigui, qui Lacinio promontorio in Italiâ adjacent, vel Nymphæa inſula ante Epiri promontorium Nymphæum, pro eâ accipi poſſint, oſtendit Julianus *in Epiſtolâ.* Huc adde, quòd, quum in medio ſita pelago eſſet Melita, Ulyſſes Odyſſ. *lib. I & VII* de Ogygiâ idem dicat. Accedit demum, quòd inſula Calypſûs eſſe dicitur contra Syrteis majoreis & Troglodıtas. Oroſius *lib. I cap. II.* *At heic obſervandum, ipſum Cluverium in deſcriptione Italiæ p. 1309 planè bis pugnantia poſteà ſcripſiſſe, atque contendiſſe, Ogygiam inſulam, Calypſûs ſedem, eam eſſe, quæ juxta Lacinium eſt Italiæ promontorium.*

IX. Por-

IX. Porrò inter Melitam & Gaulon parvula quædam inſula jacet, vulgari vocabulo *Comino* dicta. Antiquum hujus nomen videtur fuiſſe Ἡφαιςία, *Hephæſtia*; id eſt, ſi Latinè reddas, *Vulcania*.

Hephæſtia ſeu Vulcania inſula.

Cap. XVII.

De erroribus Vlyſsis.

I.

Commodum fuerit de erroribus Ulyſſis, quos Homerus Odyſséæ ſuæ opere celebravit, heic nonnihil dicere: quandoquidem priſci etiam mortales controverſos fecerunt. Atque exſtitiſſe aliquando decennale ad Troiam bellum, Ulyſſemque ei interfuiſſe, & poſt excidium urbis per decennium circa Siciliam atque Italiam erraſſe, inter omneis convenit ſcriptoreis; donec tandem Eratoſthenes, belli Punici ſecundi æqualis auctor, an Ulyſſes poſt id bellum, & ubi erraverit, in dubium vocare cœpit; *nugatoreis adpellans cùm interpretes tùm ipſum poëtam*; ut inquit Strabo *lib. 1*, qui ſatis longâ & doctâ diſputatione poëtam contra Eratoſthenem ejuſque ſectatorem Apollodorum defendit; ac docet, vetuſtiſſimos mortaleis in pleriſque Homeri narrationi adſenſiſſe: veris tamen hiſtoriis haud parum fabularum Homerum poëtarum more, ad finxiſſe fatetur.

Bellum Troianũ aliquando exſtitit.

II. Vetuſtiſſimos quoſq; ſcriptoreis in interno mari circa Siciliam, Italiamque intellexiſſe Ulyſſis erroreis, patet ex Heſiodi, Euripidis, Thucydidis, Theocriti, Apollonii, Lycophronis, Dionyſii Halicarnaſſenſis, Diodori, Hygini, Melæ, Plinii, Dionis, Apollodori, aliorumque ſcriptis: item ex Homeri prædictorum-

Vlyſſes erravit in mari interno.

ctorumque nonnullorum auctorum interpretibus ſive Scholiaſtis. atque ex his Heſiodus centum tantùm circiter annis Homero fuit poſterior. Alii poſteà mortales de termino dubitarunt: ut patet ex Strabonis *lib. I*; Agellii *lib. XIV, cap. VI*, Tibulli *lib. IV*, & Claudiani *carm. in Rufinum lib. I.* Alii ad Britanniæ uſq; extima Ulyſſis erroreis produxerunt, ad Calidoniæ receſſus: Solinus *cap. XXI*. Alii in Germaniam eum perveniſſe crediderunt, ac condidiſſe Aſciburgium. Tacitus *in libro de Germaniâ*; qui tamen *fabuloſum* in Oceano adpellat Ulyſſis *errorem*. Alii rurſum cenſuerunt, Ulyſſem equidem in interno tantùm mari circa Siciliam Italiamque vagatum: ſed poëtam eam vagationem in externum mare tranſtuliſſe. Strabo *lib. I, III, V, & VII.* At in interno tantùm mari ad Siciliam & Italiam uſque vagatum eſſe Ulyſſem, Homerum verò ad augendam rei magnitudinem extra Columnas in Oceanum eum eduxiſſe, minimè ipſe credidit Strabo *lib. I & III.* Sed quid de Ulyſſis erroribus priſci mortales, generatim hactenus expoſitum eſt.

Ulyſſes & Aeneas ad eadem deducuntur à poëtis loca

III. Nos an decennium poſt Troiam captam, & ubi locorum re verâ erraverit Ulyſſes, nihil heic examinabimus. Homerus, per quæ loca eum traxerit, diſpicere ſedulò conabimur. Atque hoc quò faciliùs fiat, Virgilii Aenam ſemper cum Ulyſſe conferemus. quidpe ad nulla hunc deduxit loca Homerus, quin ad eadem poſteà adpulſus narretur Aeneas: niſi quòd hic paullo alio itineris ordine. ſcilicet, quia non reducendus erat in Græciam vel ad Ilium; quemadmodum ille poſt longum errorem in Ithacam ſuam. Atque hinc factum, uti alii ex antiquiſſimis auctoribus

bus Aeneam unà cum Ulyſſe in Italiam veniſſe tradiderint. Dionyſius *Antiq. Rom. lib. I:* Macrobius *in Saturnal. lib. V. cap II.* Non primùm hanc de Aeneâ, ad Homerici Ulyſſis imitationem, fabulam ita confinxiſſe Virgilium; ſed jam antiquiſſimos ante eum ſic tradidiſſe μυϑολόγους, paſſim cùm ex ſcholiaſtis ejus, tùm ex aliis ſcriptoribus diſcimus. Dionyſius Halicarn. *dicto lib. I.*

Virgilius non eſt primus auctor hiſtoriæ de erroribus Æneæ.

IV. Compendium errorum Ulyſſis referre voluit Tibullus *lib. IV:* Lotophagos tamen, ad quos à Maleâ adpulit Ulyſſes, omiſit. Homerus autem *Odyſſ. IX* Ulyſſem introducit, apud Alcinoum in Scheria, ſive Phæacum inſulâ errores ſuos enarrantem. Quibus locis Ulyſſes ſcribitur ab Ilio primùm perveniſſe in Thraciam *ad Ciconas*; Iſmarum urbem expugnaſſe, multiſque amiſſis abſceſſiſſe. Auſonius *in Periochâ Odyſſ. lib. IX.* Ita Virgilius Aeneam quoque in Thraciam deduxit Aeneid. *lib III.* Hoc tamen diſcrimen inter Ulyſſis & Aeneæ hiſce in locis res geſtas eſt, quòd hic urbem inibi *Aenum* condidiſſe fertur, ille deſtruxiſſe *Iſmarum.*

Ulyſſes pervenit I in Thraciam ad Cicones.

V. Hinc ſolvens, Maléam Peloponneſi ſive Laconiæ promontorium circumegit; unde facilè & ſine aliquo damno in patriam Ithacam potuiſſet reverti; ni Boreas ventus inde in *Lotophagorum* litus eum abripuiſſet. Sed hæc Lotophagorum terra qua orbis parte fuerit meritò quæritur. Non equidem ex eo loco novem iſtis diebus, per quos diris jactatus eſt ventis ad externum mare perferri potuit. Ad Pachynum promontorium adpuliſſe Ulyſſem nonnulli ex antiquiſſimis tradiderunt mortalibus. unde ad poſteriora tempora heic manſit *portus* & *promontorium* cognomento *Ulyſſis*; & ibidem *Hecatæ fanum* & *Hecubæ cenotaphium*,

II ad Lotophagos.

utrumque ab Ulyſſe erectum. Sed falsò & contra Homericæ narrationis filum. Potior ſanè ſit Polybii *lib. I*, ac Strabonis *lib. XVII*, ſententia: qui, haud dubiè & ipſi antiquiores ſequuti auctores, Lotophagos iſtos Homeri in Meningi ponunt, Syrtis minoris ad Africam inſulâ, vulgò hodiè *Le Gerbe* dictâ. Scylax in Περίπλῳ ita: *Quæ extra Syrtim ſunt, incolunt Lotophagi, Africa gens, uſque ad oſtium alteræ Syrtidis. hi loto utuntur pro cibo ac potu.* Atque huc jam rectiùs convenit id, quod Ulyſſes apud Homerum ait, ſe à Maléâ promontorio Boreâ vento abreptum ab inſtituto verſus Ithacam curſu ad Lotophagorum terram; quàm vel externo mari; vel Camarinenſi in Siciliâ agro Pachynoque promontorio: quidpe quod ſeptemtrionalius eſt ipsâ Maléâ. Atque idem ſenſiſſe de Lotophagorum ſede eos, qui Aeneæ compoſuêre fabulam, patet ex Virgilii poëmate. hic quidpe; circa omnia loca ductans Aeneam ſuum, circa quæ Homerus ſuum duxit Ulyſſem, ab Eryce monte & Drepano portu, quum Italiam peteret, vento Boreâ ſive Aquilone in eadem Africæ loca abreptum narrat *Aeneid. lib. I.* Atque ipsâ etiam de Didonis & Aeneæ amore hiſtoriâ lotum Homeri exprimere voluit Virgilius *Aeneid. lib. IV.* Et quum ſocii Ulyſſis Boreæ vi obluctati ſint toto eo curſu, ne in meridiem versùs ad propiora Africæ litora abriperentur; vix citiùs, quam IX dierum navigatione eò uſque pervenire potuerunt.

III ad Drepanũ portum & Erycẽ montem Cyclopum ſedem. VI. Porrò ab Africæ litoribus & Carthaginis urbe Aeneas deducitur ad *Drepanum portum* & *Erycem montem*; quò jam anteà ex Epiro navigans, adpulerat; & unde, amiſſo patre Anchiſâ, quum Italiam peteret, ad Africæ litora abreptus erat. *Aeneid. lib. V.* Ad eumdem

dem *hunc Drepanum portum* & *Erycem montem* Ulyſſem ſuum deduxit Homerus. Ipſe ibidem cum duodecim ſociis in antrum Polyphemi penetravit; qui cruentis dapibus expletus, quas cæde ſociorũ eius inſtruxerat, vino etiam, quod Ulyſſes ingeſſerat, temulentus, quũ in ſomnum procubuiſſet, ab Ulyſſe excæcatus, pœnas immanitatis perſolvit. Auſonius *in Perioch. Odyſſ. lib. IX.* Illi poëtæ interpretes immensùm erratunt, qui Ulyſſem, è Lotophagorum terrâ navigantem, ad Aetnam montem adpuliſſe tradiderunt. Pervenit enim ex Lotophagis in Caprariam inſulam, quæ objacet litori terræ Cyclopum. At verò ante Aetnæ litora, imò ante omne hoc orientale inſulæ latus, inſula ejuſmodi nulla eſt, qualem Caprariam deſcribit poëta, ut oſtenſum *lib. II cap. XV.* Heſiodus verò Ulyſſem ad Aetnam primus deduxit, centum circiter annis Homero poſterior, Strabo *lib. I.*

VII. Inde *in Aeoliam* pervectus Ulyſſes; donisque donatus ab *Aeolo*, rege ventorum. qui, omnibus comiter præbitis, quo ſecurior navigaret, ventos etiam dedit utre concluſos. Quum verò jam Ithacæ propinquaret, refuſus eſt in ſoporem; ſociique ejus, opes aliquas in ſcorto ineſſe exiſtimantes, dormiente ipſo vincula diſſolverunt; quo facto adverſis flatibus ab ipsâ patriâ jam repulſi, rurſus delati ſunt ad Aeoliam inſulam. Homerus *in fine lib. IX*, & *principio lib. X.* Auſonius, *in Periochâ Odyſſ. lib. X.* Cæterùm hic quoque ad imitationem Homeri conficta videtur navigatio Aeneæ. hic quidpe, quum jam plurimam longinqui itineris partem ab Ilio juxta Thraciam Peloponneſum, Epirum, Italiæ partem, quæ Ionio adluitur mari, item Siciliæ orientale ac meridionale la- *IV in Aeoliam inſulam pervectus.*

ctus ad Drepanum uſque & Erycem, emenſus eſſet, jamque minimum abeſſet; quin in exoptato tandem, atque à diis ſibi dato Latio copias exponeret; ventorum vi ab reliquo itineris curſu retrò in Africum litus actus fuit: moxque ad eumdem Drepanum portum montemque Erycem rediit. unde tandem in Latium devectus eſt. Sed & juxta Aeolias inſulas ipſum navigaſſe, refert Ovidius, *Metamorph. lib. XIII.*

V ad Læſtrygonas. VIII. Quum ab Aeolo non reciperetur reverſus Ulyſſes, ad *Læſtrygonas* hinc navigavit; inde *ad Circen.* Homerus *Odyſſ. lib. X.* Veteres poëtæ interpretes Læſtrygonas poſuêre in Italiâ ad Formianum litus; ipſum opidum Formias Lami facientes ſedem. Et huc reſpexiſſe etiam videntur Aeneiæ fabulæ conſtructores. nam Virgilius Aeneam à Cimmeriis, qui apud Cumas Campaniæ credebantur eſſe, primùm ad Cajetam, quæ Formianum ſinum ab occaſu claudit, atq; inde ad Circæum montem navigantem facit *Aeneid. lib. VI*; Ovidius *Metamorph. lib. XIV.* Per Aeæam verò Circes inſulam antiquiſſimi mortales intellexerunt Circæum Italiæ montem. Ad Læſtrygonas delatus Ulyſſes, amiſſis unâ minus navibus, Circæum litus acceſſit; ibique veneficio Circes Eurylochus & præmiſſi cum eo ſocii in ferarum ora converſi ſunt. ipſe ſimilia paſſurus, Mercurio procurante vitavit; cæteroſque ſocios ad priſtinam ſpeciem redigi, virtutis admiratione, compulit. Auſonius *in Periochâ Odyſſ. lib. X.*

VI ad Cimmerios. IX. A Circe poſt annuam moram *ad Cimmerios* delatus eſt Ulyſſes, vento ſecundo intra unius diei ſpatium. Auſonius *Periochâ lib. XII* ita: *Digreſſus à Circe Avernum pervenit. qui locus deſcenſus ad Maneis exiſtimatur. ibi ſacris ritè peractis, ſcrobem complet ſanguine victi-*

ma-

marum: & circumvolitantibus animabus nullam ſinit hauſtum cruoris attingere, niſi, ut Circe monuerat, priùs Tireſias vates inde libaſſet. Ibi & heroidas plurimas videt. quarum enumerationem multâ veterum fabularum venuſtate contexit. Ad eumdem locum Aeneas quoque à ſuis fictoribus deductus eſt. qua de re Virgilius integrum Aeneidis ſuæ librum VI ad imitationem Homeri compoſuit: niſi quòd apud hunc Tireſias vates Ulyſſi exexponit, quæ apud Virgilium Sibylla Aeneæ. Eſt autem *Avernus lacus* in Campaniæ litore inter Puteolos atque Cumas: apud quem Cimmerios ſuos finxit Ulyſſes. Per *Oceanum* Homerus heic intelligit Lucrinum & Avernum lacus: per *breve* ſeu *tenue litus*, Herculis aggerem, quem vocabant, inter Tyrrhenum mare & ſinum Lucrinum. Plutonis autem domum, ac fluvios infernaleis hiſce in locis finxit, quia erat antrum ad dictum Avernum lacum; & haud ita procul ignium è terrâ evomitiones, ac profluvia: quorum pars etiamnunc durat in loco, qui quomdam ob id dicebatur *Vulcani forum*; nunc verò vulgò eſt *La Solforata*.

X. Ab Averno lacu & Cimmeriis rediit in Aeæam inſulam ad Circen. quâ de re ita Auſonius, *in Periochâ Odyſſ. lib. XII: Compertis à Tireſiâ vate, quæ oportuit ſcire, regreditur ad Circen: ab eâque, ut evitet mala cætera, edocetur. ut Sirenas prætereant; letalem navigantium cantilenam: ut Scyllam prætervehatur & Charybdin, freti Siculi famoſa portenta. Quibus malis non ſine gravi perpeſſione ſuperatis, Trinacriam pervehitur. ubi incuſtodita Solis armenta, fruſtra prohibente ipſo, cæteri ſocii, penuriâ cogente, dilaniant: diriſque prodigiis admiſſâ boum cæde terrentur. ac mox inde navigantes, fulmine ad unum omnes intereunt, excepto Vlixe. qui fragmento carinæ cohærens, &* *VII ad Sirenas.*

adminiculo ejus adjutus, ad Ogygiam inſulam ſolus enavit. Homerus Sirenas diſertè inter Acæam inſulam, & Scyllam Charybdimque refert, quas poſteà interpretes ejus & omnes geographi in tribus ſcopulis ante Surrentium ſive Minervæ promontorium collocarunt: quos inde *Sirenum* adpellavere *ſcopulos* & *ſaxa* & *Sirenuſas inſulas.* Unde etiam Virgilius ſuum circa eadem loca circumductat Aeneam; *in fine lib. V.* Sed Homerus longè aliam Sirenum intellexiſſe videtur ſedem; *Odyſſ. lib. XII.* Apollonius, *Argonaut. lib. IV*, diſertè eam adpellat inſulam; eamque pulcram ac floridam. ea nulla alia eſſe poteſt, quàm quæ, ante Surrentum opidum & Minervæ ſive Surrentinum promontorium ſita, alio nomine dicta eſt *Caprea*, vulgò nunc *Capri.* Hinc quum in mare ſeſe præcipitaſſent, converſas eſſe in treis illos ſuprà dictos ſcopulos, antiquitas fabulata eſt.

VIII ad Scyllam & Charybdin. XI. Ab hâc Sirenum inſulâ ſtatim per fretum Siculum navigantem facit Ulyſſem Homerus inter *Scyllam* & *Charybdin.* Aneiæ fabulæ fictores, quum hæc etiam loca Aeneæ erroribus inſerere cuperent; nec tamen ritè per ipſum fretum ducere eum poſſent; quidpe cui ad Ulyſſis imitationem Africæ Syrtes & Siciliæ Eryx Aeoliæque inſulæ adeundæ erant; nec ab Italiâ in Græciam vel Aſiam, revertendum; ab Epiro extimum Italiæ litus ad fretum uſque, & inde orientale meridionaleque Siciliæ latera ad Erycem uſque præternavigantem fecerunt. & ut Homerus Circen fingit Ulyſſi de tranſnavigando freto præcepta dantem; ſic apud Virgilium Helenus Trojanum Aeneam in epiro monet de eodem fugiendo.

XII. Cæterùm Ulyſſes tranſmiſſo freto ſtatim ad *Thri-*

ad *Thrinaciam* ſive *Solis inſulam* adpulit; id eſt, ut interpretes poëtæ & geographi exponũt, ad Siciliam. *Odyſſ. lib. XII.* Sed imperitè poſteà fecerunt illi Homeri interpretes, qui ſtabula boum Solis citra fretum in Mylenſi poſuerunt litore. De cætero, quum Solis boves, dormiente Ulyſſe, mactatos adſumſiſſent ſocii ejus, tempeſtas abnavigãtibus immiſſa eſt, quâ omnes perierunt, ipſo ſolo excepto; qui ad Charibdim rejectus. *IX ad Thrinaciam ſive Solis inſulam adpulit.*

XIII. Hinc porrò, malo navis confractæ carinæque inſidens, ad *Calypsûs inſulam Ogygiam* ſolus delatus eſt. Plinius *lib. III cap. X* hanc Calypsûs inſulam ante Lacinium collocat promontorium. Alii *Nymphæam inſulam*, ante Nymphæum Macedoniæ ad Adriaticum ſinum promontorium Calypsô tribuerunt; in quibus Apollonius fuit Rhodius. Verùm Melitam inſulam Homero habitam eſſe Ogygiam Calypsûs ſedem capite XVI hujus lib. II oſtenſum eſt. In hanc igitur Ulyſſes, malo navis carinæque inſidens ac manibus ſuis remigans, poſt nonum tandem diem pervenit, CCXX millia paſſuum emenſus. *X. ad Ogygiam inſulam delatus.*

XIV. E Calypſûs inſulâ, ſive Melitâ, poſt VII annorum moram *in Phæaciam* ſive *Scheriam* navigavit quâ de re ita Auſonius, *in Periochâ, Odyſſ. lib. V: Mercurius in Ogygiam inſulam devolat; ut, jovis monitis Calypſo conterrita, Vlixem patiatur diſcedere. qui contextu ratis temerè properare navigationem ſolus adgreditur. Duo de vigeſimâ die, tempeſtate commotâ, ex iracundiâ infeſtante Neptuno, trabium compago diſſolvitur. quo caſu proditur ultima ſpei: & irritis conatibus nando ab Ino dea miſericorde ſervatur. quæ calanticam capiti ſuo demtam natanti accommodat. cujus ille ſuſtentatu ad uſque Phæacum litus evadit.* In Corcyram eum deveniſſe jam anteà capite ſuperiori oſtenſum *XI. in Phæaciã ſive Scheriam navigavit.*

ſum eſt. Septemtrionalia ſidera Ulyſſes,ut ex ejus navigatione perſpicitur,præ oculis habuit, ad temonem ſedens,ad ſiniſtram declinantia.Is ſanè rectiſſimus curſus erat à Melitâ versùs Corcyram naviganti quamquàm proximum ei iter fuiſſet rectà à Melitâ ad Cephaleniam : cui ab ortu æſtivo adjacebat Ithaca ; quæ hodiè putatur eſſe ea,cui vulgaris adpellatio *Valle di Compare*. Cæterùm Aeneiæ fabulæ compoſitores Aeneam ſuum in itinere ab Ilio versùs Drepanum atq; Erycem, in præternavigatione hujus litoris,ad Buthrotum Epiri deduxerunt opidum; cui Corcyra ab occaſu objecta eſt. Dionyſius *lib. I.* Virgilius *Aeneid. lib. III.*

XII tandem in Ithacam reverſus. XV. Ab Corcyræ portu in *Ithacam* cxx circiter quũ ſint millia paſſuum , unius diei noctiſq; ſpatio id itineris emenſi ſunt Alcinoi remiges,dormientem Ulyſſem in navi eò deportantes quâ de re ità Auſonius , *in Periochâ Odyſſeæ lib. XIII. Enarratis omnibus, quæ in multiplici errore pertulerat, à principibus Phæacia viris,donis plurimis honoratur. à quibus remigio & neceſſariis omnibus navis inſtruitur. dormienſque in Ithacam quietiſſimâ navigatione devehitur. atque illic in portu patrio cum muneribus univerſis quieſcens & omnium ignarus exponitur : Phæacibus, eo dormiente, remeantibus.* Atque hactenus errorem Ulyſſis ad ipſius Homeri aliorumque vetuſtiſſimorum auctorum mentem expoſuiſſe ne pigeat.

FINIS SICILIAE ANTIQVAE.

PHI-



Digitized by Google

PHILIPPI CLUVERI

SARDINIA ET CORSICA CONTRACTA.

CAPUT I.

De Sardiniâ.

I.

SARDINIA inſula Græcis dicitur Σαρδὼ Σαρδοῦς *Sardo*; & item Σαρδὼν Σαρδόνος, *Sardon*. Incolæ plerumque Σαρδῷοι, *Sardôi*; & nonnumquam Σαρδόνιοι, ac Σαρδώνιοι, *Sardonii*: Romanis verò *Sardi*. Nomen id unde originem traxerit planè incertum eſt. quidpe Græcorum fabulas ſequi piget, quibus à *Sardo* Herculis filio adpellata traditur Sardinia. Eædem Græcis Σανδαλιῶτις, SANDALIOTIS. & Ἴχνοῦσα, ICHNUSA, à figurâ fuit dicta, hoc eſt, ab effigie ſoleæ ſeu veſtigii humani. Stephani epitomator. Martianus Capella *lib. VI.* Plinius *lib. III cap. VII.* Silius *lib. XII.* Iſidorus *Origin. lib. XIV cap. VI.* Pauſanias *in Phocicis*. Sic ſcilicet Græci Siciliam quóque à figurâ vocaverunt Trinacriam; quia in Τρεῖς ἄκρας, id eſt, *in tria promontoria* excurrebat univerſa. Projecta autem eſt *Sar-*

Sardiniæ adpellatio figura & magnitudo.

eſt *Sardinia* ab ſeptemtrionibus in meridiem verſùs. Summa ejus longitudo, inter ſeptemtrioneis & meridiem, à promontorio, cui vulgaris adpellatio *Capo della Teſta*, ad promontorium vulgò *capo Tavolaro* dictum, millium eſt circiter CLXX: maximà latitudo inter occaſum & ortum, à promontorio *Capo della Caccia* uſque ad promontorium *Capo Comino*, millium XC. univerſæ circuitus, menſurâ per promontoria & ſinuū fauceis actâ, millia confecerit IↃLX. qui eſt numerus Plinii *lib. III cap. VII.* Magnitudine igitur ſuâ Siciliam ferè exæquat: cujus ambitus IↃC implet millia. Et hinc factum, uti alii Siciliæ eam æquarent; alii etiam præferrent. Herodotus *lib. I & V.* Scylax, ἐν Περίπλῳ. Diodorus *lib. V.* Pauſanias *dicto loco.* Polybius *lib. I.* Marcianus Heracleenſis, ἐν Περιηγήσει· Strabo *lib. II.* Conſtantinus Imperator, *Thematum imperii oriental. lib. II.*

Sardiniæ cœli ſoliq; natura. II. Sardiniam fructuum proventu præſtantem urbis Romanæ benigniſſimam, unà cum Siciliâ, adpellat nutricem Valerius Maximus *lib. VII cap. VI.* Ea inſulæ ora, quæ ad Aquilonem & Italiæ continentem eſt converſa, aſpera eſt, & montoſa. Inter montes aër plerumque turbidus & peſtilens includitur. In hâc inſulâ neque ſerpentes neque lupi gignuntur: ſed ſolifuga tantùm; animal exiguum, ſimile aranei formâ; ita dictum, quòd ſolem fugiat. In metallis argenteis plurimum eſt: nam ſolum id argenti dives eſt. occultim reptat, per imprudentiam ſuperſedentibus pernicioſum. Venenum ibi non naſcitur: niſi circa fonteis maximè herba Sardonia, plurimis ſcriptoribus & poëtis memorata, apio ſimilis; quæ comeſta veſcentium nervos contrahit, rictu ora diducit; ut, qui ita moriuntur,

untur, ridentium ſacie intereant. Sed fonteis quoque habet calidos & ſalubreis, qui medelas adferunt, aut ſolidant oſſa fracta, aut abolent à ſoli fugis inſertum venenum, aut oculis medentur & coarguendis valent furibus, quibus cæcitatem præbent: ſi, ſacramento dato oculos aquæ ejus tetigerint. Inſula tamen hæc ſolum habet magnâ omnium rerum copiâ beatum; frumenti verò excellenter ferax. Polybius *lib. I.* Pauſanias *in Phocicis*, Silius *lib. XII.* Claudianus, *de Bello Gildonico.* Mela *lib. II cap. VII*, Solinus *cap. XI.* Iſidorus *Orig. lib. XIV cap. VI.*

III. Quinam antiquiſſimi fuerint Sardiniæ inſulæ cultores, inter auctoreis non convenit. Primùm Pauſanias, *in Phocicis*, fatetur ſe neſcire, quodnam ab initio nomen habuerit inſula apud primos indigenas. poſteà Græcos, qui negotiandi cauſâ in eam navigarunt, adpellaſſe *Ichnuſam*, ipſe unà cum Silio *lib. XII* tradit. poſt hos Sardum ei dediſſe Sardiniæ nomen. hinc è Bœotiâ cum Ariſtæo Græcos invectos eſſe colonos: mox ex Hiſpaniâ cum Norace Hiſpanos: tum Theſpienſeis cum Iolao: ac tandem Trojanorum ſive Ilienſium nonnullos, poſt exciſam Troiam. jam igitur velim ſcire, quinam illi fuerint Græci, qui tanto temporum intervallo ante Troianum bellum in hanc inſulam mercimonii cauſa navigarunt. nam in Siciliam, Græciæ multò propinquiorē, annis tandē CCCCXLVIII poſt Troiam captam primos trajeciſſe Græcos, in Siciliæ deſcriptione *lib. I. cap. II, ſ. XIII* oſtenſum eſt. Quis igitur temerè crediderit, Græcos, neglectâ Siciliâ, inſulâ longè præſtantiore, ſibique multo propinquiore, voluiſſe Sardiniam petere? Item, quomodo

Sardiniæ cultores.

Sardus primum inſulæ nomen *Jchnuſa* mutavit in *Sardiniæ* vocabulum; quando illud inſulæ non fuit proprium; ſed tantùm à Græcis mercatoribus inter Græcos uſurpatum? ut Trinacriæ nomen in Siciliâ. Hanc igitur Silii Pauſaniæq; ſententiam meritò quis damnaverit. Ex Africâ primos, quod idem tradit Pauſanias, immigraſſe cultores duce quodam Sardo, à quo inſulæ pariter atque incolis nomen impoſitum, haud equidem negaverim; quando Africa ei omnium continentium eſt proxima. A ductoribus autem in diſperſione gentium & ipſas ſimul genteis ſimulq; terras, quas occupabant, accepiſſe nomina; ipſos verò ductoreis alîus dei poſteà habitos fuiſſe filios; quum cuncta illa deorum varia nomina atque numina ad unum verum æternumque Deum, rerum omnium juxta & primi hominis Adami conditorem, pertinerent; in Germaniâ antiquâ oſtenſum eſt. Ab ejuſmodi igitur aliquo ductore *Sardo Sardinia* primùm in gentium diſperſione occupata adpellataque eſſe potuit; incolæ verò ipſi *Sardi*. Strabo unde ſolus *lib. V* Inter omneis reliquos auctores in eamdem, jam ante Herculis & Iolai tempora deduxerit Tyrrhenos ſive Etruſcos, nemo facilè dixerit. Hiſpanorum quoſdam poſt Sardos ante bellum Troianum duce Norace, ut Solinus cap. x tradit, immigraſſe, præfractè abnuere nolim. De iis verò Græcis, quos vel Ariſtæus vel Iolaus duxiſſe dicuntur: de quibus idem Solinus & Diodorus *lib. V.* planè fabuloſum & per vulgarem illam Græcorum vanitatem, ut innumera alia, maximè verò de Hercule, confictum videtur. nulla quidpe his erat ratio, cur potiùs in Sardiniam, quàm in Siciliam ſedeis conferrent, inſulam lon-

longè præſtantiorem, occupatuque faciliorem. Atq; circa *Jolaéos* ſive *Jolaënſeis* non tantùm inter ſe pugnant præſcripti auctores, ſed etiam ſecum ipſi. quippe diſertè illis adſcribunt Diodorus atque Strabo, quæ *Jlienſibus* Pauſanias. Rurſum, heic ait, ſuâ ætate loca quædam adpellata fuiſſe *Jolaïa*; quorum incolæ *Jolaum*, conditorem auctoremque gentis ſuæ, venerati ſunt. Diodorus verò tradit, amœniſſimos inſulæ campos vocatos *Jolaéos*; ipſos verò *Jolai* poſteros *Jolaéos* in montanis, quò ſe jam inde à Carthaginienſibus pulſi receperant, ſuâ tempeſtate habitaſſe: cui adſentitur Strabo. Certè, quum ab heroë aliquo pars Sardorum nomen quoddam peculiare accepiſſet; Græci id poſteà, ut ſæpè alibi factum, in *Jolai*, Græci ac noti ſibi herois, *Jolaenſiumque* nomen detorſiſſe videntur. alii verò in *Ilienſium* vocabulum; quos Plinius, Pauſaniaſque ac Silius ſecuti ſunt; & item Livius *lib. XLI.* quorum tamen heic nullos prorſus agnoverunt graviſſimi aliàs ſcriptores Diodorus atque Strabo. Quin hic, Diodori ſub Auguſto Cæſare æqualis, & Melâ, Plinio, Pauſaniâque prior, non *Jolaënſeis*, ſive *Jolaéos* ſeu *Jolaïos*, neque *Ilienſeis* ſuâ ætate adpellatos fuiſſe tradit; ſed *Diagebrenſeis*; nomine longè ab illo diverſo atque alieno. unde haud levis oritur ſuſpicio, confictam eſſe omnem illam de Jolai poſteris fabulam. Huc accedit, quòd Pauſanias ſuos *Ilienſeis* tradit eſſe *facie, armaturá, totâque victus ratione Afris perſimileis.* Jam verò neque illa ſatis inter ſe congruunt; ubi idem Pauſanias ait Carthaginienſeis, quum primùm in inſulam trajeciſſent, omneis inde ejeciſſe, præter *Ilienſeis* & *Corſos*; qui in montium aſpera atque prærupta ſeſe re-

ceperant: nihilo minus tamen continuò pòſt ait Afros atque Hiſpanos, priſcos ſcilicet inſulæ cultores, à Carthaginienſibus deficienteis, itidem in montana ſe recepiſſe; ibique à Corſis adpellatos fuiſſe *Balaros*. Cæterùm Phœnices paullo ante bellum Troianum colonias ſuas miſiſſe in Hiſpaniam, Africam, Siciliam, Sardiniam, & Melitam, in Siciliæ deſcriptione *lib. I cap. II* oſtenſum eſt.

Græcorũ in Sardinia coloniæ, & Carthaginienſiũ,

IV. Græci poſtmodum aliquam deduxiſſe videntur in Sardiniam coloniam, vel ſub idem cum Siciliâ tempus, vel paullo pòſt. hinc quidpe illæ de Ariſtæo ac Iolao fabulæ natæ: hinc item illa *gymnaſia & deorum templa, ac omnia reliqua monumenta, quæ felicitatem illorum hominum indicant*: quæ ſuâ adhuc ætate ſuperfuiſſe teſtatur Diodorus *lib. V.* & *Locrenſes* neſcio quos aut unde huc deduxerunt alii auctores; quos Solinus ſequutus. Hos quando Carthaginienſes iterum expulerint, nuſquam adnotatum reperitur: niſi quod, pòſt Troianum bellum id factum, è Pauſaniâ colligere licet. Carthaginienſes duce Mazeo bellum in Sardinia gerentes victi ſunt: à quo exule ipſa deinde capta eſt Carthago; temporibus Cyri, regis Perſarum. Juſtinus *lib. XIIX*, Oroſius *lib. IV cap. VI.* At Cyrus Perſarum regnum adeptus eſt Olympiadis LV anno primo; annis CLXXIV pòſt, quàm primi in Siciliam tranſmigraverunt Græci, regnavitque annos XXX. Summum verò Athenis magiſtratum gerente Philocle, anno primo Olymp. XCVII, iterum ſub Carthaginienſium ditione fuiſſe videtur Sardinia. Diodorus *lib. XIV & XV.*

Sardinia ſub Romanorũ

V. Romani nihil in eam inſulam tentarunt ante bellum Punicum primum: cui finis impoſitus, paxque

que Carthaginienſibus eâ conditione datâ, uti Siciliâ Sardiniâque inſulis cederent. Hinc perpetuò in eorundem Romanorum manſit ditione; niſi quod ſub bellum Punicum ſecundum inſtinctu Carthaginienſium rebellaverint; ſtatimque ſubacti iterum fuerint. quamquàm montana inſulæ incolentes numquam ſatis debellari potuerunt. Subacta verò eſt Sardinia bello Punico ſecundo, ex quâ domitâ T. Sempronius Gracchus altero conſulatu tantum numerum captivorum adduxit, ut longâ venditione res in proverbium abiret; *Sardi venales.* incolas ipſos non optimos, & quoſdam patriâ ſuâ peſtilentiores M. Tullius Cicero *lib. VII Famil. epiſt. XXIV* ſignificat: ut Tigellinum illum cantorem, Cæſaris familiarem: cujus improbum ingenium Horatius pulchrè expreſſit *lib. I. Sat. III.* Præcipui tamen Sardiniæ populi ſub Romanorum imperio fuêre Διαγηβρεῖς, Βαλαροὶ, καὶ Κόρσοι· *Diagebrenſes, Balari, & Corſi.* His prætereà à Strabone adnumerantur Ἀκόνιτες, Ταράτοι, Σοσινάτοι· *Aconites, Tarates, & Soſſinates.* Livio etiam memorantur *Pellidi*: quorum caput eſt opidum *Cornus.* Sed vocabulum id fortè mendoſum eſt à genuino *Pelliti.* Montoſæ inſulæ partes quum ſint verſùs Corſicam poſitæ, in his fuiſſe *Balaros* illos, *Diagebrenſeis, Tarates, Soſſinates, Aconitas* atque *Corſos,* certum eſt.

poteſtate.

Sardiniæ populi.

VI. Opidorum notitiam unis fermè debemus Ptolemæo & Antonini Itinerario. Straboni *lib. V* & Melæ *lib. II cap. VII* præcipuæ & antiquiſſimæ memorantur *Caralis* & *Sulchi.* Apud Ptolemæum ita eſt: *Occidentale latus: Gorditanum promontorium, Tillium opidum, Nymphæum portus, Hermæum promontorium. Termi fluvii*

oſtium,

oſtium, Coracodes portus, Terras opidum, Thyrſi amnis oſtium, Uſellis urbs colonia, Sacri fluminis oſtium, Oſaa opidum, Sardopatoris fanum, Neapolis, Pacheum promontorium, Meridionalis lateris deſcriptio: Sulci urbs & portus.

Gorditanum promontoriũ Herculis inſulæ.

Ex his Γορδιτανὸν ἄκρον, GORDITANUM *promontorium*, eo ſitu contra *Herculis inſulam*, quæ vulgò nunc dicitur Aſinara, à Ptolemæo ponitur, uti nullum aliud eſſe poſſit, quàm quod vulgò nunc vocatur *Capo di Monte Falcone*, & *Capo di Argentera*. Plinius *lib. III cap. VII: Habet*, inquit, *& à Gorditano promontorio duas inſulas, quæ vocantur Herculis.* Ex his major adpellatur, ut dictum, *Aſinara* ſive *Zavara*; minor verò, *Iſola Piana*.

Tillium opidum.

VII. Hinc Τίλλιον, TILLIUM, ſive Τίλιον, *Tilium*, ex Ptolemæi poſitione habendum id opidum, quod vulgò nunc vocatur *Argentera*.

Nymphæus portus. Hermæũ ſive Mercurii promontorium. Diabate inſula.

VIII. Τὸ Νυμφαῖον λιμὴν, NYMPHÆUM *portus* is locus eſt, qui apud opidum *Monte Ciraro* vulgò vocatur *Porticivolo*, nam τὸ Ἑρμαῖον ἄκρον, HERMÆUM ſive *Mercurii promontorium* nullum aliud eſſe poteſt, quàm quod vulgò nunc dicitur *Capo della Caccia*. & inter utrumque poſita eſt exigua illa inſula, quæ Ptolemæo vocatur Διαβατὴ, *Diabate*, vulgò nunc *Faluga* adpellata.

Coracodes portus.

IX. Κορακώδης λιμὴν, CORACODES *portus* eſt opidum, quod hodiè vulgò vocatur *Algeri*, ad ſinum ſatis amplum & multarum navium capacem. *Coracenſium* opidum haud dubiè fuit Κόραξ, CORAX: & inde proximus ei portus jam dictus cognomine *Coracodes*. Τερμὸς ποταμὸς TERMUS *amnis* erit is, qui inter hoc opidum & promontorium Hermæum in ſinum Algerenſem effunditur. Niſi hunc etiam à vero ſitu deturbaſſe

Corax opidum. Termus amnis.

baſſe ſuſpiceris Ptolemæum; maliſque *Termum* eſſe eum, qui apud Boſam in mare effunditur. Nam hic altero illo inter Algerium opidum & Mercurii promontorium major eſt; ideoque memoratu dignior.

X. Νεάπολις, NEAPOLIS hodiéque vulgò vocatur *Neapoli.* prope hoc autem opidum, ab auſtrinâ parte in ſinum maris effunditur maximus totius inſulæ amnis, & mediam ſecans. qui ex hoc documento deprehenditur eſſe is, qui Ptolemæo, Pauſaniæ, atque Antonino dicitur Θύρσος ποταμὸς, THYRSUS *amnis.* nam hunc per mediam fluere inſulam, è Pauſaniâ intelligimus. *Neapolis opidum.* *Thyrſus amnis.*

XI. Ὀσαία πόλις, OSÆA *opidum* vulgò hodiéq; inter Neapolin & Boſam vocatur *Oſeo.* *Oſæa opidum.*

XII. BOSA, paullum ab litore in mediterranea recedit, ad amnis oſtium in medio occidentali latere ſita. Plinio *lib. III cap. VII* opidani inde dicuntur *Boſenſes.* *Boſa opidum.*

XIII. Ptolemæo poſt Thyrſi oſtium ponuntur Ὄυσελλις πόλις κολωνία, USELLIS *urbs colonia*, & Ἱερὸς ποταμὸς, id eſt, SACER *fluvius.* Hic eſt is, qui inter Thyrſum & promontorium *Capo di Fraſca*, in ſinum Neapolitanum effunditur. Ipſa verò urbs ſive Colonia Uſellis erit ea, quæ ſecunda à capite, vulgò nunc dicitur *Oriſtagni*, intus paullum recedens. *Uſellis colonia.* *Sacer amnis.*

XIV. Τάῤῥας πόλις, TARRAS *opidum*, quo ſitu fuerit, planè incertum eſt. *Tharrhos* tamen eſſe videtur, quod apud Antoninum poſt *Cornos* ponitur. *Tarras opidum.*

XV. Locus apud Antoninum METALLA, inter Neapolin & Sulcos, opidum fuiſſe videtur ex hodiernâ adpellatione, quâ vulgò dicitur *Cività di Gleſie,* *Metalla opidum.*

id eſt, *Civitas Eccleſiarum*, nam heic hodie argenti exſtant metalla.

Sardopatoris fanum.

XVI. Apud Ptolemæum inter Oſæam & Neapolin legitur Σαρδοπάτορος ἱερὸν, SARDOPATORIS *fanum*. Fuit fanum iſtud in promontorio *Capo di Fraſca*; vel ſcripſit Ptolemæus Σαρδοπάτορος ἄκρον, *Sardopatoris promontorium*.

Bertula inſula.

XVII. Inter hoc promontorium & promontorium Mercurii, ſive inter Boſam & Neapolin, duæ objacent inſulæ, quarum major *Ceſſia di donna*, minor *Malavente*, vulgò dicuntur, major earum videtur eſſe eadem quæ in Tabulâ itinerariâ eſt BERTULA inſula.

Craſſum promontorium. *Pupulum opidum.*

XVIII. Poſt Sardopatoris ſive fanum ſive promontorium, Ptolemæo eſt ἡ Παχεῖα ἄκρα, id eſt, CRASSUM *promontorium*: & poſt hoc Πούπυλον πόλις, PUPULUM *opidum*, in extremo inſulæ verſùs occaſum hibernum excurſu, qui terminus eſt occidentalis meridionaliſque laterum. *Craſſum* igitur *promontorium* erit id, quod inter hoc ultimum & Fraſcam in mare protenditur.

Sulci urbs.

XIX. Hinc jam in ipſo ſequebatur meridionali latere antiquiſſima Carthaginienſium colonia Σοῦλχοι, pluralis numeri dicta vocabulo; quod Romani fecêre SULCI unde opidani Hirtio *in fine libri de bello Africano*, & Plinio *lib. III cap. VII*, dicuntur *Sulcitani*. Apud Plinium tamen promontorium ibidem dicitur *Sulcenſe*: unde patet, & ipſos opidanos interdum Romanis dictos fuiſſe *Sulcenſes*. Sub primum haud dubiè in inſulam adventum condidêre Sulcos & Caralim, antiquiſſimas Sardiniæ urbes, Carthaginienſes, colonis pœnis ex Africâ deductis. Situs Sulcorum è

Pro-

Ptolemæi tabulâ diſpectu difficilis, maritimam tamen is facit urbem cum portu, in meridionali inſulæ latere. Eſt hodiè inſula prope meridionale inſulæ litus, vulgari adpellatione *l' Iſola di Sant Antioco*, objecta portui, qui vulgò dicitur *Palma di Solo.* qui ex ſitu & vocabuli quâdam ſimilitudinè colligitur eſſe antiquæ urbis Sulcorum locus: inſula verò eadem, quæ Plinio dicitur ENOSIS. SULCITANUM autem ſive *Sulcenſe promontorium* ideſt, quod portum Sulcitanum à meridie claudens, vulgò nunc dicitur *la Punta dell' Ulga.* *Enoſis inſula. Sulcenſe promontorium.*

XX. Inſulæ S. Antiochi ab occaſu alia obiacet contra idem meridionale Sardiniæ litus, quæ vulgò adpellatur *Iſola di S. Pietro.* inter hanc verò & *Pupulum* alia eſt parva inſula. Ptolemæus contra Pupulum & Craſſum promontorium duas verſùs occaſum ponit inſulas, quarum proxima dicitur Μολυβώδης, id eſt, PLUMBARIA; longinquior Ἱεράκων νῆσος, id eſt ACCIPITRUM *inſula.* Hæ duæ an ſint illæ prædictæ divi Petri & minor ab hac verſùs occaſum æſtivum inſulæ, haud temerè poteſt adfirmari; quando inter divi Petri inſulam & inſulam divi Antiochi aliæ præterea duæ cernuntur inſulæ exiguæ, quarum altera prope divi petri inſulam vulgò dicitur *Iſola Piana*, altera apud divi Antiochi inſulam *Iſola de Franceſi.* *Plumbaria inſula. Accipitrum inſula.*

XXI. Iuxta eamdem Antiochi inſulam ab ortu duo ſunt ſcopuli, quorum alter propiùs modò dictam inſulam vulgò vocatur *Il Toro*, id eſt, *Taurus*; alter hinc verſùs ortum, *La Vacca.* In Tabulâ itinerariâ duæ apud Sardiniam notantur inſulæ, *Boaris & Bonenna.* Eſſe eaſdem, quæ nunc *Il Toro* & *La Vacca* dicuntur, ipſa vocabula indicant, Altera eorum dici poterat *Boaris & Bucinna inſulæ.*

Βoαεὶς, Βοαεΐδος; Latinè *Boaria*. At alterius vocabulum corruptum videtur à genuino Βύκιννα, *Bucinna:* quo nomine una etiam ex Aegadibus adpellata fuit.

Peninſula.

XXII. Χερσόννησος, PENINSULA, ex tabulâ Ptolemæi cognoſcitur eſſe ea, quæ, S. Antiochi inſulæ objecta, ad cervicem ſive iſthmum habet opidum vulgari vocabulo *Parignano*.

Biœa ſeu Biotha opidū cum portu.

XXIII. Poſt prædictam peninſulam & inſulam S. Antiochi, portus eſt vulgari adpellatione *Porto Beta* dictus. qui eſt Ptolemæi Βίοια λιμὴν, *Bioea portus*, Quia tamen portus hic vocatur hodiè *Beta*, apud Ptolemæum etiam ſcriptum fortè fuit Βίοθα πόλις καὶ λιμὴν, id eſt, *Biotha opidum cum portu.*

Cunicularium promontorium. Cunicularia inſula.

XXIV. Κουνικουλάριον ἄκρον, CUNICULARIUM *promontorium* eſt id, quod, à meridie Caralitanum ſinum includens, vulgò nunc dicitur *Capo Pulo*: ante quod parvæ jacent inſulæ aliquot. Tabulæ itinerariæ circa Caralim eſt CUNICULARIA *inſula*.

Herculis portus.

XXV. Prope Cunicularium promontorium eidem Ptolemæo à meridie ponitur ὁ Ἡρακλέους λιμὴν HERCULIS *portus*. Hic haud dubiè idem eſt opidum, quod nunc vulgò vocatur *Chia*.

Caralis urbs.

XXVI. Sequitur hinc totius inſulæ caput, vulgò incolis *Caglier*, Italis verò *Cagliari* dictum. Antiquis auctoribus Græcis vocatur Κάραλις, Latinis pleriſque plurali numero CARALES: & inde opidani *Caralitani*. Mela *lib. II cap. VII*, *vetuſtiſſimas* Sardiniæ *urbes* vocat *Caralin* & *Sulcos:* nempe quia à Phœnicibus ſub primum in hanc adventum conditæ fuêre; Pauſanias *in Phocicis*. Sinus Caralitanus, quem Claudianus *de Bello Gildonico* vocat *portum*, & *medium mare*, & item

item *ſtagnum ingenti receſſu*, unà cum ipſâ urbe, quæ ad medium ejus ſita eſt, ab occaſu æſtivo verſùs ortum hibernum proſpicit Africam, quà caput ejus olim erat Carthago, juxta Mercurii promontorium, quod nunc vulgò eſt *Capo Buono*. Hinc illud Plinii *lib. III cap. VII*: *Sardinia abeſt Africâ Caralitano promontorio ducenta millia*. Urbs Caralis hodiè in intimo receſſu ſita eſt. at olim extenſam fuiſſe in promontorium uſque, quod heic adpellat Plinius CARALITANUM, in quo nunc fanum conſpicitur S. Eliæ. Ptolemæus eodem ſitu ponit ipſam urbem & promontorium. Et ingentem fuiſſe urbem, teſtatur Florus *lib. II cap. VI*. Caput igitur jam tum ab initio fuit totius inſulæ, poſtqàm à Phœnicibus condita & à Carthaginienſibus habitata eſt.

Caralitanum promontoriū

XXVII. Sinum Caralitanum à ſeptemtrionibus claudit promontorium, quod vulgò vocatur *Capo Ferrato*, & *Capo di Carbonara*. huic adjacent tres inſulæ, contra Caralitanum promontorium ab ortu ſitæ. Ex his juxta Plinii relationem ea eſt FICARIA inſula, quæ Caralitano promontorio proxima eſt. Altera fortè fuerit illa Κολλώδης, COLLODES Plinii; altera Ἥρας λȣτρά, HERAS LUTRA, ſive *Junonis balneæ*. Ultra has, verſus ſeptemtriones, haud longè abſunt aliæ tres minores inſulæ, vulgari vocabulo dictæ *Le Sanguinare* hæ fortè fuerint BELERIDES, ſive *Balarides* inſulæ.

Ficaria inſula.

Collodes & Heras Lutra, inſulæ.

Belerides inſulæ.

XXVIII. Καραλιτανὸς κόλπος, CARALITANUS *ſinus* à Cuniculario protendebatur promontorio ad promontorium uſque Carbonarium.

Caralitanus ſinus.

XXIX. Latus orientale ab Carali ita deſcribitur Ptolemæo: *Caralis urbs & promontorium, Caralitanus*

nus ſinus, Suſaleus vicus, Sapri amnis oſtium, Sypicius portus, Cedris fluvii oſtium, Feronia opidum, Olbia urbs, Olbianus portus, Columbarium promontorium, Urſi promontorium. Septemtrionalis lateris deſcriptio: Erebantium promontorium, Plubium opidum, Iuliola opidum, Tibula opidum, Turris Biſſonis opidum. Ex his quia pleraque loca obſcura ſunt, nota ac certiora primùm explicanda. Ὀλβία πόλις, OLBIA urbs, hodiéque nomen in ruinis retinet. Stephano tamen, Oroſio & Iornando adpellatur *Ulbia*. Opidani Inde dicebantur *Olbienſes* & *Ulbienſes*. Antiquiſſimam fuiſſe urbem, vel inde patet, quòd Theſpienſium, qui duce Iolao in Sardiniam tranſiviſſe ferebantur, opus exiſtimatum ſit. Pauſanias. Primam in Sardiniâ urbem adgreſſum L. Scipionem *Olbiam* Zonaras *tom. II* tradit. Poſteriori etiam tempore eximiam ejus fuiſſe dignitatem, ex eo liquet, quòd M. Ciceronis frater Quinctus, proconſul provinciæ Sardiniæ, in eâ urbe præſedit; ut ex Marci patet epiſtolis, ad Quinctum ſcriptis *lib. II epiſt. III, VI, VIII.* Poſteà etiam ſecundo loco fuiſſe à Caralibus, patet ex Oroſii *lib. I cap. II.*

Olbia ſeu Ulbia urbs.

XXX. Ante τὸ Κολυμβάριον ἄκρον, COLUMBARIUM *promontorium*, locatur à Ptolemæo Ἑρμαία νῆσος, HERMÆA, ſive *Mercurii inſula*. Inſula toto hoc orientali Sardiniæ latere nulla eſt, poſt Beleridas, niſi quæ ad ſeptemtrionalem inſulæ partem vulgò vocatur *Iſola di Tavolaro*, ſive *di Tolara*, inter duo promontoria projecta, quorum alterum ab meridie vulgò dicitur *Capo Cavallo*, alterum ab ſeptemtrionibus *Capo di Sarda*, quorum eſt illud Columbarium.

Columbarium promontoriũ Hermæa, ſive Mercurii inſula

XXXI. Ὀλβιανὸς λιμὴν, OLBIANUS *portus*

Pro-

Olbianus portus.

Ptolemæo inter Olbiam & Hermæam inſulam, ſive Columbarium promontorium medius ponitur, ac eſt ille, qui inter duo promontoria, quibus vulgares adpellationes *Capo Comino* & *Capo Cavallo*, primò in ſinum, deinde in lacum inter opida, quibus vulgaria vocabula, *Caſtro Deſen*, *Siniſcola*, *Lode* & *Peſata*, protenditur.

Luquido opidum. Luquidonenſium portus.

XXXII. *Luquidonenſium* opidum fuit Λουκουίδων, *Luquido*, ſive *Luguido*. Horum portus erat in orientali inſulæ latere: qui Antonino dicitur *Luguidonis portus* fuit is in ſinu ſeu lacu, qui vulgò dicitur *Lago Liaſto*, ſive *Lago d'Ogliaſtre*, apud quem locus etiam nunc vocatur *Loconi*. eodemque nomine alius eſt, in mediâ ferè inſulâ; ubi ipſum haud dubiè fuit opidum *Luquido* ſeu *Luguido*.

Scarcapos opidũ

XXXIII. Inter dictum portum & Carbonarium promontorium alius eſt ſinus & portus ad oſtium amniculi, vulgò *Sarabos* dictus; is idem locus eſſe deprehenditur, qui in Antonini itinere dicitur *Scarcapos*. Apud Ptolemæum populi leguntur Σκαπιτανοὶ, *Scapitani*. hi fortè ab ipſo Ptolemæo ſcripti fuêre Σκαρκαπιτανοὶ, *Scarcapitani*.

Sæprus & Cedris amnes.

XXXIV. Ptolemæo inter Caralitanum ſinum & Olbiam duo referuntur amnes Σαίπρος, SÆPRUS, & Κέδρις, CEDRIS. quorum hic ab Olbia, ille à Caralitano ſinu, longè remoti ſunt. Hodiè eo litoris tractu duo tantùm noſcuntur fluvii: quorum alter ad Scarcapon erit ille *Sæprus*; alter, ad Luquidonenſium portum, *Cedris*.

Feronia opidum.

XXXV. Inter Cedrim amnem & Olbiam Ptolemæo ponitur in litore Φηρωνία πόλις, FERONIA

opidum

opidum. id fortè fuerit eo ſitu, quo nunc templum conſpicitur divæ Virginis, vulgò *Santa Maria Navareſa* dictum, in promontorio, quod Olbienſem ſinum à Luquidonenſi diſtinguit.

Cariſi, ſive Caniſi fanum opidum. XXXVI. A portu Luquidonenſi VIII circiter millia, Caralin verſùs, opidum vulgò nunc vocatur *Fani*. id videtur eſſe illud *Fanum Cariſi* Antonini. Ptolemæo populi referuntur Κουνουσιτανοὶ, *Cunuſitani*. ii fortè fuerint Κανουσιτανοὶ, *Canuſitani*; à *Fano Canuſi* ſive *Caniſi*.

Sulpicius portus. XXXVII. Situm SULPICIO *portui* tribuit Ptolemæus inter Cedrim & Sæprum amneis; propius tamen hunc. igitur ad promontorium fuit, quod Luquidonenſem & Scarcapitanum ſinus diſtinguit.

Suſaleus vicus. XXXVIII. Σουσαλεὺς κώμη, SUSALEUS *vicus* fuerit fortè inter Sæprum amnem & Caralitanum ſinum, eo loco, ubi *Fanum divi Petri* viſitur.

Ferraria opidum. XXXIX. FERRARIÆ Antonini, XX millia à Scarcapo, XIII à Carali diſſitæ, an rudera vel nomen adhuc exſtet, Cluverium latuit. Promontorium tamen id nomen traxiſſe videtur, quod vulgò nunc *Capo Ferrato*, & *Capo di Corbonara* vocatur. Neque *Vinioli*, ſive *Vineola*, inter Fanum Caniſi & Sulpicium portum, nec *Cochlearia* inter Ulbiam & Luquidonenſem portum, quibus locis fuerint, liquet.

Urſi promontorium. XL. [illegible] URSI *promontorium* hodiéque antiquum nomen obtinet, vu[illegible]*po dell'Orſo* dictum.

Er[illegible] XLI. [illegible]um collocat Ptolem[illegible]*tium promontorium:* [illegible]æ. Ex hoc ſitu id eſſe [illegible]citur *Capo della Teſta*, &

XLII. Π[illegible]-

XLII. Πλȣ́βιον πόλις, PLUBIUM opidum is videtur eſſe locus, qui nunc dicitur *S. Reparata.* *Plubium opidum.*

XLIII. Πύργος Βίσσωνος TURRIS *Biſſonis*, ſive Λιβίσσωνος, LIBISSONIS. Ejus ruinæ etiamnunc contra Herculis inſulas & Gorditanum promontorium exſtant, ſub nomine vulgari *Porto di Torre*; id eſt, *Portus Turris.* *Turris Libiſſonis urbs.*

XLIV. Τίβȣλα TIBULA fuerit opidum, quod nunc vulgò dicitur *Caſtro Aragonenſe*; & Ἰȣλίολα, JULIOLA fortè *Caſtro di Doria*. Celebris fuit *Tibula* locus, & quo ex Corſicâ trajicientes adpulerunt. In Antonini itinerario plurali numero vocatur *Tibulæ*. Hactenus loca maritima expoſita ſunt. In mediterraneis pauca antiquis ſcriptoribus memorantur. *Tibula & Juliola opida.*

XLV. Ea Sardiniæ pars, quæ ad ſeptemtrioneis eſt converſa, in monteis conſurgit invios. Quæ juga τὰ Μαινόμενα ὄρη adpellantur Ptolemæo, id eſt, INSANI *montes*, & Floro *lib. II cap. VII*, Claudianoque *de Bello Gildonico*. *Inſani monteѕ.*

XLVI. Γȣρȣ́λις παλαιὰ, GURULIS *vetus* ex antiquiſſimis fuit inſulæ opidis: ut quod ſub idem cum Olbiâ tempus conditum fertur. Pauſanias *in Phocicis*. Ruinas Gurulis opidi adhuc monſtrari ajunt, circa Algerium opidum, verſus Olbiam. atque eâ regione locatur à Ptolemæo contra Nymphæum portum. CARBIA Antonini, quo ſitu fuerit, planè non liquet. *Gurulis vetus.*

XLVII. Κόρνος πόλις, CORNUS *opidum* ... ilitorum Sardorum memoratur Livio qu... minis memoriam putant exſtare in lo... anc vocatur *Corneto.* nec ſitus pla...

XLVIII. A ſiniſtrâ Thyrſi ...

N

opidum. id fortè fuerit eo ſitu, quo nunc templum conſpicitur divæ Virginis, vulgò *Santa Maria Navareſa* dictum, in promontorio, quod Olbienſem ſinum à Luquidonenſi diſtinguit.

Cariſi, ſive Caniſi fanum opidum.

XXXVI. A portu Luquidonenſi VIII circiter millia, Caralin verſùs, opidum vulgò nunc vocatur *Fani*. id videtur eſſe illud *Fanum Cariſi* Antonini. Ptolemæo populi referuntur Κουνουσιτανοὶ, *Cunuſitani*. ii fortè fuerint Κανουσιτανοὶ, *Canuſitani*; *à Fano Canuſi* ſive *Caniſi*.

Sulpicius portus.

XXXVII. Situm SULPICIO *portui* tribuit Ptolemæus inter Cedrim & Sæprum amneis; propius tamen hunc. igitur ad promontorium fuit, quod Luquidonenſem & Scarcapitanum ſinus diſtinguit.

Suſaleus vicus.

XXXVIII. Συσαλεὺς κώμη, SUSALEUS *vicus* fuerit fortè inter Sæprum amnem & Caralitanum ſinum, eo loco, ubi *Fanum divi Petri* viſitur.

Ferraria opidum.

XXXIX. FERRARIÆ Antonini, XX millia à Scarcapo, XIII à Carali diſſitæ, an rudera vel nomen adhuc exſtet, Cluverium latuit. Promontorium tamen id nomen traxiſſe videtur, quod vulgò nunc *Capo Ferrato*, & *Capo di Corbonara* vocatur. Neque *Viniola*, ſive *Vineolæ*, inter Fanum Caniſi & Sulpicium portum, nec *Cochlearia* inter Ulbiam & Luquidonenſem portum, quibus locis fuerint, liquet.

Urſi promontoriũ.

XL. Ἄρτου ἄκρον, *URSI promontorium* hodiéque antiquum nomen obtinet, vulgo *Capo dell'Orſo* dictum.

Erebantium promontoriũ.

XLI. Prope Urſi promontorium collocat Ptolemæus τὸ Ἐρρεβάντιον ἄκρον, *Erebantium promontorium*: proximumque facit Corſicæ inſulæ. Ex hoc ſitu id eſſe colligitur, quod vulgò nunc dicitur *Capo della Teſta*, & *Capo di S. Reparata*.

XLII. Πλέβιον πόλις, PLUBIUM opidum is videtur eſſe locus, qui nunc dicitur *S. Reparata.* *Plubium opidum.*

XLIII. Πύργος Βίσσωνος TURRIS *Biſſonis*, ſive Λιβίσσωνος, LIBISSONIS. Ejus ruinæ etiamnunc contra Herculis inſulas & Gorditanum promontorium exſtant, ſub nomine vulgari *Porto di Terre*; id eſt, *Portus Turris.* *Turris Libiſſonis urbs.*

XLIV. Τίβελα TIBULA fuerit opidum, quod nunc vulgò dicitur *Caſtro Aragonenſe*; & Ἰελίολα, JULIOLA fortè *Caſtro di Doria.* Celebris fuit *Tibula* locus, & quo ex Corſicâ trajicientes adpulerunt. In Antonini itinerario plurali numero vocatur *Tibulæ.* Hactenus loca maritima expoſita ſunt. In mediterraneis pauca antiquis ſcriptoribus memorantur. *Tibula & Juliola opida.*

XLV. Ea Sardiniæ pars, quæ ad ſeptemtrioneis eſt converſa, in monteis conſurgit invios. Quæ juga τὰ Μαινόμενα ὄρη adpellantur Ptolemæo, id eſt, INSANI *montes*, & Floro *lib. II cap. VII*, Claudianoque *de Bello Gildonico.* *Inſani montes.*

XLVI. Γερέλις παλαιά, GURULIS *vetus* ex antiquiſſimis fuit inſulæ opidis: ut quod ſub idem cum Olbiâ tempus conditum fertur. Pauſanias *in Phocicis.* Ruinas Gurulis opidi adhuc monſtrari ajunt, circa Algerium opidum, verſus Olbiam. atque eâ regione locatur à Ptolemæo contra Nymphæum portum. CARBIA Antonini, quo ſitu fuerit, planè non liquet. *Gurulis vetus.* *Carbia.*

XLVII. Κόρνος πόλις, CORNUS *opidum*, caput Pellitorum Sardorum memoratur Livio quoque. Ejus nominis memoriam putant exſtare in loco, qui vulgò nunc vocatur *Corneto.* nec ſitus planè abhorret. *Cornus opidum.*

XLVIII. A ſiniſtrâ Thyrſi ripâ, in medio totius *Luquido opidum.*

inſulæ, eſt locus ille *Loconi*, eodem nomine cum proximo portu *Luquidonenſi.* Illud igitur in mediterraneis *Loconi* ex ſitu & vocabuli detorti ſimilitudine deprehenditur eſſe antiquum opidum LUGYIDO, ſive *Luquido*, unde Ptolemæo opidani ſunt *Luquidonenſes.* At *Gemellæ*, *Haſa*, *Molaria*, *Ad Medias*, *Forum Trajani*, ubi fuerint, minimè patet.

Aquæ Calidæ

Leſa opidum.

XLIX. Ptolemæo memorantur *Aqua Neapolitana*, *Aqua Hypſitana* & *Aqua Leſitana*. Illæ quæ ſunt inter montem regalem & S. Gavinum videntur eſſe *Leſitanæ*; ipſumque Gavinum, *Leſa* opidum. *Aquæ Neapolitanæ* haud dubiè fuerunt propiùs Neapolim, unde & nomen habuêre. Quo ſitu fuerint, ut & alteræ illæ *Hypſitanæ*, viderint incolæ antiquitatum patriarum ſtudioſi.

Valeria ſive Valentia opidum.

L. In extremis verſus meridiem partibus Ptolemæo opidum eſt Οὐαλερία, *Valeria*. at eidem in iiſdem oris recenſentur populi Οὐαλεντῖνοι, *Valentini*. At *Valentia* nomen hodiéque exſtat inter Thyrſum flumen & Sæpri amnis fonteis. unde ſuſpicio eſt, Ptolemæum ſcripſiſſe Οὐαλεντία, VALENTIA: unde *Valentini* ſunt opidani Plinio, *lib. III cap. VII.*

Nora urbs.

LI. Eidem Ptolemæo Νῶρα πόλις, NORA *urbs*, ponitur in meridionali inſulæ litore, media inter Sulcos & Caralin. Itinerariis ſcribitur *Nura*. Haud procul dextrâ Sæpri amnis ripâ & opido, cui vulgare vocabulum *Servi*, locus eſt, vulgò *Nori* dictus. is ex itinerariis deprehenditur eſſe antiquum illud opidum *Nora*. Hujus antiquitas ſumma fuit, & omnium totius inſulæ prima, Pauſanias & Solinus. Apud Stephanum

gen-

gentilitium eſt Νωϱ̓ανὸς, *Noranus.* At Plinio *lib. III cap. VII.* ſunt opidani *Norenſes.*

LII. *Tegula* opidum quo loco fuerit, haud liquet. neque ſatis conſtat, fueritne opidum, an alius conditionis locus. Diſpectu quoque difficile eſt, quænam & quo ſitu fuerit Antonini *Biora.* Cæterò, quod Antonino heic opidum dicitur *Sorabilis*, idem eſſe vi ris doctis videtur, quod Ptolemæo in mediterraneo ſub Inſanis montibus vocatur Σαϱάλαπις, *Saralapis.*

Tegula opidum.

Biora.

Sorabilis ſive Saralapis opidum.

LIII. Inter Saralapin & Cornum Ptolemæo po nitur Γυϱοῦλις νέα, GURULIS NOVA opidum. id quo ſitu fuerit incolis diſpiciendum relinquitur. Atq; hactenus Sardinia.

Gurulis nova.

CAP. II.

DE CORSICA INSVLA.

I.

VIcina Sardiniæ eſt ab ſeptemtrionibus CORSICA inſula, Græcis Κύϱνος, *Cyrnos* dicta. Plinius *lib. III cap. VI.* Diodorus *lib. V.* Dionyſius in Πεϱιηγήσει Stephani epitomator; apud quem ab illo gentilitium eſt Κύϱνιοι καὶ Κυϱναῖοι, *Cyrnai*: à Corſicâ verò, Κόϱσοι, *Corſi.* Hanc inſulam nomen habere fabulantur à *Corsâ*, muliere Ligure, quæ, quum taurum ex grege, quem prope litora regebat, tranſnatare ſolitum, atque per intervalla corpore aucto remeare videret; cupiens ſcire incognita ſibi pabula, taurum à cæteris digredientem uſque ad inſulam navigio proſequuta ſit. cujus regreſſu inſulæ fertilitatem cognoſcentes Ligures, ratibus eo profectos, eamque nomine mulieris auctoris ac ducis adpellaſſe. Iſidorus, *Origin.*

Corſica nomen. & incolæ.

lib. XIV cap. VI. Euſtathius *in Dionyſium.* Stephanus. Servius *in Virgilii Eclogam VIII* Solinus *cap VIII.* Herculis autem filium fabuloſa fecit Græcia *Cyrnum*, à quo inſula habitata, eâdem ratione, ut & *Sardum*, à quo Sardiniam tradiderunt fuiſſe adpellatam. At alii auctores non Ligures primos ejus fecerunt cultores; ſed ejuſdem cum Sardis generis Afros. in quibus Pauſanias *in Phocicis*. Ex linguæ ac ſermonis ſpecie Liguſtici generis eſſe an priſci illi animadverterint mortales, haud liquet. Græca vox Κύρνος haud dubiè ex indigenarum vocabulo Κορσίκα deſumta eſt; quando prima in utroque ſyllaba Κυρ & Κορ ferè eadem eſt. Cæterò Seneca, exſul quomdam in hac inſula, etiam Hiſpanicum genus in eâ agnovit; *in Conſolatione ad Helviam matrem cap. VIII.* A duce quodam *Corſo* & ipſa gens *Corſi* & inſula *Corſica* dicta fuiſſe videtur. Gens ipſa cum duce ex Africâ per Sardiniam primùm advenerit, an ex Liguriâ, incertum eſt. Poſterioribus temporibus Græci Phocenſes ex Jonia coloniam in Corſicam deduxêre *Aleriam*, Cyro Perſis imperante, circa Olympiadem LVI. Hos paullò poſt ejecerunt Tyrrheni, teſtibus Herodoto *lib. I*, & Diodoro *lib. V.* Anno IV Olymp. LXXXI Lyſicrate Athenis ſummum gerente magiſtratum, ſubjectam eorum imperio fuiſſe inſulam, auctor eſt idem Diodorus *lib. XI* Poſt hæc in Carthaginienſium, unà cum proximâ Sardiniâ, fuit poteſtate; donec bello Punico primo à Romanis ambæ occupatæ ſunt. Sed de nomine Corſicæ, variiſque ejus incolis hactenus ſatis.

Corſicæ ſitus ac magnitudo. II. Magnitudo inſulæ Corſicæ ab auctoribus traditur varia. Hodiè tamen noſcitur eſſe longa millia CXX; lata L. Crebra admodum atq; extenſa anguſtaque pro-

promontoria quum in mare emittat; circuitus ejus obſervatu paullo difficilior eſt.at circum extrema promontoria ſi menſuram agas; cc circiter & LXXX millia invenias. Cæterùm magnitudine tertia habita eſt omnium interni maris. Auctor libri de Mundo, qui Ariſtoteli adſcribitur: *Notæ nobis & in interno mari inſulæ ſunt inſignes, Sicilia, Sardinia, Corſica, Creta, Eubœa, Cyprus & Lesbus.*

III. De freto inter Sardiniam & Corſicam, quòd à *Foſſis inſulâ*, ut auctor eſt Plinius, Τάφρος, TAPHROS Græcis dicebatur, id eſt *Foſſa*; ſic tradit Zonaras, Annal. tom. II. Hæ inſulæ *tam exiguo ſpatio inter ſe diſtant, uti ex longinquo una eſſe videantur.* Sunt autem re verâ inter extrema utriuſque inſulæ ſtadia LX, quæ Strabo habet *lib. V*; id eſt, millia VII paſſus IↃ. Ptolemæo, præter Hermæam & Herculis inſulam, ſuprà explicatas, ſunt à ſeptemtrionali Sardiniæ latere Φίντωνος νῆσος, Ἴλουα νῆσος, Νυμφαία νῆσος. id eſt: *Phintonis inſula, Ilva inſula, & Nymphaa inſula.* Ex quibus *Phintonis* inſula fuerit illa, quæ vulgari vocabulo nunc dicitur *Iſola di Figo*; Τάφρος, id eſt, *Foſſa*, quæ nunc *Iſola Roſſa*. tertia ex majoribus, & verſùs occaſum, erit *Nymphaa*. reliquæ verò minores, ſeu veriùs ſcopuli, erant *Cuniculariæ*. *Ilva*, quomodo huc pertineat, quum eo nomine ſit ad Italiam, incertum eſt.

Tafros ſive Foſſa; fretũ inter Corſicã & Sardiniam.

Phintonis inſula. Foſſa Nymphaa & Cunicularia inſulæ.

IV. Inſulam hanc aſperam, jejunam, horridam, intemperantem, multis locis inviam, neque habitationi accommodam eſſe tradunt, Seneca *in Conſolatione ad Helviam matrem cap. VI, VIII & IX*: & Strabo *lib. I*, incolas eſſe feros, horridos, & ipſis beſtiis agreſtiores, eoque nulli ferè uſui Romanis, ſi quos illi ce-

Corſica natura cœli & ſoli: genio & moribus incolarũ.

nus ſinus, Suſalcus vicus, Sapri amnis oſtium, Sypicius portus, Cedris fluvii oſtium, Feronia opidum, Olbia urbs, Olbianus portus, Columbarium promontorium, Vrſi promontorium. Septemtrionalis lateris deſcriptio: Erebantium promontorium, Plubium opidum, Iuliola opidum, Tibula opidum, Turris Biſſonis opidum. Ex his quia pleraque loca obſcura ſunt, nota ac certiora primùm explicanda. Ὀλβία πόλις, OLBIA urbs, hodiéque nomen in ruinis retinet. Stephano tamen, Oroſio & Iornando adpellatur *Vlbia*. Opidani Inde dicebantur *Olbienſes* & *Vlbienſes*. Antiquiſſimam fuiſſe urbem, vel inde patet, quod Theſpienſium, qui duce Iolao in Sardiniam tranſiviſſe ferebantur, opus exiſtimatum ſit. Pauſanias. Primam in Sardiniâ urbem adgreſſum L. Scipionem *Olbiam* Zonaras *tom. II* tradit. Poſteriori etiam tempore eximiam ejus fuiſſe dignitatem, ex eo liquet, quòd M. Ciceronis frater Quinctus, proconſul provinciæ Sardiniæ, in eâ urbe præſedit; ut ex Marci patet epiſtolis, ad Quinctum ſcriptis *lib. II epiſt. III, VI, VIII.* Poſteà etiam ſecundo loco fuiſſe à Caralibus, patet ex Oroſii *lib. I cap. II.*

Olbia ſeu Vlbia urbs.

XXX. Ante τὸ Κολυμβάριον ἄκρον, COLUMBARIUM *promontorium*, locatur à Ptolemæo Ἑρμαία νῆσος, HERMÆA, ſive *Mercurii inſula*. Inſula toto hoc orientali Sardiniæ latere nulla eſt, poſt Beleridas, niſi quæ ad ſeptemtrionalem inſulæ partem vulgò vocatur *Iſola di Tavolaro*, ſive *di Tolara*, inter duo promontoria projecta, quorum alterum ab meridie vulgò dicitur *Capo Cavallo*, alterum ab ſeptemtrionibus *Capo di Sarda*, quorum eſt illud Columbarium.

Columbarium promontoriũ Hermæa, ſive Mercurii inſula

XXXI. Ὀλβιανὸς λιμὴν, OLBIANUS *portus*

Pro-

Ptolemæo inter Olbiam & Hermæam inſulam, ſive Columbarium promontorium medius ponitur, ac eſt ille, qui inter duo promontoria, quibus vulgares adpellationes *Capo Comino* & *Capo Cavallo*, primò in ſinum, deinde in lacum inter opida, quibus vulgaria vocabula, *Caſtro Deſen*, *Siniſcola*, *Lode* & *Poſata*, protenditur. *Olbianus portus.*

XXXII, *Luquidonenſium* opidum fuit Λουκουΐδων, *Luquido*, ſive *Luguido*. Horum portus erat in orientali inſulæ latere: qui Antonino dicitur *Luguidonis portus* fuit is in ſinu ſeu lacu, qui vulgò dicitur *Lago Liaſto*, ſive *Lago d'Ogliaſtre*. apud quem locus etiam nunc vocatur *Loconi*. eodemque nomine alius eſt, in mediâ ferè inſulâ; ubi ipſum haud dubiè fuit opidum *Luquido* ſeu *Luguido*. *Luquido opidum. Luquidonenſium portus.*

XXXIII. Inter dictum portum & Carbonarium promontorium alius eſt ſinus & portus ad oſtium amniculi, vulgò *Sarabos* dictus; is idem locus eſſe deprehenditur, qui in Antonini itinere dicitur *Scarcapos*. Apud Ptolemæum populi leguntur Σκαπιτανοὶ, *Scapitani*. hi forte ab ipſo Ptolemæo ſcripti fuêre Σκαρκαπιτανοὶ, *Scarcapitani*. *Scarcapos opidũ*

XXXIV. Ptolemæo inter Caralitanum ſinum & Olbiam duo referuntur amnes Σαιπρος, SÆPRUS, & Κέδρις, CEDRIS. quorum hic ab Olbia, ille à Caralitano ſinu, longe remoti ſunt. Hodiè eo litoris tractu duo tantùm noſcuntur fluvii: quorum alter ad Scarcapon erit ille *Saprus*; alter, ad Luquidonenſium portum, *Cedris*. *Saprus & Cedris amnes.*

XXXV. Inter Cedrim amnem & Olbiam Ptolemæo ponitur in litore Φηρωνία πόλις. FERONIA *Feronia opidum.*

opidum

opidum. id forte fuerit eo ſitu, quo nunc templum conſpicitur divæ Virginis, vulgò *Santa Maria Navareſa* dictum, in promontorio, quod Olbienſem ſinum à Luquidonenſi diſtinguit.

Cariſi, ſive Caniſi fanum opidum.

XXXVI. A portu Luquidonenſi VIII circiter millia, Caralin verſùs, opidum vulgò nunc vocatur *Fani*. id videtur eſſe illud *Fanum Cariſi* Antonini. Ptolemæo populi referuntur Κȣνȣσιτανοὶ, *Cunuſitani*. ii fortè fuerint Καννȣσιτανοὶ, *Canuſitani*; *à Fano Canuſi* ſive *Caniſi*.

Sulpicius portus.

XXXVII. Situm SULPICIO *portui* tribuit Ptolemæus inter Cedrim & Sæprum amneis; propius tamen hunc. igitur ad promontorium fuit, quod Luquidonenſem & Scarcapitanum ſinus diſtinguit.

Suſaleus vicus.

XXXVIII. Σȣσαλεὺς κώμη, SUSALEUS *vicus* fuerit fortè inter Sæprum amnem & Caralitanum ſinum, eo loco, ubi *Fanum divi Petri* viſitur.

Ferraria opidum

XXXIX. FERRARIÆ Antonini, XX millia à Scarcapo, XIII à Carali diſſitæ, an rudera vel nomen adhuc exſtet, Cluverium latuit. Promontorium tamen id nomen traxiſſe videtur, quod vulgò nunc *Capo Ferrato*, & *Capo di Corbonara* vocatur. Neque *Viniolì*, ſive *Vincola*, inter Fanum Caniſi & Sulpicium portum, nec *Cochlearia* inter Ulbiam & Luquidonenſem portum, quibus locis fuerint, liquet.

Urſi promontoriũ

XL. Ἄρκτȣ ἄκρον, *URSI promontorium* hodiéque antiquum nomen obtinet, vulgò *Capo dell'Orſo* dictum.

Erebantium promontoriũ

XLI. Prope Urſi promontorium collocat Ptolemæus τὸ Ἐρεβάντιον ἄκρον, *Erebantium promontorium*: proximumque facit Corſicæ inſulæ. Ex hoc ſitu id eſſe colligitur, quod vulgò nunc dicitur *Capo della Teſta*, & *Capo di S. Reparata*.

XLII. Π

XLII. Πλύβιον πόλις, PLUBIUM opidum is videtur eſſe locus, qui nunc dicitur *S. Reparata.* *Plubium opidum.*

XLIII. Πύργος Βίσσωνος TURRIS *Biſſonis*, ſive Λιβίσσωνος, LIBISSONIS. Ejus ruinæ etiamnunc contra Herculis inſulas & Gorditanum promontorium exſtant, ſub nomine vulgari *Porto di Torre*; id eſt, *Portus Turris.* *Turris Libiſſonis urbs.*

XLIV. Τίβυλα TIBULA fuerit opidum, quod nunc vulgò dicitur *Caſtro Aragonenſe*; & Ἰουλίολα, JULIOLA fortè *Caſtro di Doria*. Celebris fuit *Tibula* locus, & quo ex Corſicâ trajicientes adpulerunt. In Antonini itinerario plurali numero vocatur *Tibulæ*. Hactenus loca maritima expoſita ſunt. In mediterraneis pauca antiquis ſcriptoribus memorantur. *Tibula & Juliola opida.*

XLV. Ea Sardiniæ pars, quæ ad ſeptemtrioneis eſt converſa, in monteis conſurgit invios. Quæ juga τὰ Μαινόμενα ὄρη adpellantur Ptolemæo, id eſt, INSANI *montes*, & Floro *lib. II cap. VII*, Claudianoque *de Bello Gildonico.* *Inſani monteis.*

XLVI. Γουρούλις παλαιά, GURULIS *vetus* ex antiquiſſimis fuit inſulæ opidis: ut quod ſub idem cum Olbiâ tempus conditum fertur. Pauſanias *in Phocicis.* Ruinas Gurulis opidi adhuc monſtrari ajunt, circa Algerium opidum, verſus Olbiam. atque eâ regione locatur à Ptolemæo contra Nymphæum portum. CARBIA Antonini, quo ſitu fuerit, planè non liquet. *Gurulis vetus.* *Carbia.*

XLVII. Κόρνος πόλις, CORNUS *opidum*, caput Pellitorum Sardorum memoratur Livio quoque. Ejus nominis memoriam putant exſtare in loco, qui vulgò nunc vocatur *Corneto.* nec ſitus planè abhorret. *Cornus opidum.*

XLVIII. A ſiniſtrâ Thyrſi ripâ, in medio totius *Luquido opidum.*

 inſulæ,

inſulæ, eſt locus ille *Loconi*, eodem nomine cum proximo portu *Luquidonenſi*. Illud igitur in mediterraneis *Loconi* ex ſitu & vocabuli detorti ſimilitudine deprehenditur eſſe antiquum opidum LUGYIDO, ſive *Luquido*, unde Ptolemæo opidani ſunt *Luquidonenſes*. At *Gemella*, *Haſa*, *Molaria*, *Ad Medias*, *Forum Trajani*, ubi fuerint, minimè patet.

Aquæ Calidæ

XLIX. Ptolemæo memorantur *Aqua Neapolitana*, *Aqua Hypſitana* & *Aqua Leſitana*. Illæ quæ ſunt inter montem regalem & S. Gavinum videntur eſſe *Laſitana*; ipſumque Gavinum, *Leſa* opidum. *Aqua Neapolitana* haud dubiè fuerunt propiùs Neapolim, unde & nomen habuêre. Quo ſitu fuerint, ut & alteræ illæ *Hypſitana*, viderint incolæ antiquitatum patriarum ſtudioſi.

Leſa opidum.

Valeria ſive Valentia opidum.

L. In extremis verſus meridiem partibus Ptolemæo opidum eſt Οὐαλερία, *Valeria*. at eidem in iiſdem oris recenſentur populi Οὐαλεντῖνοι, *Valentini*. At *Valentia* nomen hodiéque exſtat inter Thyrſum flumen & Sæpri amnis fonteis. unde ſuſpicio eſt, Ptolemæum ſcripſiſſe Οὐαλεντία, VALENTIA: unde *Valentini* ſunt opidani Plinio, *lib. III cap. VII.*

Nora urbs.

LI. Eidem Ptolemæo Νῶρα πόλις, NORA *urbs*, ponitur in meridionali inſulæ litore, media inter Sulcos & Caralin. Itinerariis ſcribitur *Nura*. Haud procul dextrâ Sæpri amnis ripâ & opido, cui vulgare vocabulum *Servi*, locus eſt, vulgò *Nori* dictus. is ex itinerariis deprehenditur eſſe antiquum illud opidum *Nora*. Hujus antiquitas ſumma fuit, & omnium totius inſulæ prima, Pauſanias & Solinus. Apud Stephanum gen-

gentilitium eſt Νωραγὸς, *Noranus*. At Plinio *lib. III cap. VII.* ſunt opidani *Norenſes*.

LII. *Tegula* opidum quo loco fuerit, haud liquet. neque ſatis conſtat, fueritne opidum, an alius conditionis locus. Diſpectu quoque difficile eſt, quænam & quo ſitu fuerit Antonini *Biora*. Cæterò, quod Antonino heic opidum dicitur *Sorabilis*, idem eſſe viris doctis vìdetur, quod Ptolemæo in mediterraneo ſub Inſanis montibus vocatur Σαράλαπις, *Saralapis*. *Tegula opidum.* *Biora.* *Sorabilis ſive Saralapis opidum.*

LIII. Inter Saralapin & Cornum Ptolemæo ponitur Γὑρȣλις νέα, GURULIS NOVA opidum. id quo ſitu fuerit incolis diſpiciendum relinquitur. Atq; hactenus Sardinia. *Gurulis nova.*

CAP. II.

DE CORSICA INSVLA.

I.

VIcina Sardiniæ eſt ab ſeptemtrionibus CORSICA inſula, Græcis Κύρνος, *Cyrnos* dicta. Plinius *lib. III cap. VI.* Diodorus *lib. V.* Dionyſius in Περιηγήσει· Stephani epitomator; apud quem ab illo gentilitium eſt Κύρνιοι καὶ Κυρναῖοι, *Cyrnæi*: à Corſicâ verò, Κόρσοι, *Corſi*. Hanc inſulam nomen habere fabulantur à *Corsâ*, muliere Ligure, quæ, quum taurum ex grege, quem prope litora regebat, tranſnatare ſolitum, atque per intervalla corpore aucto remeare videret; cupiens ſcire incognita ſibi pabula, taurum à cæteris digredientem uſque ad inſulam navigio proſequuta ſit. cujus regreſſu inſulæ fertilitatem cognoſcentes Ligures, ratibus eo profectos, eamque nomine mulieris auctoris ac ducis adpellaſſe. Iſidorus, *Origin.* *Corſica nomen & incolæ.*

lib. XIV cap. VI. Euſtathius *in Dionyſium*. Stephanus. Servius *in Virgilii Eclogam VIII* Solinus *cap VIII.* Herculis autem filium fabuloſa fecit Græcia *Cyrnum*, à quo inſula habitata, eâdem ratione, ut & *Sardum*, à quo Sardiniam tradiderunt fuiſſe adpellatam. At alii auctores non Ligures primos ejus fecerunt cultores; ſed ejuſdem cum Sardis generis Afros. in quibus Pauſanias *in Phocicis*. Ex linguæ ac ſermonis ſpecie Liguſtici generis eſſe an priſci illi animadverterint mortales, haud liquet. Græca vox Κύρνος haud dubiè ex indigenarum vocabulo Κορσίκα deſumta eſt; quando prima in utroque ſyllaba Κυρ & Κορ ferè eadem eſt. Cæterò Seneca, exſul quomdam in hac inſula, etiam Hiſpanicum genus in eâ agnovit; *in Conſolatione ad Helviam matrem cap. VIII.* A duce quodam *Corſo* & ipſa gens *Corſi* & inſula *Corſica* dicta fuiſſe videtur. Gens ipſa cum duce ex Africâ per Sardiniam primùm advenerit, an ex Liguriâ, incertum eſt. Poſterioribus temporibus Græci Phocenſes ex Jonia coloniam in Corſicam deduxêre *Aleriam*, Cyro Perſis imperante, circa Olympiadem LVI. Hos paullò pòſt ejecerunt Tyrrheni, teſtibus Herodoto *lib. I*, & Diodoro *lib. V*. Anno IV Olymp. LXXXI Lyſicrate Athenis ſummum gerente magiſtratum, ſubjectam eorum imperio fuiſſe inſulam, auctor eſt idem Diodorus *lib. XI* Poſt hæc in Carthaginienſium, unà cum proximâ Sardiniâ, fuit poteſtate; donec bello Punico primo à Romanis ambæ occupatæ ſunt. Sed de nomine Corſicæ, variiſque ejus incolis hactenus ſatis.

Corſicæ ſitus ac magnitudo. II. Magnitudo inſulæ Corſicæ ab auctoribus traditur varia. Hodiè tamen noſcitur eſſe longa millia CXX; lata L. Crebra admodum atq; extenſa anguſtaque pro-

promontoria quum in mare emittat; circuitus ejus obſervatu paullo difficilior eſt. at circum extrema promontoria ſi menſuram agas; cc circiter & LXXX millia invenias. Cæterùm magnitudine tertia habita eſt omnium interni maris. Auctor libri de Mundo, qui Ariſtoteli adſcribitur: *Nota nobis & in interno mari inſulæ ſunt inſignes, Sicilia, Sardinia, Corſica, Creta, Eubœa, Cyprus & Lesbus.*

III. De freto inter Sardiniam & Corſicam, quòd à *Foſſis inſulâ*, ut auctor eſt Plinius, Τάφρος, TAPHROS Græcis dicebatur, id eſt *Foſſa*; ſic tradit Zonaras, Annal. tom. II. Hæ inſulæ *tam exiguo ſpatio inter ſe diſtant, uti ex longinquo una eſſe videantur.* Sunt autem re verâ inter extrema utriuſque inſulæ ſtadia LX, quæ Strabo habet *lib. V*; id eſt, millia VII paſſus IↃ. Ptolemæo, præter Hermæam & Herculis inſulam, ſuprà explicatas, ſunt à ſeptemtrionali Sardiniæ latere Φίντωνος νῆσος, Ἴλουα νῆσος, Νυμφαία νῆσος. id eſt: *Phintonis inſula, Ilva inſula, & Nymphaea inſula.* Ex quibus *Phintonis* inſula fuerit illa, quæ vulgari vocabulo nunc dicitur *Iſola di Figo*; Τάφρος, id eſt, *Foſſa*, quæ nunc *Iſola Roſſa*. tertia ex majoribus, & verſùs occaſum, erit *Nymphaea*. reliquæ verò minores, ſeu veriùs ſcopuli, erant *Cuniculariæ*. *Ilva*, quomodo huc pertineat, quum eo nomine ſit ad Italiam, incertum eſt.

Tafros ſive Foſſa; fretū inter Corſicā & Sardiniam.

Phintonis inſula. Foſſa Nymphaea & Cuniculariæ inſulæ.

IV. Inſulam hanc aſperam, jejunam, horridam, intemperantem, multis locis inviam, neque habitationi accommodam eſſe tradunt, Seneca *in Conſolatione ad Helviam matrem cap. VI, VIII & IX*: & Strabo *lib. I*, incolas eſſe feros, horridos, & ipſis beſtiis agreſtiores, eoque nulli ferè uſui Romanis, ſi quos illi cepiſſent

Corſicæ natura cæli & ſoli: genio & moribus incolarū.

piſſent aut emiſſent. Sed mitiora de iis prodidit Diodorus *lib. V*: *Tyrrheni quum aliquamdiu Corſicæ urbeis in poteſtate ſuâ haberent, tributa ab incolis exigebant, reſinam, ceram, mel. quorum largus heic eſt proventus. Mancipia Corſica, ſingulari naturæ dono, ſervis aliis ad uſum vitæ præferendi videntur. Inſula univerſa ampla, magnâ ſui parte montoſa eſt, & frequentibus ſilvis opaca, parviſque fluminibus irrigua: Incolæ pro nutrimento utuntur lacte, melle, carnibus. quæ regio hæc affatim præbet omnia. Juſtè inter ſe ac humaniter, ſuprà quàm omnes aliequi Barbari, vivunt. nam qui in montium arboribus inveniuntur favi, citra controverſiam illorum ſunt, qui primi invenerunt. oveſque certis diſtinctæ notis, etiam nemine ſervante, heris ſuis manent. In reliquâ etiam vitæ adminiſtratione juſtè agendi normam, ſuo quiſque loco, mirificè obſervant. ſed inſolens atque novum apud eos quam maximè eſt, quod circa liberorum nativitatem accidit. quippe mulieris enixæ nulla in puerperio cura geritur: ſed maritus ejus veluti ægrotans, atque corpus malè adfectum habens, puerperæ vice per certos aliquot dies in lecto decumbit. Multum quoque buxi, ejuſque haud vulgaris, ibi naſcitur. quæ cauſa eſt, cur mel prorſus amarum exiſtat. incolitur inſula à Barbaris; quorum alienus nec facilis intellectu ſermo eſt. numerus hominum XXX millia excedit.* Mellis etiam meminit Virgilius *in Eclogâ VIII*, Servius, & Ovidius *Amor. lib. I eleg. XII.* At nunc ſingula inſulæ loca inveſtiganda.

Volerius ſive Valerius fluvius. V. In medio ſeptemtrionalis lateris Οὐολέριος ποταμός, VOLERIUS fluvius, ſeu *Valerius*, is eſt, qui in medium S. Florentini ſinum effunditur.

Tilox promontoriũ. VI. Τίλοξ ἄκρον, TILOX *promontorium* ex poſitione Ptolemæi deprehenditur eſſe id, quod S. Florentini

tini

tini ſinum ab occidente claudens, vulgò nunc vocatur *Capo Martello*, ſive *Punta Martella*.

Attium promontorium.

VII. Ὁ Καισίας αἰγιαλὸς, CÆSIÆ *litus*, ex Ptolemæi mente eſt id, quod inter Volerii oſtium & Tilocem promontorium protenditur. At quia inter Tilocem & Attium ad xx millia litus extenditur apertum, hoc potiùs *Caſia litus* dictum fuiſſe credibile eſt.

Caſalus ſinus.

VIII. Poſt Attium promontorium Κασαλὶς κόλπος, CASALUS ſinus hodiéque veteris adpellationis memoriam ſervat in opido, quod, in medio ejus poſitum, vulgò nunc adpellatur, *Piaggia di Coſari*.

Viriballū promontorium.

IX. Τὸ Οὐιερίβαλλον ἄκρον, VIRIBALLUM promontorium ex Ptolemæi poſitione eſt id, quod, Calvenſem ſinum ab auſtro includens, vulgò vocatur *Capo di Calvi*, ſive, ab objectâ inſulâ, *Capo di Gargano*.

Circidius fluvius.

X. Viriballo promontorio protinus ſubjicitur à Ptolemæo Κιρκίδιος ποταμὸς, CIRCIDIUS *fluvius*. Is nullus alius eſt, quàm qui ad auſtrinum Garganenſis promontorii latus vulgò nunc dicitur *Le Ripe fiume*.

Rhium promontorium.

XI. Τὸ Ῥίον ἄκρον, RHIUM promontorium id eſt, quod vulgò nunc dicitur *Capo di Feno*.

Erythrus, ſive ruber mons.

XII. Medio ſitu inter Circidium amnem & Rhium promontorium Ptolemæo ponitur Ἐρυθρὸν ὄρος, RUBER *mons*. quippe hodiéque, medio ſitu inter Garganenſe & Fenenſe promontoria, vulgò dicitur à coloris argumento *Monte Roſſo*; & quia geminus eſt vortex, *Capi Roſſi*.

Vrcinium opidum.

XIII. Poſt Rhium promontorium proximè Ptolemæus ſubjungit Οὐρκίνιον πόλιν, URCINIUM *opidum*. Eo ſitu nunc eſt caput totius inſulæ, urbs vulgò *Adiazzo* dicta.

XIV. *Adia-*

Litꝰ arenoſum.

XIV. *Adiatium* ad ingentem poſitum eſt ſinum, in cujus intimo receſſu eſt Ἀμμώδης αἰγιαλὸς, LITUS *arenoſum*. In id tres effunduntur amnes; ex quibus ultimus verſùs meridiem, apud locum, qui vulgò vocatur *Capitello*, ex ſitu deprehenditur eſſe is, qui Ptolemæo adpellatur ὁ Λόκρας ποταμὸς, LOCRAS, ſive *Locra* fluvius.

Locras amnis.

Paula opidum.

XV. Poſt Locram fluvium ſubjungitur Ptolemæo Παῦκα πόλις, *Pauca opidum*; quod vocabulum vitiatum videtur à genuino Παῦλα, PAULA. nam is locus eſt, qui hodiè vulgò dicitur *Porto Polo*.

Titianus fluvius & portus.

XVI. Τιτιανὸς λιμὴν, TITIANUS *portus* is eſt, qui apud *Portum Paulum* longiùs ſeſe in terram effundens, vulgò nunc adpellatur *Golfo di Tallavo*. Τιτιανὸς autem ποταμὸς, *Titianus amnis* is eſt, qui in eumdem ſinum, haud ita procul Portu Paulo, ſeſe effundit; vulgari nunc adpellatione *Fiuminale d' Ornano* dictus.

Ficarius amnis, & Ficaria opidum.

XVII. In eumdem ſinum effunditur & ὁ Φικάριος ποταμὸς, FICARIUS amnis; apud quem eſt Φικαρία πόλις, *Ficaria opidum*, vulgò nunc *Ficari* adpellatum.

Favonii portus.

XVIII. FAVONII *portus* vulgò nunc dicitur *Porto Favono*.

Palla opidum.

XIX. Πάλλα, PALLA, ſeu ut Antonino eſt *Palla* opidum, ex intervallo deprehenditur eſſe id, quod hodiè vulgò dicitur *S. Benifacio*.

Sacer amnis.

XX. Ὁ Ἱερὸς ποταμὸς, SACER *amnis*, tam propè ponitur Aleriam, uti dubitare non liceat, quin is ſit idem, qui vulgò nunc vocatur *Orbo fiume*. ad cujus etiam fonteis locus etiamnunc adpellatur *Sacra*.

Syracuſanꝰ portus.

XXI. Ὁ Συρακουσανὸς λιμὴν, SYRACUSANUS portus

portus [illegible], qui haud longe à Bonifacio, vulgo dici-
tur *Golfo & Porto di S. Amanza*. Ptolemæus hoc [illegible]
voc[illegible] Συρακούσιος Romano formavit more: at
Græca [illegible] Συρακούσιος λιμήν, *Syracuſius portus*. Sic
ſcribit Diodorus lib. V.

XXII. [illegible] GRANIANUM pro- *Granianum promontorium. Aliſta oppidum.*
montorium nullum aliud, quam quod vulgo nunc
vocatur *Capo* [illegible]. Statim poſt hoc promonto-
rium Ptolemæus ponit in ſinus receſſu [illegible]
ALISTA oppidum: quod nunc eſt in imo ſinu ſive
portus receſſu vulgari appellatione *Porto Vecchio*, id eſt,
Portus Vetus.

XXIII. [illegible] RUBRA [illegible] *Rubra* [illegible]
[illegible] vulgo [illegible]
[illegible] Vocabulum id pro [illegible] videtur.

XXIV. *Præſidium* [illegible] *Romanorum militum*, quod *Præſidium Romanorum* [illegible]
in Antonini itinerario [illegible] *Mariana*
ponitur, medio [illegible] videtur [illegible], qui
vulgo nunc dicitur *Porto Vignale*.

XXV. Ipſa hinc [illegible] ALERIA [illegible] *Aleria Romanorum colonia.*
paullum à mari [illegible], antiquiſſima
[illegible] *Cyro* Perſis regnante [illegible] à Pho-
cenſibus [illegible]. Diodorus [illegible]
[illegible] *Aleria*: ac [illegible]
[illegible] quod [illegible] in nonnullis Ptolemæi [illegible]
[illegible] corruptum eſt in [illegible]
[illegible] Diodorum lib. V. [illegible] corrupta
[illegible]. De [illegible]
[illegible] in Corſicam [illegible]
Herodotus lib. I. [illegible] à Cyro Per-
ſarum rege [illegible] Harpago [illegible]

 inc-

annum [illegible] in Corsica [illegible] oppidum [illegible] condiderunt *Alaliam* sive *Aleriam*. Sed domus Tyr[illegible] rhenis & Carthaginiensibus navali prælio [illegible] [illegible] devicti Rhegium [illegible] indeque [illegible] [illegible] condiderunt urbem, quæ appellabatur [illegible] Hele. Hæc Romanis postmodum [illegible] *Romanorum coloniæ, altera a Mario, altera a Sylla*. [illegible] *dictator deduxit*, Marius *Marianam*. Plinius *lib.* [illegible] *Mela lib.* [illegible] *cap.* [illegible]. [illegible] in [illegible] [illegible] [illegible] ab L. Cornelio Scipione occupatam bello Punico [illegible] mo [illegible] [illegible] [illegible] Florus *lib.* [illegible] *cap.* [illegible] [illegible] rum, [illegible] quoque [illegible] [illegible] [illegible] extant [illegible] mari [illegible] [illegible] [illegible] circiter millia ab [illegible] [illegible].

Aleria Romanorum colonia.

XXVI. Sub ipsius deinde Coloniam locat [illegible] Ptolemæus, et quidem [illegible] RHOTANI fluvii [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] vulgo *Tavignano* [illegible] dicitur.

Rhotanus fluvius.

XXVII. Hinc [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] cui hodie vulgaris appellatio est *Stagno di Diana*, id est *Dianæ* [illegible] *DIANÆ stagnum*.

Dianæ stagnum.

XXVIII. [illegible] TAVOLA *fluvius* [illegible] [illegible] prope Marianam [illegible] [illegible] [illegible]

Tavola fluvius.

[illegible] compoſitum amne; vulgò [illegible] vocant.

XXIX. Inter hunc [illegible] & [illegible] propè [illegible] flumen, circa eum locum, ubi nunc [illegible] [illegible], [illegible] *Tuela* [illegible], [illegible] vulgò [illegible] Ptolemæo [illegible] Vaticano exemplari colligitur, genuinum nomen fuiſſe [illegible] id eſt TUTELA [illegible] provinciarum Tutelæ [illegible] Dea [illegible] fuerunt [illegible]. *Tutela urb.*

XXX. [illegible] Mariana coloniam [illegible] [illegible] Ptolemæo [illegible] SACRUM [illegible] [illegible] [illegible] vulgò [illegible] [illegible] CENTURINUM oppidum Ptolemæi. Hunc [illegible] [illegible] vulgò [illegible] [illegible] vocabulum [illegible]. Sed Ptolemæus [illegible] *Centurinum* oppidum. *Sacrum promontorium.* *Centurinum oppidum.*

XXXI. [illegible] VAGUM *promontorium* id eſt [illegible] Vagol. *Vagum promontorium.*

XXXII. [illegible] MANTINORUM *oppidum*, [illegible]. *Mantinorum oppidum.*

XXXIII. [illegible] Sacrum promontorium [illegible] CLUNIUM *oppidum*, [illegible] nunc vulgò [illegible] *Clunium oppidum.*

XXXIV. [illegible] & [illegible] CANELATA *oppidum*, id eſt *Canelata oppidum.*

deprehendimus, quod vulgò nunc dicitur [illegible]
Atque hæc totius inſulæ eſt περιγραφή.

Aureus mons. XXXV. In μεσόγειῳ, non pauca diſcutienda [illegible] tenuis Ptolemæus. Τὸ χρυσοῦν ὄρος, AUREUS mons eſt, qui à ſeptentrionibus ad meridiem [illegible] Goſi [illegible] protenditur, [illegible] [illegible] Sed [illegible] Ptolemæi [illegible]

Talcini. Opini. Ταλκῖνοι [illegible], *Talcini* [illegible]. [illegible] Opinoi, Opini. [illegible] in loco, qui prope [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] in Vaticano exemplari leguntur [illegible] [illegible]. Unde facilè ſuſpicor, eſſe idem nomen, quod in oppido [illegible] Ταλκινοι, *Talcini*. Ex illud [illegible] videtur eſſe Κερβηνοι, *Cerebini*, [illegible]

Cerebini oppidum. [illegible] corruptum eſt [illegible] [illegible] pe hodie eodem ſitu [illegible] & oppidum, vulgò [illegible] dictum. [illegible] [illegible]

Lucini. [illegible] Λουκινοι. At forte ſcribendum [illegible] dicti Λουκινοι, *Lucini*.

Palania oppidum. XXXVI. Πάλανια [illegible], *Palania oppidum*, in Vaticano exemplari [illegible] eſt [illegible], *Palania*, quâ [illegible] hodiéque regio eadem [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Alista oppidum. XXXVII. [illegible] ALISTA [illegible] hodie [illegible] [illegible] [illegible]

Tarrabenorum. XXXVIII. In quibuſdam Latinis verſionibus eſt *Tarrabenorum* [illegible] eſt hodièq; [illegible] [illegible] [illegible] vulgò [illegible]. [illegible] ſunt planè incerta, populorumque, quos recenſet [illegible]

[illegible]

[illegible], nomine, [illegible], diſpe- [illegible] ſubmittimus.

XXXIX. Cæterum Plinius [illegible] tradit Corſicam inſulam [illegible], & coloniam *Marianam*, atque *Aleriam*. At hoc minus credibi- le [illegible] longè [illegible] tantum eſſe [illegible] Plinius [illegible] ſola levi quodam [illegible] parte ex Strabonis *lib. V.* Ptolemæus ſane, qui accuratiſſimè [illegible] maritimam deſcripſit, pauciſſima eorum in me- [illegible] Atque hæc ſunt quæ de antiquitatibus Sardiniæ & Corſicæ [illegible] monumentis [illegible] potuerunt.

FINIS CORSICAE ANTIQVAE.

INDEX

INDEX

A

Abacænum oppidum 167
Abolla pos. 310
Abundantium triſtia 1..
Acellos caſtellum 47
Acella urbs 144
Acciaber flumen 100
Aceſtes 61
Acathius 115
Acradina quarta Syracuſarum pars 18. 20
Ac[illegible] 223
Acragas ſive Agrigentum urbs 1..
Acragas amnis 100
Acrillæ 203
Ægæ 1..
Ad Olivam locus 212
Adranus fluvius 147
Adranum ſive Hadranum op. 190
Adranum ſive Hadrani fanum 190
Adranus ſive Hadranus amnis 190
Æmathicum [illegible] 56
Ædes 120
Ægadiæ Inſulæ [illegible]
Ægeſta urbs 141
Ægeſtanæ aquæ 143
Ægeſtanorum [illegible] 1..
Ægithallus promontorium & [illegible] 1..
Ætna [illegible]
Ætnæ incendia [illegible] Virgilii [illegible]
Ætnæ [illegible] Virgilius 1..
Ætna ſive [illegible]
Ætna mons [illegible] Virgilius [illegible] Ætnæ [illegible]
[illegible]
Agathyrna ſive Agathyrnum [illegible]
Agrigentini agri miracula [illegible]
Agrigentinorum [illegible] [illegible]
Agrigentum [illegible]
Agyrium [illegible]
[illegible] & Alabis amnis [illegible]
Alabum ſive Alabon [illegible]
Alæſa [illegible]
[illegible] mirandus [illegible]
Alæſa [illegible]
Alæſa [illegible]

Ætna

[illegible]	[illegible]
[illegible] fluv.	[illegible]
[illegible]	[illegible]
[illegible]	489
Alibeng	249
[illegible] sive [illegible] op.	150
Alphaeus fluvius	79
[illegible] op.	251
[illegible] op.	169
Amastris op.	223
[illegible] op.	439
[illegible] seu locus	229
[illegible] sive [illegible] fluv.	67
A[redacted]s op.	[illegible]
[illegible] et [illegible] fabula	[illegible]
[illegible]	[redacted]
Ancyrum op.	[redacted]
Ancyra sive [illegible] op.	265
Aphidna op.	269
[illegible] fluv.	[illegible]
[illegible]	[illegible]
Apollinis [illegible] templum	264
Apollinis [illegible]	[illegible]
Apollonia op.	227
Apollonia insul.	[illegible]
Aquae [illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]
Hypiana	[illegible]
[illegible] & Laroda	229
[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]
[illegible]	229
[illegible] fluv.	99
[illegible] fluv.	67
Argentum promont.	[illegible]
Argos op.	169
[illegible] sive [illegible] fluv.	[illegible]
[illegible] sive [illegible] fluv.	96
[illegible] sive [illegible] op.	161
[illegible] op.	229
[illegible] sive [illegible] op.	[illegible]
[illegible] op.	259
[illegible] promont.	[illegible]
[illegible]	[illegible]
[illegible] montes	[illegible]

B

[illegible] fluv.	[illegible]
[illegible] insul.	177
Bellum Trojanum quando gestum	[illegible]
[illegible] insul.	[illegible]
[illegible] oppidum	[illegible]
[illegible] castellum	[illegible]
[illegible] op. cum portu	[illegible]
[illegible] op.	[illegible]
[illegible] op. cum portu	[illegible]
[illegible] sive [illegible] insul.	[illegible]
[illegible] op.	[illegible]
[illegible] fabula	[illegible]
[illegible] castellum	72
[illegible] insul.	[illegible]
[illegible] promont.	100
[illegible]	[illegible]

C

[illegible] locus	[illegible]
[illegible] fluv.	[illegible]
[illegible] op.	[illegible]
[illegible]	[illegible]

[illegible]

Calcidica op. 102
Cal[illegible] op. 8
Calida Aqua 282
Caliopolis op. 120
Callonia sive Cardonia op. 704
Camanaverts op. 8
Caloniata op. 301
Calypsus insul. 7.33.354
Canabrus [illegible]
Canacium palus 704
Canacus fluv. & op. 118
Campi Lethaei [illegible]
Campus [illegible]
Canciana op. 291
Canili fluvium op. 292
Capitium sive Capytium op. 188
Capitoniarum locus [illegible]
Capraria insul. [illegible]
Capraria mons 105
Caranus fluv. 121
Caralivianos 258
Carthaginum promont. 277
Carthaginum urbs 277
Carysta 281
Carcar sive Cercina [illegible]
Caruli fluvium op. 190
Carthaginensium classis ad [illegible] pares 290
Carthaginensium colonia in [illegible] [illegible] 200
Carthaginensium [illegible] in Sicilia 20
Cartilago [illegible] 70
Catalus fluv. 287
Catanens op. 107
Catana urbs 25
Caput [illegible] [illegible]
Caucaelia op. [illegible]
Caucona & Caloniatis op. [illegible]
Cepius fluv. [illegible]
Cenaa op. [illegible]
Centuripinorum op. [illegible]
Cerasion op. [illegible]
Cephaloedis sive Cephaloedium op. [illegible]
Cerrinnatis op. [illegible]
Cesaria op. [illegible]
Chalcidicus mons, qui & [illegible] mons & [illegible] [illegible]
Charybdis [illegible]
Chryse fluvium [illegible]
Chrysas fluvius [illegible]
Crysias fluv. [illegible]
Cnodace [illegible]
Cyclopes fluv. [illegible]
Cimonia [illegible]
Cinium op. [illegible]
Cocalus [illegible]
Coelides insul. [illegible]
Coloniae in Sicilia [illegible] Phaeacum, & Corinthiorum [illegible]
Columbaria insula [illegible]
Columbaria [illegible] [illegible]
Conchyla fluv. [illegible]
Cornelia [illegible]
Corinthiorum portus [illegible]
Cossa op. [illegible]
Corcon[illegible] [illegible]
Corcyraea [illegible] [illegible] [illegible]
Cotoni op. [illegible]
Cumi [illegible]

Digitized by Google

Corinna fluvi. 25
Corbeæ [illegible] & loca, 187
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
S. Cosmati fons 6
Cam[illegible] op. [illegible]
Crat[illegible] 188
Cratium [illegible] [illegible]
Cr[illegible] op. 222
Cr[illegible] [illegible] [illegible]
Cr[illegible] 10
Cr[illegible] seu C[illegible] 100
Crith[illegible] [illegible]
Cr[illegible] locus [illegible]
Cr[illegible] vel Cr[illegible] 100
C[illegible] [illegible] 112
C[illegible] fluvi. 120 183
C[illegible] promont. 178
C[illegible] op. 222
C[illegible] fon[illegible] [illegible]
C[illegible] 92
C[illegible] 60
C[illegible] Infulæ [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] 11
C[illegible] 62
C[illegible] 120
C[illegible] [illegible]
D
D[illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] 100
D[illegible] 162
D[illegible] 95
D[illegible] 147
D[illegible] fluvi. 179
D[illegible] 187
Dianæ lacus 89
Dianæ fons 151
Dianæ [illegible] 176
Dianæ [illegible] 140
Diczopolis [illegible]
D[illegible] 137
D[illegible] 182
Drepani [illegible] Drepanum op. [illegible]
[illegible] 75
Drepanum [illegible] 4
Drepanum promont. [illegible]
D[illegible] 18
E
E[illegible] 112
E[illegible] op. 164
Eden 19
E[illegible] 141
E[illegible] op. 109
E[illegible] 109
E[illegible] op. 111
E[illegible] 111
E[illegible] seu H[illegible] 97
E[illegible] 97
E[illegible] 97
E[illegible] 99
E[illegible] 11
E[illegible] op. 88
E[illegible] 183
E[illegible] 129
E[illegible] 91
E[illegible] 210
E[illegible] 10.80
E[illegible] op. 201 212
E[illegible] Heb[illegible] 192
E[illegible] 17

Pp Erbæ

Erybanthum primorum. 150
Eryemium ; Hengentium five Ser- gentium op. 103
Eryſimum op. 3
Erichthonius . . . 110
Erymanthus. 99
Erycinea Venus 203
Eryngium. 109
Erucaginis 110
Erycinæ Veneris templum 111
Erymanthum ... & ... [illegible]
Erythræa ... 67
Erythræ... ... 4
Eryx op. 32
Eubœa inſul. 230
Eumenides. 91
Euonymos inſul. 85
Euryalus ſive Euryclus ... 61
... 219
F
Fabricius Dianæ Templum. 77
Fanum ... 197
Fanum ... 107
Fanum Dianæ ... 77
Fanum Veneris 23
Fanum ... 111
Fanum ... [illegible]
Fanum ... 91
Fanum ... 47
Fanum ... 200
Fanum op. 110
Fanum op. 70
Fluvius ... 110
Fluvius ... 110
Fluvius amnis [illegible]
Fluv. Achates 109
Acragas [illegible]
Alabis [illegible]
Alabon, Alabus & Al... [illegible]
[illegible]
Alabis ſive Alba [illegible]
Anapus ſive Anapum [illegible]
Anapus [illegible]
Apiarum [illegible]
Aſinus ſive Aſinus [illegible]
Aſinarus [illegible]
Bathys [illegible]
Caeypari [illegible]
Camicus [illegible]
Catabo [illegible]
Cedros [illegible]
Chryſas [illegible]
Chyda [illegible]
Cocidus [illegible]
Crimiſus [illegible]
Cyamoſorus [illegible]
Dirillus [illegible]
Fluv. Drabarus [illegible]
Elorus & ... [illegible]
Erytus [illegible]
Erythæus [illegible]
Frigidus [illegible]
Gelas [illegible]
Halycus [illegible]
Halæſus [illegible]
Halycus [illegible]
Helorus [illegible]
Hiberus [illegible]
Hypſa [illegible]
Hyppaeus [illegible]
Himeras [illegible]

Xyſſ...

Digitized by Google

Lyciæ 95. 186
Lunæ 112
Lemnon 137
Lubes 170
Lucaniæ 202
Longanus 177
Fluv. Mæneus 144
Melas 170
Meandrus 164
Mergyranus 100
Nilus 73
Orangus 105
Orontes qui & Typhonianus 87
Oppidus 99
Phænicus 97
Porpax 127
Pantagyas & Pantacias. [illegible]
Sabæ 163. 182
Sapiss 189
Scamander 127
Silenus 111
Simois 145
Symæthus 136
Syrenus 162
Taurus 100
Telmessus 98
Timius 85
Tiresius 47
Thorsus 135
Tiberius 112
Tiris 113
Tahtusus [illegible]
Tmarus 100
Tantalus 97
Valerius 144
Vocurus 190
Fons Acqua Magni mirandus 108
Achilleus 64
Cyanæ 73
Ipyrnus 98
Fons puteolorum lunaris 173
Malara 53
Meneanus seu lacus 166
Meridies solis 159
Mulcibus 72
Mylensis aquæ mirandæ 174
Palicorum 196
S. Corinant 72
Fontes mirandi 107
Fontes terram manantes 118
Forum Trajani 82
Fossa five Typhoni ficum 100
Fossa spiris [illegible]
Fretum Adriaticum 58
Euxinum 58
Rhegium 56
Sicilicum & Sapiens. 58
inter Sardiniam & Corsicam 155
Freti mod. [illegible] 76
Freti Siculi longitudo, latit. 72

G.

Gadarorum 78
Gadis op. 122
Galeagra mira 84
Gabroce 171
Galeotæ Hyblæ 191
Ganges aurea [illegible]
Garamantes [illegible] 113
Gelanus [illegible] Cerycos [illegible] 103
Gelonus, five Tetroomanus 106
Geminum Venus Hyphenorum [illegible]
[illegible]

 Geluinum

Gelonium ſtagnum	[illegible]	[illegible]	[illegible]
Gemellæ	[illegible]	[illegible]	[illegible]
Gemelli colles	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible] ſive [illegible] Hyblæ	[illegible]	[illegible]	[illegible]
Gigantes in Sicilia	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible] in Sicilia	74	[illegible]	[illegible]
[illegible] in Melita	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible] in Sicilia	17	[illegible]	[illegible]
[illegible] Sicilia	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	190	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	79	[illegible]	[illegible]
H		[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]		
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]		[illegible]
[illegible]	100	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]

Digitized by Google

Hydra fluviat. op.	207	Inſul. Cumulataria	276
Hydrargyrum op.	[illegible]	Cretica	[illegible]
Hydropes [illegible] Galenus [illegible]		Delphos	155
[illegible] Magni	79. 191	Delo	278
Hydromelites	71	Ebuſi	278
Hydrargyri [illegible]	85	Elaeuſa	238
Hydra [illegible]	8	Famagoſta	[illegible]
Hyoſcyamus op.	8	Euboea	277
Hypericum [illegible]	97	Ieſſa	278
Hypnoticum 241. Phaſacius ſe-		Gaulos	74. 275
dea	16. 105	Hephaeſtia	207
Hyacinthus	105. 121	Heras	277
Hydrolapathum	241	Herculis	241. 276
[illegible]		Hermaea	278
Iaſpis op.	149	Hieria	240
Ichneumon	351	Hiera	85. 245
[illegible]	240	Hypaeria	245
Iecur op.	205	Ichnuſa	261. 268
[illegible] quae Sardinia	267	Ilva	269
	268	Ithaca	262
[illegible]	261	Lipara	100. 272
[illegible] op.	241	Lucra	277
[illegible]	120	Malta	245
[illegible]	180	[illegible]	242
[illegible] op.	224	Inſul. Maura 245. Melita deſerta 2[illegible]	
[illegible] op.	107	240. Melitae patriae	240
Infans mortua	281	Meroe	276
[illegible]	272	Nympharia	281
Inſulae [illegible]	241	Ortygia	240. 269
[illegible]	240. 240. 275	Oſteodes	281
Aponiae	241	Paeonia	240
Baleares	272	[illegible]	78
Boara	155	Phoenix	263
[illegible]	240. 276	[illegible]	275
Capraria	240. 275	Prochyta	267
Carpathus	84	Proconneſus	241
Caſſandra	151	Ptolemais	275

Sacra [illegible] 247
Samonium 257
Sardinia 265
Sola 265
Strongyle 415
Sycadum pars quonta [illegible]
Insul. Thyrenidis 254
Ulina [illegible]
Vulcania [illegible]
Insulæ Aegades [illegible]
Insulæ [illegible]
Ioppen sive [illegible] 180
Iolai sive [illegible] Iolaenses populi Sardiniæ 269
Isis [illegible] 92
[illegible] 128
Iulioli op. 271
[illegible] 188
[illegible] portus [illegible]
[illegible] 125

L

Labdalum castellum 92
Lacedis aqua 110
Lacus [illegible]
Lacus Cocolinus [illegible]
Lacus Dilion [illegible]
Lacus [illegible]
Lacus [illegible]
Lacus [illegible]
Lacus [illegible]
Lacus [illegible] 213
Lestrygones 90,260
Lestrygonum Campi 71
Laius [illegible] qui [illegible]
Lat[illegible]

[illegible] Aqua [illegible]
[illegible] campi, [illegible]
[illegible] sive [illegible] [illegible]
[illegible]
[illegible] op.
[illegible]
Leontini, [illegible]
[illegible]
Leontinus ager [illegible]
[illegible] op.
[illegible] Aqua
[illegible]
[illegible] Apollinis [illegible]
[illegible] op.
[illegible]
[illegible] op. & [illegible]
[illegible] promont.
[illegible]
[illegible]
[illegible] op.
[illegible] insulæ
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] op.
[illegible] op.
[illegible]
[illegible] in Sardinia
[illegible]
[illegible] op.
[illegible] op.
Longum promont.
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Zanga [illegible] 173
Lacus [illegible] 25
Zmaragdi [illegible] ſeu [illegible] 44

M.

Macara urbs 177
Macella op. 57
Machærus op. 236
Macris [illegible] 167
Magella op. 103
Magna [illegible] 214
Magnæ Græciæ pars [illegible] 11
Mag[illegible] [illegible] 90
Maia mons [illegible]
Maiu[illegible] Meſſanæ [illegible] 240
Mamertinum op. 203
Mamma Romanorum colonia 130
Mar[illegible] inſula 241
Mar[illegible] T[illegible] 40
Mar[illegible] mons 244
Marco Mons 207
Mare Magnum 107
Mar[illegible] 202
Mar[illegible] & [illegible] 229
Maſſ[illegible] op. 7
[illegible] 282
Megara urbs 229
Megarenſium [illegible] [illegible]
Megara [illegible]
Mege[illegible] op. 209
Mel[illegible] op. 171
Mel[illegible] 276
Mel Hymettius [illegible]
Mel[illegible] op. [illegible]
Me[illegible] [illegible] Meſſana alias
[illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] 70
[illegible] [illegible] 107
Melita op. 148
Meliſſæ ſive Meliſſæ [illegible] 190
Menæ ſive Menæ op. 95
Meneni [illegible] [illegible] &
[illegible] [illegible] 106
Menſa [illegible] 72
Menſa Senatorum [illegible] 26
Mercurii inſula 176
Mercurii [illegible] 177
Meridium op. 207
Metapontinum op. 205
Meleda inſula 60
Meſſana urbs, hodie Meſſina. 16
17
Metalla op. 17
Milazzo [illegible] 92
Minervæ collis [illegible]
Minoa urbs 197
Mina [illegible] [illegible] 49
Myletum op. 218
Mo[illegible] 282
Mo[illegible] [illegible] 163
Mons Acræ 20
Aureus 157
Chalcidicus 94
Erythræus 183
Eryx 256
[illegible] 67
Cruda 213
Maro 107
[illegible] 208
Nebrodes 203
[illegible] [illegible]
[illegible] 43
Thorax 104

Mons S

Montes Hyoli 5
Montes Imaum 121
Moncembivar op. [illegible]
Mongul Mogolorum rex 71
Mongous 90
Mertyna op. [illegible]
Mony [illegible] portu 70.111
Morgam op. 61
[illegible] 150
[illegible] 77
[illegible] 82
[illegible] op. 86
[illegible] op. [illegible]
[illegible] 200
[illegible] 120
[illegible] 75
[illegible] op. & [illegible] 75
[illegible] 42
[illegible] 178
[illegible] 103
[illegible] op. 120

N

Nacora op. 179
[illegible] 80.87
[illegible] 30
[illegible] ad Meliam 90
[illegible] op. 172.177
[illegible] 103
[illegible] 65
[illegible] 75
[illegible] 84
[illegible] 78
[illegible] 20
[illegible] op. 190
[illegible] 48

Neg[illegible] [illegible] 11
Noi op. [illegible]
[illegible] op. [illegible]
[illegible] op. [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]

O

[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] 45.52
[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] op. [illegible]
[illegible] [illegible]
Opici [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] op. [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] op. [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] op. [illegible]

P

[illegible] 172
[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]

Digitized by Google

INDEX

Pancorſa ſitus 391
Pala vel Palla opp. 299
Palæpolis 108
Palica opp. 108
Palicorum [illegible] 109
Palicorum fons & lacus 106
Palæ [illegible] 178
Palis fluvius 97
Panormus urbs 154
Pantalaria ſeu Coſſyra inſula 392
Paropus opp. 170
Parthenicum opp. 167
[illegible]
Patella [illegible]
Paulus [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] pro-
[illegible] 11
[illegible]
[illegible] 11
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] & Neptuni [illegible]
[illegible]
[illegible] 276
[illegible]
[illegible] 124
[illegible] 169
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] 114
Phacelinum [illegible]
[illegible] Dianæ [illegible] 173
Pharus 261
Phæaces in Sicilia 49
[illegible] Hyperio [illegible]
[illegible]
Philæ [illegible]
Philæ [illegible] 114
Phalarium caſtellum
Philoſophiana [illegible] 10
[illegible]
Phocæi [illegible]
Phocenſes in [illegible]
Phocenſes in Sicilia
Phœnices in Sardinia 169, 3[illegible]
[illegible]
Phœnicum coloniæ in Sicilia 15
[illegible] 97
[illegible] 249
[illegible] 449
[illegible]
[illegible]
[illegible] & [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] Promontorium [illegible]
[illegible]
Phintias opp.
[illegible]
[illegible]
Polyphemi [illegible] 14
[illegible]
[illegible]
[illegible] 115
Portus [illegible]

Portus Caietanus [illegible]
Portus Corcyræ [illegible]
Portus Drepanitanus [illegible]
Portus & Fanum Lunæ [illegible]
Portus Hispalis 273
Portus & Templum Junonis [illegible]
Portus Liburnicus [illegible]
Portus Lugdunensis fossâ [illegible] ... [illegible]
Portus Magnus [illegible] [illegible]
Portus Megarensis 152
Portus Myndii 278
Portus Neapolitanus 57
Portus Odysseæ 62
Portus Ostiensis [illegible]
Portus Piræus [illegible]
Portus [illegible] Syracusarum [illegible]
Portus Sulpicius [illegible]
Portus [illegible] [illegible]
Portus Tarentinus [illegible] 441
Portus Trojanorum 204
Portus Veneris 62
Portus Zephyrius [illegible]
Portum Trajanum [illegible]
Portum [illegible] [illegible]
Præfectum Romanæ classium [illegible]
Promontorium Actium [illegible]
Promontorium Acroceraunium [illegible]
Promontorium Aduntem [illegible]
[illegible] [illegible]
Boreum 100
[illegible] [illegible]
Caledonium [illegible]
Circæum [illegible]
Corycum [illegible]
Cynosuræ [illegible]
[illegible] [illegible]
Garganum [illegible]
Herculis Promontorium [illegible]
Lilybæum [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]
Pelorum [illegible]
Pachynum [illegible]
Rhium [illegible]
Scyllæum [illegible]
Sunium [illegible]
Tænarum [illegible]
Tyndaris [illegible]
Vagum [illegible]
Vaticanum [illegible]
Sæn [illegible]
Xiphon [illegible]
Prodentium [illegible] [illegible]
Puteoli [illegible] [illegible]
Pyræum [illegible] [illegible]

R

Rhodiorum [illegible] [illegible]
Rhegium [illegible] [illegible]
Rhoni [illegible] [illegible]
Romanum [illegible] [illegible]
Rhodum [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]
Romanum quando Carthagini paruit. 269, quando [illegible] [illegible]
Romanorum Prætorum classis [illegible]
Rufus Mons [illegible]
Rusci [illegible] [illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

Siculi, Italiæ quondam inco- pulſi per Sicanum, in Siciliam tranſgreſſi, quæ inde dicta Sicilia 13
Siculi teſtimonia 70
[illegible] 24
[illegible] 28
[illegible] 75
[illegible] five Simeonis [illegible] 69
Simonis [illegible] 147
Simon Diaconi 108
Simon [illegible] 114
Simon Megarenſis 73
Simon [illegible] 104
Simon Syracuſanus 80
[illegible] 201
[illegible] op. 168
[illegible] 38
[illegible] fiſtula 153
[illegible]
[illegible] 118
[illegible] 121
[illegible] op. 87
[illegible] 281
[illegible] 157
[illegible] 33
[illegible] 15
[illegible] 194
[illegible] 7
Stagnum [illegible] 210
Stagnum [illegible] 194
Statua [illegible] 83
Statua [illegible]
[illegible] 37
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
T
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Digitized by Google

INDEX

[illegible] 27
[illegible] 44
[illegible] 51
[illegible] 76
[illegible] 158
[illegible] & amor 106
[illegible] 44
[illegible]
[illegible]
[illegible]
Templum Apollinis Palatini 106
Templum Dianæ 90
Templum Dianæ [illegible] 131
Templum Herculis [illegible]
Templum [illegible] 108
Templum [illegible] [illegible]
Templum Iovis [illegible]
Templum [illegible]
Templum Neptuni & [illegible] 10
Templum [illegible] 108
Templum [illegible] [illegible]
Templum [illegible] 109
Templum Veneris 84
Templum Vestæ in Arcu posi-
tū 43
[illegible] 100
[illegible] 60
[illegible] 125
[illegible]
[illegible]
[illegible] 115
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] 159
[illegible] 119
[illegible] 148
[illegible] 17
[illegible] 179
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] 175
[illegible] 61
[illegible]
[illegible]
[illegible] 295
[illegible] 121
[illegible]
[illegible] 177
[illegible]
[illegible]
[illegible] 31
[illegible]
[illegible] 107
[illegible]
[illegible] 4
[illegible] 111
[illegible]
[illegible]
[illegible] 76
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible] Tyrannis [illegible] 168
[illegible] Tyr[illegible] 20
Tyrann[illegible] 175
[illegible] 178
Typhum, [illegible] 61
[illegible] 61
Tyrannus [illegible]
Tyrannus Cretica 180
[illegible] 188
[illegible] 20
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible], per [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
V[illegible] 44
V[illegible]
V[illegible]
Virgilius non [illegible] Antiochus [illegible] de [illegible]
V[illegible]
V[illegible]
V[illegible]
V[illegible] Typhonis [illegible]
Mysteria [illegible]
ad C[illegible]
II. ad [illegible]
III. ad [illegible]
[illegible]
[illegible]
IV. ad [illegible]
V. ad [illegible]
VI. ad C[illegible]
VII. ad [illegible]
VIII. ad Sep[illegible]
IX. [illegible]
X. ad [illegible]
XI. ad [illegible]
XII. [illegible]
V[illegible]
V[illegible]
V[illegible]
V[illegible]
V[illegible]
V[illegible]
V[illegible]
V[illegible] pronunc[illegible]
V[illegible]
V[illegible]
V[illegible]
V[illegible]
V[illegible]

Digitized by Google

I N D E X

[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]

F I N I S.

Digitized by Google

17

C 48.